UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660


urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

Visual Library

Th. 349a.

N. V.
21.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



HISTORIA
PROVINCIÆ ANGLICANÆ
Societatis
IESV
Collectore
HENRICO MORO
eiusdem Societatis
Sacerdote.

AUDOMARI
Typis THOMÆ GEVBELS
M. DC. LX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HISTORIA
MISSIONIS ANGLICANÆ
SOCIETATIS
IESV,
AB ANNO SALVTIS, M. D. LXXX:
AD DC. XIX.
ET
VICE-PROVINCIÆ
PRIMVM, TVM PROVINCIÆ
AD EIVSDEM SÆCVLI ANNVM
XXXV.
COLLECTORE
HENRICO
MORO.

EIVSDEM SOCIETATIS SACERDOTE,

AVDOMARI: Typis THOMÆ GEVBELS
M. DC. LX.

Collegii Soctj Jesv Paderborna 1694
dono p. Hyppenbergr.

PROTESTATIO

CVM SANCTISSIMVS D. N. VRBANVS PAPA VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sacra Congregatione S. R. & Vniuersalis Inquisitionis decretum ediderit, idemque confirmauerit die 1. Iulij Anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum qui Sanctitate seu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque Approbatione ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus, die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Auctorem: Huic decreto, eiusque confirmationi, & declarationi, obseruantiâ, & reuerentiâ, qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate non autem diuinâ, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ sedis Apostolicæ nituntur. Ijs tantummodo exceptis quos eadem Sancta sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

Henricus Morus.

PRÆFATIO.

I. NOtior est à fide Catholica in Anglia facta discessio, quam vt multis de illa præfari necesse sit: nam & Nicolaus Sanderus luculenter eius originem latinè descripsit, & Petrus Ribadeneira eandem idiomate Hispanico euulgauit, & alij deinceps in commentaria digesserunt pleraque quæ annis consequentibus euenerunt; ipsa denique res, famâ, terra mariq; gestis, odio sui vel amore, orbem impleuit vniuersum. Quia tamen causæ & effectuum est tam arcta connectio vt sibi inuicem lumen adferant, & actiones hominum prout res à quibus ortum ducunt variantur; scripturo de Anglis è Societate Iesu, paucis de summa rei dicendum erit, vt cùm de causa constiterit, eorum etiam quæ sint merita, quæ hac in causa ab hominibus Societatis per Angliam, vel extra Angliæ fines, aut gesta aut tolerata sunt, certius intelligatur. Scripserũt de Schis. mate, Sanderus, Ribadeneira, Yepes, Aquipontanus, Florimond, & alij.

II. Henricus eius nominis octauus Rex Angliæ cùm Catharinam coniugem, filiam Ferdinandi & Isabellæ Hispaniæ Regum (quam anno nono supra 1500. duxerat) post annorum ferè viginti cohabitationem, prolesque susceptas, fastidiret, rogauit Pontificem Clementem septimum, vt declararet ligitimum nunquam inter illos tenuisse Matrimonium, concessionemque Iulij secundi Prædecessoris, nullius fuisse roboris, sed omni ex parte inualidam; fuerat enim Catharina vxor defuncti Arthuri fratris Henrici.) Pontifice non assentiente; domestico Iudicio dicta sententiâ aduersus Catharinam, Rex Annam Bolenam, quam deperibat, thoro legitimo superinducit: Et quoniam Pontifex, qui propositionem diuortij non probarat, factum damnabat, neque potestate ad reuellendam decessoris sui gratiam, quam suadebat intemperans Regis animus, volebat abuti, omni per Angliam potestate per gradus quosdam excluditur, & edictis publicis decernitur perpetuò excludendus. Henricus 8 ab Ecclesia se separat.

III. Nam anno eius sæculi trigesimo in communi ordinum Conuentu lex fertur, vt quæ causæ ab omni memoria censebantur fori Ecclesiastici, regni finibus non extrahantur; is verò qui in earum aliqua Auctoritatem summi Pontificis curarit interponi omnibus bonis & perpetuo carcere mulctetur. Sequenti deinde anno etiam decreta Synodalia intra regnum, subijciuntur examini Laico, & prohibentur Episcopi noua condere, nisi quibus Rex consessim præluisset. Tum ipsa Electio, Confirmatio, Consecratio Episcoporum intra Angliæ limites clauditur, nullâ habitâ summi Pontificis ratione, ne quidem ad Archiepiscoporum insignia Henrici 8. anno 24. c. 12. anno 25. c. 19. & 24.

(*quod pallium vocant*) *conferenda*: *neque solum pecuniæ in cameram Apostolicam importatio, quacumque de causa spirituali, interdicitur, sed & gratiæ cuiusuis, aut licentiæ impetratio. Anno denique trigesimo quarto, ijsdem publicis regni Comitijs tributitur Regi* non nomen inane (*vt aiebant*) sed cum nomine, honor, dignitas, Priuilegia, Auctoritas, prouentus supremi in terris Capitis Ecclesiæ Anglicanæ, immediate sub Deo, & Christo Iesu, *cum potestate visitandi, cùm opus esset, aut liberet, & quosuis errores, aut hæreses, seu Cleri seu Populi, corrigendi. Pro cuius potestatis executione, non ita multo post constitutus est Regis Vicarius Generalis in Causis Ecclesiasticis*, Thomas Cromwellus, *homo Laicus, & humili, vt ferunt, loco natus, cum priuilegio præcedendi ipsum Cantuariensem Archiepiscopum regni Primatem in publicis consessibus.*

Henricus se dicit Caput Ecclesiæ Anglicanę. Anno 26. c. 1.

An. Henrici 31. c. 1.

Sæuit in repugnantes.

VI. Inde sæuitum in Religiosos & doctos omnes, qui summam in Ecclesiasticis Auctoritatem Regi negarent. Familiæ Religiosæ dissipatæ, ædes dirutæ, bona primum Regis addicta ærario, tum donatione, venditione, commutatione dispersa, atque in manus priuatorum deriuata. Quindecim Superiores Monasteriorum constantiam in sustinenda summi Pontificis Prærogatiua vltimo luerunt supplico. Monachi ad aliorum terrorem supra quinquaginta fame, pædore carcerum, suspendio periere: totidem fere eruditi Sacerdotes; præter duo orbis lumina, Ioannem Fisherum *Episcopum Roffensem, &* Thomam Morum, *non ita pridem Regni Cancellarium. Neque Cælites fuere immunes:* Thomas Cantuariensis *Episcopus* (*quem annis prope quadringentis coluerant Martyrem*) *in ius vocatus, Regiæ Maiestatis læsæ condemnatus, & extinctus, ne quidem locum deinde tenere potuit in indice quocumq; Sanctorum; vt nemini mirum videri debeat* Papę *appellationem ex omnibus libris inscriptionibusq; sublatam: quanquam non sine admiratione cogitari potest, paucissimis annis tam atrocia, non solum in Catholicè sentientes à nuperrimè tam Catholico Rege admissa esse facinora, sed paria Hæreticis in locâ sacra diuosq; scelera esse perpetrata; atque eum Regem qui Lutherũ tùm primum erigentem cornua, eiusque fœtum edito doctissimo Commentario, proscripsisset, Lutheri prolem alteram fouisse, fructus doctrinæ adamasse: sed quid non mortalia pectora cogit, Auri, luxus, vindictæ fames?*

Edwardus idem ius Capitis assumit.

V. Iam Schisma hæresi strauerat viam, & quæ à capite diuisa erant membra saniem hauserant; quam sublato Henrico *ij qui noueñem filium* Edwardum, *Regni Hæredem, sub tutela habebant, longè latéque sparserunt; Prima cura fuit dignitatem* Capitis Ecclesiæ Anglicanæ, *quam* Henricus *assumserat, in Rege puero tueri. Eo ex capite confestim lege latâ dicitur electio Episcoporum, non iam ad capitula, Rege consentiente, sed ad Regem solum pertinere, Episcopos nihil debere suo, sed Regis nomine cuncta iubere: Regis Insignia suis quemque oportere sigillis inscribere: læsæ Majestatis crimen fore scripto asserere vel Regem non esse, vel Pontificem*

tificem esse caput Ecclesiæ. Tum anno altero, Regis auctoritate, Sacrosancto Missæ Sacrificio, & consueta in Ecclesiis precãdi formâ ab olitis, noua instituitur vulgari idiomate; supprimuntur libri antiquorũ rituum, tolluntur Christi Sanctorumque imagines, formatur aliud corpus Iuris Ecclesiastici, alij ritus Episcopos, reliquosq; Ecclesiæ Ministros initiandi, & conferendi Sacramenta.

VI. Videbatur his adminiculis Hæresis obtinuisse, cùm defuncto Edwardo Maria Filia Catharinæ (quam & prolem ex ea susceptam Henricus repudiarat tanquam illegitimas) communi ordinum voto agnoscitur Regina. Hæc a matre Catholica Catholicis imbuta moribus, fidem rituq; antiquos conatur restituere: Itaque antiquatis legibus ab Henrico & Edwardo dictis, quâ Religioni aduersabantur, summi Pontificis auctoritas, potestas Episcoporum, Cleri populique distinctio suis locis reponuntur. Felix conatus si operi corroborando dies non defuisset: Vno anno minus Edwardo vixit. Elizabetha vero, Filia Bolenæ, vix tribus mensibus post Mariam regnauerat, cum appellationem capitis Ecclesiæ Angl canæ, quâ Mulier, declinans, potestatem Capitis curauit sibi per ordines Regni confirmari, & Iuramento proposito stabiliri, dicta suprema Gubernatrix in spiritualibus eque ac in temporalibus: eo fine vt quibus auspicijs regnum, ijsdem non in temporalia modò, vt cæteri regum, sed in spiritualia omnia potestatem adepta esse crederetur, vtq; nihil siue politicæ, seu Ecclesiasticæ Auctoritatis cuiquam inesset, nisi in quem à Regina per patentes literas illa dimanaret.

Maria restituit.

Elizabetha reassumit.

Anno 1. c. 1.

VII. Id etiam conatu præcipuo agebatur, vt per vniuersum Regnum vulgaretur, prorsus nihil potestatis esse summo Pontifici in quenqnam Reginæ subditum, quamdiu is intra Angliæ fines se contineret: Natæ enim ex Matrimonio per Pontificem reprobato persuadebatur, & ipsum Regnanti semper fore infensum tanquam illegitimæ, & à nemine subditorum sperari posse certam indubitatamq; fidẽ qui Pontifici, hoc est, vti credebatur, inimicæ potestati non renuntiabat. Hinc anno quinto Regni edicitur mulctandus omnibus facultatibus & perpetuo carcere, quicunque verbo, aut scripto aut actione quapiã assereret Pontificis auctoritatem quam olim in Anglia habuerat: Anno vero 13. & vigesimo tertio læsæ Majestatis reus, qui rescriptum quoduis Pontificium obtinuisset, siue ad lapsos Ecclesiæ Catholicæ restituendos, siue alia quapiam de causa; vel qui subditum Reginæ aliquem sedi Apostolicæ conciliasset.

An. 5. c. 1.

VIII. Et quoniam Sacerdotes in Seminarijs transmarinis educati, atque ritè initiati, habebantur potestatis Pontificiæ præcipui assertores & ij maximè qui Societati Iesu nomen dederant, hi varijs ab initio agitati calumnijs & inquisitionibus, anno vigesimo septimo regni, nouo edicto proscribuntur; si non exularent, aut si semel exules redirent, aut si qui noui aduenirent, non aliâ conditione censendi quam Proditorum. Itaque annis quadraginta quibus ad clauum sedit Elizabetha, vix credi potest quantum effusum est innoxij sanguinis, quot quæstionibus exerciti, quantis molestijs vexati sint omnium ordinum Catholici, dum summi Pontificis auctoritas vbique habetur

Et proscribit Sacerdotes.

ſuſpecta, & innocentiſsimæ pietatis actus eius auctoritatis *propagandæ nomine damnantur; neque Sacerdotes, zelo conſeruandæ Religionis, abſtinerent Regno & ritibus Catholicis vſurpandis, neque ſummi infimiq; Catholici eorum aut conſortium refugerent, aut carere vellent auxilio.*

Iacobus nouo concepto Sacramento conatur ſtabilire.

IX Iacobus *Rex, cum* Elizabethæ *ſucceſsiſſet, cautè agendum cenſuit nè ob Hæreſim (in qua à puero educatus) apud Pontificem aut apud cæteros Principes offenderet, multam moderationem præ ſe ferens, tum foris per certos homines, tum per ſuos domi. At quando Anglorum, qui apud* Elizabetham *fuerant, conſilijs alia omnia agerentur exarſit enim verò importunè quorundam Catholicorum in animis ſæua illa, & omni æuo damnanda coniuratio, qua regem regniq; proceres miſſo ſub ædibus comitiorum puluere tormentario in altum tollendos duxerant, vt è rebus humanis momento omnes tollerent. Hinc nouarum legum in Catholicos, nouorumque Sacramentorum ſumpta eſt occaſio; atque imprimis agebantur ad abiurandam*

An. 6. Iacobi

ſummo Pontifici *poteſtatem, vel* Regem *ob Hæreſim deponendi, vel cuiuis* Subdito *eius damnum quoduis intra regnum inferendi, vel ab ipſo* hoc iuramento *quemquam abſoluendi. Ac ſi malus nullus eſſe poſſet, niſi Pontifex conſpiraret, aut tum demum regno tranquillitas pararetur, ſi Pontificiauctoritas demeretur.*

Quid ſub Carolo.

X. *At ſenſit* Carolus *Iacobi Filius poſt annos circiter quadraginta, aliunde ſibi parari malum, nec quemquam ægrius iugum ferre quam qui* Pontificem *peſsime oderant. Is quâ poteſtate pojoremis his annis in Angliæ Regnis eius Anteceſſores gloriabantur, nouas pro Religione ſua leges, nouas ceremonias ad Catholicæ æmulationem aut cudere aut tacitè introducere aggreſſus erat; Indignè id ferentes rigidi Caluiniſtæ (qui regnante* Elizabetha *aliquoties fuerant tumultuati, & Iacobum Scotiæ tunc Regem in angustias non ſemel compulerant) quaſi manu facta in* Carolum *incurrunt; vocari comitia poſtulant; vocata vt nè diſſoluantur extorquent, niſi ipſismet conſentientibus; ſcilicet, iugulum ſibi peti nolunt niſi præbeant. Inde alijs atque alijs confictis criminationibus aduerſus Regni proceres & molliores Caluiniſtas (apud quos ſpecies quædam manſerat ordinis Eccleſiaſtici) cunctos paulatim ſubmount Ex tritum ordinum conuentu,* Proceres, Prælatique *exulant.* Plebs *ſola dominatur; Id cum iure nequeat, armis ſubſtinendum decernit. Armis vtrimque certatur, hinc Rege inde* Populo *procedente. Quatuor annis bellum tenuit; donec Regijs ſuccumbentibus, Rex primum Captiuus, deinde Tyrannidis, Populo Iudice, poſtulatus, Capite plectitur. Cum quæreretur locus inferendo cadaueri, placuit* Henrici octaui *Sepulchrum apud* Vndeſoriam *vt quo loco is conditus fuerat qui primus* Pontificis ſummi *iura violaturus nomen* Capitis Eccleſiæ Anglicanæ *præſumpſerat, eodem conderetur is qui nulla magis labe laborabat.*

Quid poſt Carolum.

XI. Poſt Carolum *Populus aliquamdiu ſine Capite imperat ſub nomine quod ſumpſerat* Comitiorum Generalium, *donec is quem ducem animorum*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum aduersus Carolum *constituerant (& erat is quoq;* Cromwellus) *immissis in consessum militibus iussit solui conuentum. Ita* Rex *à* Populo, Populus *à* milite *exauctoratus est; incerto deinde subditus Imperio. Deo id agente vt vbi, & a quibus* Capitis Ecclesiæ *iura transiata fuerant, ij postliminio suum sibi* Caput *demerent, tunc ipsi plecterentur. Cuius inter* Regem *&* populū *dissentionis qui historiam ab ouo relegere voluerit, perspiciet quàm aptè primis vltima, & vltimis prima responderint; Deo per ea quæ quis peccat puniente, & visitante iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationē.* Exo. 20 5. *Quemadmodum enim* Henricus *potestati Pontificiæ cùm se subduceret, nomen effigiemq;* Pontificis *ex precum Indicibus, aliisque locis eradi voluit, ita* Regiū *nomen & effigies non nisi ad iniuriam prostare aliquamdiu visa est; & ipsa subsellia, quæ olim* Regia, *seu* Bancus Regius, *dicebantur, non* Regis, *sed* Superior Bancus, *appellabantur.* Cromwellum *ille ad Ecclesiastica administranda intrusit; Deus* Cromwellum *seculari potestati disturbandæ promouit. Ille nouâ condita* Iurisiurandi *formâ supremam* Capitis Ecclesiæ *auctoritatem ad se trahere & stabilire conatus est; nouis noui hi tumultuantes inuentis* iurandi formulis Regiam dignitatem impetiuere. Elizabethæ *verò studium indefessum initia hæresis fouendi in* Scotia, *suâ* Scoti *diligentiâ compensarunt, hi enim primi in* Carolum *mouerunt arma, vt molles* Elizabethæ Caroliq́ue *Caluinistas, ritumq; precandi ab his in contemptum Catholici moris institutum abolerent.* Episcoporum *denique ac* Nobilium ordo, *qui in* Comitijs *fuerat præcipuus, conatum vel consensum suum mutandæ olim Religionis Catholicæ in mores Luthero-Caluinisticos, cùm nulla eius ratio habita sit, quadam quasi exauctoratione persoluit.*

XII. *Catholicis vero inde ab* Henrici Octaui *discessiōne id negotij fuerat, vt Supremam* Pontificis Romani *in Ecclesiasticis potestatem, verbo, scriptis, fortunis, vita & sanguine patienter fusis tuerentur. Viderique possunt (quèmadmodum Sanctus Confessor* Ignatius ex aduerso *Lutheri & Caluini) ita hi tanquam* murus oppositi *pro* summi Pontificis *auctoritate retinendâ, & cum debitâ erga Reges obseruantiâ componendâ. Hæc enim* Ara *fuit ad quam tot hostiæ ceciderunt, quot Sacerdotes cruenta morte sublati sunt: Nimirum crimen erat* Pontificem *verbo scriptoue defendisse, aut* Ordines Sacros *non aliunde quam ab vnico in terris Christi Vicario deriuatos in Angliam intulisse. Ad hanc* Aram *cæteri suas suorumque fortunas Deo consecrarunt, dum non ab alijs Sacramenmenta quàm à legitimis his Sacerdotibus accipere sustinuerunt: Nam si institutioni* Pontificiæ *atque auctoritati nuntium mittere, si* manus Impositionem *ab Regijs admittere, si preces iungere in animum inducerent, à carceribus, à proscriptione, ab omni crimine, ab ipso Carnificis ense stricto immunes renuntiabantur.* Catholici Pontificis Auctoritatem sustineat. Ezech. 15. 5.

XIII. *Huic* Aræ *quoniam* Societas Iesu *voto peculiari adstrinagitur, & sedulam nauabat operam vt* Religio *Catholica cum* Pontificis *potestate* Quid Societas Iesu.

potestate sarta tecta maneret, Pietas *Crimini fuit; & quo maiori studio isthinc adlaborabatur vt nè quid virtuti Christianæ & obedientiæ venerationiq; decederet, eo acriori conatu intendebat se hæresis vt simul virtutem, virtutisq; fulcimentum profligaret. Quoniam verò tum virtus potentiùs opprimitur cùm ei vitij nomen adhæserit, quidquid moliri poterant ardentissimi Catholicæ Fidei æmulatores, id inobedientiæ, Regiorum edictorum contemptui, subditorum à legitimo Principe abalenationi, in vitam Regum & sanguinem* Conspirationi *tribuebatur. Si quis ad Ecclesiæ gremium hæresi eiuratâ redijsset,* Lætæ Majestatis *reus dicebatur, qui eum reduxerat,* conspirasse: *Si Iuuentuti erudiendæ Seminaria extra Insulam beneficio Catholicorum Principum erigebantur, si Adolescentes educandi extrahebantur, si vel* Agni Cerei, *vel globuli à* Pontifice *benedicti distribuebantur, vnâ omnia notâ apud vulgus infamabantur,* Conspirationis: *scelera, si Dijs placet, vel morte vel bonorum addictione eluenda. Quod semel monitum volui lectorem, vt cùm non minus de ipsis verum perspexerit, quàm olim de Iudæis, quod* omnia quæ loquitur populus iste, coniuratio est; Esai, 8, 12. *intelligat, id non gestorum merito, sed indignantium siue Hæreticorum siue politicorum dandum audaciæ, quæ res maximè salutares, quas ratione non potest, inuidiâ odioq; nominum conatur subuertere. quàm namque sit* Catholica *ipsa* Fides *Regibus fidelis, nil opus est verbo dicere vbi facta clamant, paucorum sub* Iacobo *inconsideratissimâ temeritate, plurimorum sub* Carolo *voluntario sanguine expiatâ.*

Vnde Calumnia Conspirationum,

Quid ab hac Historia expectandum.

XIV. *Harum autem rerum initia & progressus dum prosequor, non mira, sed vera expectanda erunt, nec quæ ex virtute acta sunt omnia, sed quæ per temporum variationes, per locorum difficultates, per fugientium latebras, per insequentium perscrutationes, per commentariorum pericula supersse potuerunt. Vt æqui bonique consulere debeat amicus lector, si pauca de multis, & spe minora narrentur; sicut enim collapsis ædibus, qui inter rudera integram speraret eruere supellectilem, aut illustrem, vanus esset; ita inter tot annorum turbines tempestatésque gestorum omnium illibatam seriem texere impossibile est: Præterquam quod nulla vspiam Historia cuncta complexa est: Ea quæ ad exemplum præcipuè valent, quæq; ad causæ momentum faciunt maximè, cùm conor exponere, Deum precor, vt & conanti adsit propitius, & laborem, qualiscumque is est, præstet legenti esse vtilem, Ecclesiæ Sanctæ honorificum.*

HIS-

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER PRIMVS.

Origo Societatis & Schismatis Ao. 1535.

ACta sunt in Italia ab *Ignatio Societatis Iesu* fundamenta sub idem ferè tempus quo in *Anglia Henricus Octauus* fœdum schisma ordiri aggressus est; diuino planè consilio, vt quo tempore *summi Pontificis auctoritas* à superbo & luxuriante *Rege* cæpta est conuelli, eodem illius ordinis semina ponerentur, qui & se *Pontificum* obsequio peculiaris voti religione adstringeret, & orbem vniuersum in *sanctæ sedis* debita veneratione conaretur retinere: Tum vero cùm tẽpla diruere, religiosas domos euertere, innoxio se maculare sanguine, furenti audaciâ Rex progrederetur, & *Societas* ipsa Pontificijs diplomatibus est stabilita, & in hanc lucem editus Londini *Edmundus* ille *Campianus*, qui primus deinde è *Societate* fuso sanguine *Christi vicarij potestatem* in ea insula asseruit, & non defuturos esse qui inposterum asserent commonstrauit.

1540. Bombinus vit Camp. c. 1.

II. *Anglia* tamen è Prouincijs ad septentrionem positis *Societatem* pene postrema conspexit; & (quod non in postremis eius locandum est malis) didicit prius odio habere, quàm quid odio prosequeretur agnosceret. Nimirum schismate altius imbibito vna videbatur causa *Romanæ sedis*, & eorum qui se ei sedi obseruandæ deuouerant: Illam communi errore execrabantur hæretici, hos quâ nouo legum genere in pietatis exercitia vniuersa *læsæ Maiestatis* nomine

mine traducto, quâ acerbissimis quæstionibus supplicijsque aut arcere regno satagebant, aut perdere: sed creuit sub incude *Societas*, atque ab ipso duxit opes animumque ferro.

Ignatij prædictio.

III. Neque id quod longo post tempore futurum erat viuentem latuit *Ignatium*. Is enim cùm consuleretur aliquando à Prouinciali Romano admittendusne esset in societatem quidam *Anglus*, iussit admitti, fore enim vt olim in *Anglia* floreret æquè *Societas* atque in alia qualibet Prouincia. Et sanè si diuinæ bonitati placuit Patriarchis illis antiquis, ad ęrumnarũ solatium, venturæ sobolis fertilitatem, ijsdem in terris in quibus tum peregrinabantur, præmonstrare; si *Ignatio*, cùm ex *Parisiensi* inopia *Antwerpiam* excurrisset, indicauit fore vt *Petrus Quadratus* Methymnæ suæ Collegium Societatis postliminio conderet, quid miremur, si ad leuamen inopiæ & laborum, à diuina mente anticipata notione intellexerit, hoc veluti altero in orbe sibi suscitatum iri aliquando illustre semen, ibi orituras luminis sui stellas sine numero, vbi sub teterrimo Schismate cæpisset noctescere, idque eo fortassis tempore diuinitus præuidisse, quo rerum ad vitam cum literarum studio tolerandam necessariarum indigus, traiecto Occeano penetrauit Londinum subsidia egestatis ab Hispanis institoribus Christi nomine quæsiturus.

Orlandinus l. 4. n. 66.

Hæresis Societati infensa Ao. 1540. & 41.

IV. Quantopere verò iam inde ab initio natæ firmatæque Societatis ei aduersata sit Anglia, etiam viuente *Henrico* Rege eius nominis Octauo, non erit difficile hinc æstimare, quod cùm adlaborante Roberto Primate Armachano, viro doctrinæ pietatisque eximiæ, destinatus in Hiberniam fuisset auctoritate Pontificia, primùm *Ioannes Codurius* ex *Ignatij* decem Sociis vnus, eique immatura morte prærepto substitutus *Alphonsus Salmeron*, in eam Insulam cum *Pascasio Broëtto*, & *Francisco Zapata* penetrasset, nec *Pontificis* consilia in retinendis in obsequio *Romanæ sedis* populis exequi, nec alia legati munera obire, nec commorari quidem, nisi mutatis sæpe latebris, summoque tum suo tum hospitum suorum periculo, per Regiorum odia, Ministrorumque sagacitatem potuerit, nec per Angliam parare reditum, nec in Scotia, ob serpentem ex Anglia hæreseos pestem, vtiliter operam ponere. Itaque velut Orci indignantis ęstu reiectus, in Italiam reuertitur, futurus documento ægrius aliquanto ab detortis in praua dogmata, ac maleuolæ voluntatis obstinationem hominibus Christianis, quàm ab Ethnicis ipsis atque nulla Religione excultis, Pontificios, id est, Dei oratores admitti; quando Ethnici ignorantiâ fere solâ, & auitę superstitionis veneratione falluntur, hi falli potius volunt, quàm fallantur.

Orlandinus l. 3 n. 45. & 58.

V. Cæterum *Ignatius* vbi suorum diligentiâ difficulter hisce ad septentrionem collabantibus regnis adferri medelam cerneret; quod supererat, id egit sedulò, vt ijsdem precum suarum Sociorumque auxilio opitularetur, tempus operiens, quo Deus vberioris messis annos pararet, & colligendæ messi operas idoneas seligeret. Ex legatione autem, quam diximus, *Salmeronis*

meron's in Hyberniam, & Petri *Ribadeneiræ* commoratione in Anglia, cum Figueroa Oratore Regis Catholici sub initium *Elizabethæ*, intellectum satis est quam exiguus in ea gente, ijsque circumstantiis fructus sperari posset, nisi per eius idiomatis peritos, atque adeo per eiusdem nationis homines, res Catholica plerumque administraretur. Itaque *Lainius*, cùm in defuncti *Ignatij* locum adlectus Societatis clauum teneret, videretque mortuâ *Mariâ* Reginâ Catholicâ, hæresi rursus per Angliam habenas laxari, non modo beneuolè aliquamdiu plures Anglos (magnum Gregorium imitatus) in studijs aluit, quò certius de animi proposito, deq́ne cætera aptitudine cognosceretur, verùm non paucos per Germaniam vtramque atq; Italiam, Societatem petentes curauit admitti. Quantum verò id ex *Ignatij* sententia fieret, (præter ea quæ diximus) ipsius *Ignatij* ad Cardinalem *Polum* (rem Catholicam feliciter in Anglia procurantem) literæ perspicuum reddunt; quas ego literas, quoniam & Sancti Patris ardens diuinæ gloriæ studium, & in Angliæ reductionem animum propensissimum ostendũt, pro ea quam debemus memoris animi significatione, integras hic si explicauero, gratam me lectori rem facturum existimaui. Sunt autem huiusmodi.

Ribad. l. 2. Historiæ. c. 22.

Admittuntur in Societatem Angi complures.

Literæ Ignatij ad Card. Polum.

Gratia & Charitas Christi Domini nostri cum suis Sanctis donis & Charismatibus sit cum Reuerendissima dominatione vestra, Amen. Ex litteris Reuerendissimæ Dominationis vestiæ, vndecimo Nouembris Bruxellis datis (quo tempore iter parabat in Angliam) intellexi bonã spem quam Dominus Deus noster Reuerẽdissimæ Dominationi vestræ iam tum faciebat reducendi eius Regni ad Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vnitatem. Atque non ita multo post Ciuitate tota peruebuit spem istam in rem conuersam esse, tam breui temporis morâ, vt manifestum profecto omnibus esse debeat, illius fuisse id omne opus, qui sine tempore perficit quidquid diuinæ suæ perfectissimæque voluntati placuerit. Equidem pridem ad Reuerendissimam dominationem vestram perlata fuerit vniuersalis consolatio atque lætitia spiritualis, quam Sancta Ecclesia, à Patre Misericordiarum & Deo totius consolationis, intimis percepit visceribus ex hoc singulari dono; Quantum verò hæc minima Societas hauserit, in dieq́ue hauriat, qua tandem oratione explicari possit ignoro.

Ita tum appellabantur qui nunc dicuntur eminentissimi.

Sine fine laudetur ab omnibus Creaturis suis Dominus noster *Iesus* Christus, qui tam apertè nobis commõstrauit thesaurum gratiæ suæ & Charitatis, támque suauem detexit tamque potentem Prouidentiæ suæ dispositionem in hac Angliæ reconciliatione; & quando eius perfecta sunt opera dignetur corroborare atque amplificare tam magnum beneficium vniuersæ præstitum Ecclesiæ vt magis ac magis in dies cognitio & gloria eius Sanctissimi Nominis propagetur, & pretiosissimus ille sanguis quem vnà cum vita obtulit æterno Patri cum effectu applicetur saluti animarum. Hoc possum affirmare, nobis vti Reuerendissimæ Dominationi vestræ addictissimis, atque omni officiorum genere adstrictis, ingenti solatio fuisse, quod diuina sapientia

Reuerendissimæ Dominationis vestræ inprimis studio atque diligentiæ hoc tam magnum opus perficiendum tradiderit.

Sereniſſimam Reginam intra regnum, vnà cum Sereniſſimo Rege, foris verò Reuerendiſſimam Dominationem veſtram protegendo, vt huic tantæ gratiæ, quanta in tali Regno reducendo neceſſaria fuit, impedimentis omnibus ſuperatis, cooperaremini. Et quoniam perſpecta mihi eſt caritas quâ minimam hanc Societatem noſtram Reuerendiſſima dominatio veſtra complectitur, & quâ inter ſummi momenti negotia etiam noſtri memoriâ fouet, auetque de rebus noſtris quemadmodum conſtitutæ ſunt ſcire, cognoſcere poterit quod in domo profeſſa, & in Collegio Romano atque Germanico in melius omnia proficiunt: Nam præter ſexaginta perſonas domum profeſſam incolentes, in Collegio ſunt plures ſeptuaginta: ſcientiæ vero (legum & medicinæ diſciplinis excluſis) traduntur omnes, multo cum fructu noſtrorum, & externorum Auditorum, qui multi ſunt, & ſuperant quingentos. Ij qui in Collegio Germanico commorantur progreſſum in virtute & literis faciunt optimum: ſperamúſque diuinam bonitatem inter illos parare ſibi inſtrumenta inſignia ad ſuum obſequium, earumque nationum ſpirituale auxilium. Eſt apud illos vnus Anglus indolis & ingenij boni, & in Collegio noſtro, Hibernus magnæ ſpei vnus: ſi in rem futurum exiſtimauerit Dominatio veſtra Reuerendiſſima mittere iſthinc aliquos ingenio & natura factos ad literas ad vtrumuis Collegium, in ſpem venio breui tempore regredi eos poſſe ingenti cum fructu vitę & doctrinæ, & huius Sanctæ ſedis ſumma cum veneratione. Id enim omni accuratione hic agitur, vt quod in iſta ciuitate ſanctum eſt, eo his in domibus imbuantur, & quod contrarium reperitur damno non ſit. Dominatio Veſtra Reuerendiſſima accuratius rem vniuerſam perpendet; noſtrum eſſe duximus id offerre quod animo noſtro inijcit illa, quam diuina ſupremaque Charitas nobis impertitur, cupiditas ſeruiendi animabus iſtorum regnorum iuxta minimam vitæ noſtræ rationem. Commendo me humillimè Sanctis precibus Reuerendiſſimæ Dominationis veſtræ, finioque rogando Deum Dominum Noſtrum vti omnibus det gratiam Cognoſcendi ſemper & perfectiſſimè adimplendi eius ſanctiſſimam voluntatem. Româ, vigeſimo 4. Ianuarij. Anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi quinti.

Admiſſi non mittuntur in Angliam.

VII. Sancti igitur Patris Charitas in afflictâ Schiſmate Angliam ex ipſiusmet verbis quàm magna fuerit intelligitur. *Lainius* eius veſtigijs inſiſtens, reliquique Generales iuuandorum admittendorúmque Anglorum parci haud fuere. Ita enim *Polaneus* Lainij nomine ad Franciſcum Borgiam Commiſſarium in Italia, Tridento vigeſimo primo Septembris anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſecundi, Qui has defert Georgius Warus, adoleſcens Anglus, auet in Societatem noſtram cooptari: videtur huic inſtituto idoneus: Confeſſus eſt hic, & communicauit: Iudicio Patris Noſtri admitti poterit ad probationẽ, & ſi in tranſitu per Collegia voluerit ad illa diuertere, poterit vt hoſpes recipi. Et ad *Euerardum Mercurianum*, ſeptimo Nouembris, Anni ſexageſimi

Litteræ Polanci ad Mercurianum.

gesimi quarti." Scribis quatuor aut quinq; iuuenes Anglos isthinc Romam tendere, Expectauimus illos cum alijs de quibus Rector Louaniensis: nondum comparent, metuendum nè in Italiam penetrare non potuerint, (quod multis è Germania venientibus accidit) deinde vigesimo Decembris." Peruenere tandem Romam Angli de quibus scriptum fuerat: vnus lassitudine detentus hæsit Mediolani. Inter istos est Rogerius, parum propensus ad Societatem: Itaque locum illi quæsiuimus in Collegio Germanico quemadmodum ipsemet optabat. Tres aureos tantum habuit reliquos, vestiri tamen debuit, lectus aliáque necessaria coëmi, & quatuor aurei nummi pendi in singulos menses pro victu & habitatione. Hæc mutuo accipimus donec mater prouideat. Angli de vrbe nihil contulere; quamquam suasisse dicuntur abstineret aliquamdiu ab Societate ineunda. Aliorum trium, vnus est prouectæ ætatis, & tenuiter instructus; Reliqui duo iuuenes quidem, sed leuiter etiam imbuti. A tam longinquo itinere fessos, & nullum quò diuerterent locum habentes admisimus, moti hominum indigentia, alioqui non admissuri. Prouidendum in futurum, vti fiamus certiores quales sint, quos mittere cogitatis, vtque hinc responsum expectetur priusquam mittantur: nisi quis se offerat de cuius excellenti aptitudine dubitare non possitis.)

At horum aliorúmque quotquot fuerint, industriæ, nondum visa est matura seges in Anglia; nam ante annum octagesimum, vix cuiquam in eo regno innotuit Societas. Apud exteras tamen nationes quando peruitlem nauarunt operam, non sunt silentio inuoluenda præcipuorum nomina, neque præclarè factorum commemoratione fraudanda posteritas: videbit enimuerò non defuisse viros sapientum iudicio perquàm idoneos cuicunq, sustinendæ Prouinciæ, occulta verò Dei Prouidentia *definiri statuta tempora* quando & per quos animarum salutem in quaque regione procurari velit. Act. 17.26

VIII. Inter primos numerandus venit Pater *Gulielmus Good*, quem *Mercurianus* Prouincialis spiritualibus excultum exercitijs, adiunxit Societati Tornaci in Belgio cùm annum ætatis ageret trigesimum quintum. Natus educatúsque Glastoniæ, (Iosephi ab Arimathæa nobilitatę hospitio) Oxonij deinde Philosophiæ ac Theologiæ dederat operam, & gradu magistri in artibus insignitus præmia studiorum cum laude collocatorum, duo Ecclesiastica beneficia obtinuerat, præter Canonicatum; quæ orto in Anglia propagatóque in hæresim Schismate, simul & patrium solum cum Christi paupertate commutauit. Peractis Probationis annis additus est sociusPatri cuidam Dauidi proficiscenti in Hyberniam cum Armachano Præsule, studiosissimo Societatis, qui nullum non mouebat lapidem vt regnum illud in fide Catholica, & sedis Apostolicæ, obedientia retineret. Quatuor annos in ea insula posuit, incertum quo fructu; non defuisse tamen laboribus, illud argumento esse potest, quod cum onustus sacra supellectile iter faceret, aggressi eum Hyberni aliquot, ex ijs quos siluestres vocant, sarcinam eripuere; In inuoluta quid haberet prospicientes, Sacerdotem esse coniectant; Itaque festino cursu

Guilielmus: Good alias Gorde. Ao. 1562.

Mittitur in Hyberniam.

vid. literas Poloni 27. Iulij & 4. Septemb. 1564.

rursus hominem assecuti, prouoluuntur omnes in genua, manibus in Cælum protensis. Eo corporis habitu quid vellent cùm non caperet Pater, neque illi se (ignotum quiddam frementes) satis explicarent idioma non intelligenti, vnus prehensa Patris manu signum Crucis super Socios producit, quasi reliquos absoluturus; tum se curat per Socium pari ceremonia absolui: Ac nuda sanè fuit & vaga Ceremonia: illico enim fugientibus de restituenda sarcina

Redit in Belgium.

nè minima quidem incidit cogitatio. Anno septuagesimo redijt in Belgium; vbi cum inter studia Theologica etiam spiritualia tractaret arma, eius præcipuè post Deum industriæ debet Prouincia Anglicana virum celeberrimum *Robertum Personium*, quem Louanij hærentem de itinere, piarum Commentationum ex Sancti *Ignatij* præscripto vsum docuit, & danti eis operam rerum terrenarum tædium primus iniecit. Inde Romam anno septuagesimo

Abit Roma in Sueciam

septimo ad solemnem quatuor votorum Professionem vocatus, in Sueciam deinde, & Poloniam destinatus est, *Antonij Possevini* aliquamdiu Comes: Quâ ex Prouincia vnà cum Patre *Adamo Broco*, etiam Anglo, comitatus est Prouincialem cum iure suffragij ad Congregationem Generalem quartam, & interfuit electioni Admodum Reuerendi Patris *Claudij* Aquauiuæ, anno sesquimillesimo octagesimo: duobus post annis in Anglicana domo de vrbe (non ita pridem ex Hospitali sanctissimæ Trinitatis in Seminarium formata) Confessarij munere ea cum laude functus est, quam testantur eotum temporum accensa in Alumnis arctioris disciplinæ desideria, & complurium ad labores mortémque conseruandæ Religionis causa subeundam indefessa vota.

Moritur Neapoli.

Ex vrbe cùm Neapolim commigrasset, quam hîc non habuerat manentem ciuitatem in futura accepit, Anno octogesimo sexto: viginti quinque annis quos in Societate vixit, pij & prudentis viri nomen consecutus; quarum virtutum monumentum post se reliquit res gestas Sanctorum Angliæ, in templo Seminarij Anglicani coloribus expressas; quæ in æs etiam incisæ prodierunt Romæ, tacito eius nomine inscriptę, *Ecclesiæ Anglicanæ Trophæa.* De quibus vide nostrum Alegambe in sua Bibliotheca Extat etiam in Seminario de vrbe Manuscriptus Codex Sanctorum Britanniæ per annos Christi, & Regum Britaniæ & Angliæ digestus, quem hic contexuisse dicitur, summatim eorum res gestas, virtutésque recensens.

Thomas Darbishier

IX. Edmundus Bonner Episcopus Londinensis (cuius sub *Maria* ardor enituit in subigenda pullulante tum hæresi; & sub *Edwardo* & *Elisabetha* constantia in tuenda inter vincula, & facultatum rapinam Catholica fide) Nepotem habuit *Thomam Dabishier*, in Episcopatu administrando Cancellarium, in perferendis aduersis commilitonem. Hic post carceres toleratos, exutus amplis possessionibus, quas ei & Auunculi gratia, & iuris Cæsarij Pontificijq, peritia (quâ doctoris gradum erat assecutus) pepererant, eo carius Societatem *Iesu* complexus est, quo sæpius in Sancti eius nominis obsequium adscitus fuerat. Nam *Philippo* & *Maria* imperantibus, Sodalitio cuidam *Nominis Iesu*, ad quod multarum distributio Eleemosynarum pertinebat, regio

diploma-

diplomate est præfectus, & non ita multo post in demortui suffraganei Londinensis locum, Sacerdotum alteri Collegio (quod mensam *Iesu* vocabant) vt præesset omnium votis eligitur: quod quanto in beneficio poneret testantur eiusmet responsa in hæc verba: "Qui me prius promouerat ad Fraternitatem *nominis Iesu*, qui secundo ad mensam *Nominis Iesu* inuitarat, tertio quoque in Societate *Nominis Iesu* collocauit, fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum nomen eius.) Quamquam non magis nomine quàm instituto Societatis delectatus ad eam adiecisse animum videri debet. Nam cum inter deliberandum hæreret anceps, & Salutis suæ in tuto collocandæ auidus, solitariam Carthusianorum viuendi rationem versaret cogitatione, adstans repentè clausis foribus vir ignotus, "Et tu, inquit, si Carthusianus futurus es, saluti tuæ consules, at vbi futurus est proximus,) ea voce discussâ est dubitatio; Societatẽ *Iesu* in qua vtrique dare operam posset, quasi digito monstrari agnoscens, *Lainio* Præposito eo tempore Tridenti ob negotia Concilij commoranti se obtulit.

Ex responsis ad interrogata.

Vocatur ad Societatem.

Ao. 1536.

X. Iussus Romam proficisci, & anno ætatis quadragesimo quinto in Societatem adscriptus primo Maij Anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertij, ante vota biennij migrauit Dilingam: Rogatus de more paratusne esset docendi subire munus quacumque in schola, & quamdiu obedientia constitueret, respondit scripto; "Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: neque dubito verum dixisse Christi vicarium in initijs huius Societatis, quando ista protulit, *digitus Dei est hic*. Dilingâ postquam aliquot annis gratum virtutis sparsisset odorem vocatus in Gallias, Tyronibus erudiendis datus est Magister Billomi; quo in munere cùm omnium virtutum specimen præbuit, tum discernendorum spirituum gratiâ inprimis claruit, vir comis, & ad omne seu conciliandæ, seu conseruandæ, exercendęque beneuolentiæ & charitatis officium comparatus. Parisijs per aliquot annos ad Sodales Parthenios latinè perorauit. Tum Mussiponti pluribus Doctrinam Christianam frequenti auditorio publicè tradidit, tantis eam & scientiæ & gratiæ ornamentis inspergens, vt & iucundissimè à Iuuentute, & magno cum fructu audiretur, & non ignobiles Theologi ampliori theatro quæ dicebantur digna esse censentes, nè semel pronuntiata perirent, sedula manu excepta referrent in commentaria. Versanti Parisijs accidit dignum memoria, quod & ipsius industriam, & Dei commendat in ducendis hominum animis admirandas artes. Communi iectus è Schismatis naufragio saluus Lutetiam appulerat doctor quidam Theologus, quo vetere amico Pater Thomas vsus fuerat: Hunc pro antiqua necessitudine cùm semel iterumque salutasset, statuit super exoneranda conscientia aggredi, & de totius ante actæ vitæ rationibus subducendis suadere. Igitur captâ occasione ingreditur sermonem.. Alter vt sensit quò oratio tenderet; "Nil pluribus, inquit, opus est; Ea ipsa est quæ me cura solicitat: Hac enim quæ proximè elapsa est nocte somnium incidit, quod & te mirari necesse est, & mei officij vehementer me commonet; videbar cum familiaribus mensæ opiparæ assidere; inter

Mittitur dilingam.

Deinde Billomum Catalogus Billom. 1568.

Tum Parisios & Mussipontum.

Somnium vtile dis. Babington

conuiuandum, vt fit, ingrediuntur Musici: Rogant an quidquam delectet audire? sanè, inquiunt omnes: tum vnus ad me conuersus, vis voce tibi præcinam aliquid? Per me, inquam licet; præcine. At ille inde â prima ætate mea telam retexens, cuncta quæ ad hanc vsque horam peccaueram ab oculos posuit, tantumque incussit horrorem vt nihil sit in optatis magis, quam vt onere isto me quam citissimè liberem.

Age igitur, subiungit Pater, duorum vel trium dierum interuallum cape, quò lustrata ætate vniuersa accuratius rem tam optatam peragas. "Neque id necesse est, inquit; tam enim clarè, tanquam ex ordine digesta teneo omnia, vt qualiscunque mora superuacua sit) Itaque confestim exquisitâ methodo repetens vniuersa, & quàm miris modis Deus electos suos iuuet docuit, & se ad viciniorem quàm sperauerat exitum quietiorémque hoc adminiculo comparauit: non enim longo post tempore morbo oppressus piè obdormiuit. Pater *Thomas* anno septuagesimo secundo quatuor Professorum votis adstrictus, Romam primùm, tum Mussipontum redijt, atque in senectute bona animam Deo reddidit, annos cùm expleset ætatis octoginta sex, in Societate verò vnum supra quadraginta. Qui antequam Angliam desereret, in dificilis carceris tædio, legitur aspectu imaginis Christi Sanguine manantis, quæ insperato ad parietem fixa emicuit, ad quælibet toleranda animatus; & in decliui ætate, cùm pertinaci morbo tibiam occupante, medicorum de ea secanda iudicium expectabat, Sanctorum Apostolorum beneficio, (quorum subsidium in festo illis die implorarat) periculum depulisse. Et quo tempore in Comitiis Societatis Generalibus, mortuo *Mercuriano*, ad Successorem deligendum conuenerant Romæ Patres, Parisijs cùm esset, rogasse Iacobum Tyrium magnæ auctoritatis & nominis in Societate virum, num Patrem quempiam *Claudium* nomine, Romæ nosset; ad quem Tyrius, noui equidem; sed quid rogas? Tum ingenito candore narrasse id quod acciderat:" surrexeram (inquit) de nocte Deum oraturus pro felice Patris nostri Generalis electione; cùm mihi apparere dignata est clementissima Mater, & spiritu meduxit in Patrum conclaue; Tum cæteros inter, Iuuenem quendam Patrem, *Claudium* nomine, manu produxit in medium, & congregationi indicare videbatur vt hunc eligerent.) Non vanam fuisse præmonstrationem probauit euentus, & Societati salutarem, & vitæ Thomæ cum insigni pietate transactæ non leue argumentum.

Vid. Annales Mus. sipotanos Anni 1604

Burghesius in Societe Virgi. Sacra ex erro re comuta. to nomine in Albigerum.

Adamus Brooche.

XI. *Adamus Brocus* honesto loco Londini natus, & humaniorum literarum disciplinis excultus, alrioris scientiæ studijs in Academia Oxonienſi quinq; annis dederat, cùm hæreseos flammam cuncta latè domi depascentē enauiga to mari fugiens, morum facilitate & ingenij præstantia tantū valuit, vt annos ætatis duos supra viginti numerans Societatem obtinuerit Romæ, exeunte anno eius seculi sexagesimo quarto. Post Probationes, Philosophiæ excolendæ rursus adhibitus, in Lithuaniam concessit, in ea deinde Prouincia primis Societatis muneribus cum laude perfunctus: Nam Collegio Vilnensi olim præ-

Admissus. Ao. 1564.

fuit

fuit Rector, & Nouitiorum demandata est ei cura per quadriennium; & Præfectum rerum spiritualium egit pluribus annis, ea vigilantia & accuratione, vt eorum locorum Annuæ litteræ disertè pronuncient, dici posse omnes fere eius Prouinciæ præcipuos Patres in Christo genuisse.) Præterquam quod inter hæc per viginti annos, Bransbergæ & Vilnæ, Conscientiæ, & capitum in quæstione cum Hæreticis positorum nexus apud frequentes auditores explicauit, non minori Doctrinæ quàm pietatis commendatione, Antistiti Vilnensi & Samogitiæ in primis carus, & apud clerum vniuersum in veneratione habitus. Anno octogesimo vti diximus, cum Patre *Gulielmo Good* Congregationi Generali interfuit, cum iure suffragij, at sexcentesimo quinto supra millesimum vitæ eximia cum virtute peractæ parem exitum iungens, omnibus sui reliquit desiderium, tertio nonas Iulij: ab anno septuagesimo octauo quatuor votorum professus. Munera quæ gessit.

XII. *Laurentius Arthurus* Fauntnæus in ijsdem regionibus scriptis etiam commentarijs Societatem illustrauit; quorum indicem cùm noster *Ribadeneira* & *Alegambe* diligenter texuerint, non erit lectori graue hic prætermittere. Ortus nobili familia Leicestrensi tempestiuè serpenti per Angliam Hæresi se subduxit; Nam annos non plus sedecim natus, cùm Louanij, inter Conuictores, Logicæ operam daret, in Societatem admissus est, anno septuagesimo. Româ deinde, emenso Theologiæ Stadio, in Poloniam missus, Posnaniæ diutissimè de Quæstionibus fidei disputauit, & proteruiam Ministellorum contranitentium, veritate de altiore loco proposita, & libris in lucem editis compescuit; non mediocrem existimationem tum morum insigni probitate, tum doctrinæ momentis in vniuerso regno consecutus. At Vilnę anno nonagesimo primo; post quatuor votorum recenter factam professionem, morbo correptus, præmaturè videri potuit humanis esse subtractus, nisi qui flores optimi Religiosis in hortis enascuntur, ijdem cælestibus pratis ornandis censeri debeant aptissimi. Laurentius Arthurus. Vid. Pitzium Ao. 1591.

XIII. Luxere & in Germania & per Belgium alij scientiæ & virtutum ornamentis clari. *Ioannem Vicæum* Oxoniensem Catalogus Ingolstadiensis memorat Philosophiæ & moralis Theologiæ Professorem. Idemque in indice Romano fertur Rhetoricam & Græcas literas atque alia docuisse. Tum post quatuor votorum Professionem in Augusto anni octogesimi octaui editam, Septembri insequenti è viuis sublatus est, cum viginti quinque annos in Societate vtiliter posuisset. Ioannes Vicæus.

Thomas etiam *Guilielmi*, & ipse Oxoniensis, post Philosophiam Romæ, Theologiam Viennæ in Austria auditam, vno anno tertiam Grammatices, at duos supra viginti Mathesim explicuit Olomucij, ab alijs interim muneribus obeundis non immunis; nam Ministri, procura- Thomas Guilelmi.

toris, Confessarij, Monitoris, & annis deinde tredecim in adolescentum conuictu subregentis officio est perfunctus. Et durauit is quidem ad annum vsque millesimum sexcentesimum vndecimum, Coadiutoris spiritualis formati gradum virtute & doctrina illustrans: atque annos in Societate cùm numeraret quadraginta septem, ætatis prope septuaginta, in senectute bona, quam animam cum fructu ad errantes ciues suos in viam reducendos ponere potuisset, Deo reddidit Cælestibus Ciuibus inferendam.

Richardus Storey.

XIV. Eundem Coadiutoris Spiritualis gradum virtute & laboribus, variis in Prouinciis, exantlatis, ornauit *Richardus Storæus*, Sarisburiensis. Nam Decimo sexto ætatis anno adscriptus in Societatem Tornaci in Belgio, inde per diuersa Collegia delatus in Germaniam, Classium inferiorum præceptis tradendis pluribus annis insudauit. Tum vocatus Lauretum, atque inde Florentiã, demum Viennæ Austriæ consedit, "vbiq & propriæ abnegationis, & humilitatis, virtutum denique solidarum quę ab vnoquoque nostrûm requiruntur, expressa linquens vestigia) vt de eo loquuntur annuæ Viennenses. Tertiò deinde expeditionibus Hungaricis aduersus Turcas implicitus, cùm ob singularem caritatem, quâ cunctos complectens singulorum necessitatibus seruiebat, omni ordini esset in deliciis, per incredibiles labores, & indefessum proximi iuuandi studium, melioris vitæ adiit hæreditatem, decimo octauo Septembris anni millesimi sexcentesimi. In diario quod sibi viuens fecerat industrius negotiator animarum, repertus est nouem mensibus, qui fuerunt eius vitæ postremi, notasse exceptas vulgi confessiones ter mille ducentas octoginta octo, non adnumeratis pluribus seu discipulorum nostrorum seu aliorum, qui totius vitæ rationes eo tempore apud ipsum deposuerant.

Annuæ viennenses 1600.

Ioannes Howlett.

XV. Similibus per Transyluaniam expeditionibus destinabatur *Ioannes Howlett* ex Rutlandia oriundus, cùm Roma profectus est anno supra sesquimillesimum octagesimo sexto. Admissus fuerat Louanij anno septuagesimo primo, quo tempore *Leonardus Lessius* inter Tyrones exercebatur ad ea quæ postmodum in Societate & gessit & scripsit eximia. At noster duos supra viginti annos ætatis recensens antequam natiui soli inclementiam fugeret, in Philosophia magister fuerat renuntiatus. Tum Societatem complexus, Theologiam audiuit Duaci: atque deinde decem annos continuos partim in Belgio, partim per Germaniam, Grammaticæ, Rhetoricæ, literis Græcis & Hebraicis, Mathesi etiam & Ethicæ, & denique præceptis de conscientia tradendis incubuit: donec Vilnam Lithuaniæ delatus altero post anno defunctus est.

XVI. Duo etiam *Rastalli*, *Ioannes* & *Edwardus* ex agro Glocestrensi admissi Romæ anno sexagesimo octauo, cùm nondum aperta nostris esset in Angliam via, Germaniæ iuuandæ destinati sunt. *Et Edwardo* quidem

inter

inter studia Theologica Ingolstadij perficiēda quid porro acciderit incertū. At *Ioannes* Sacerdotio ante ingressum initiatus, atque Hallæ Cōsultoris & Confessarii munere perfunctus, transmissus Augustam Vindelicorum atq; deinde Ingolstadij Rector memorabili edito facinore diem clausit extremum. *Paulus Hoffæus* earum regionum Prouincialis, magni nominis atque auctoritatis vir, graui afflictus morbo, iamque postremis Ecclesiæ adiumentis munitus, vltimam in horas opperiebatur vitæ periodum: Tanti viri iacturam non facilè ferendam arbitratus *Ioannes*" Quid, inquit, si me, inutile pondus, Deo pro huius vita deuoueam?) simul ad ædem Saluatoris octo millia passuum Augusta dissitam se cōsecraturus excurrit. Ratum habuit Deus Religiosum votum: Reuertentem opprimit ægritudo, & lecto affixum, ijsdem passibus quibus *Paulus* à morbo conualescit, absumit. Eoque fuit gratior hostia quo ad tantam suimet abiectionem præter vnam Dei & proximi caritatem, momenti nihil accedere poterat.

Memorabile votum pro salute. Prouincialis. Annuceæ Ingolstadij anno 1600. vide Zachinum 3. p. Hist. l. 5. n. 106.

XVII His etiam Prouinciis debetur memoria *Thomæ Stephansoni*, quem secundo extorrem vidimus Watenis. Brunæ tamen in Morauia posuit rudimenta Societatis: Tum Olomucij, & Pragæ, Rhetoricæ, Græcis etiam & Hebræis literis tradendis annos quatuordecim expleuit. Sed altius vt repetamus huius viri labores, Natus Windletoniæ in Episcopatu Dumelmensi, postquam Rhemis primum, deinde Romæ Philosophiæ & Theologiæ operam dedisset, Sacerdotio initiatus, in messem Anglicanam auctoribus *Alanio & Personio* missus est. In Februario anni octogesimi quarti, vt inueteratum in Catholicos, eorùmque in sacris adiutores odium consuetis calumniis & maledictis foueret Magistratus Hæreticus, spectatę doctrinæ & innocentiæ Sacerdotes duos scelerata nece sustulerat, *Iacobum Fen* & *Georgium Haddock*: postridie eius diei capitur *Stephansonus*, & in arcem Londinensem compingitur: ad dies viginti septem humus nuda lectus fuit, alios quadraginta vno minus ferro onustus iacuit; tum anno vertente, vndecimo calendas Februarias, vnà cum nouemdecim Sacerdotibus vinculorum sociis cogitur exulare.

Thomas Stephansō

Ita Ribadeneira l. 2. c. 38. Alij Iunio pro Ianuario signant

Inde Romam accersitus, *Personium* quædam ad Historiam adornantem aliquamdiu iuuit. Tum rursus in Anglia cùm pluribus annis strenuè laborasset, demum Watenis conquieuit septuagenario maior. Horis subcisiuis vitam *Thomæ Pondi* (quem infra memorabimus) ex ipsiusmet *Pondi* aduersariis iusto volumine contexuit, & plura *Personij* opera, vulgari scripta idiomate, latinè reddidit; digessit etiam historiam temporum ab mundi exordio, sed quæ exercitationi potius seruierunt quàm posteritati.

XVIII. *Ioannes Gibbonus* VVellensis Christi paupertatem sæculi commodis præhabens, Societatem amplexus est Treueris, octauo Octobris anni septuagesimi octaui. Studuerat Philosophiæ & Theologiæ in Collegio Germanorum Romæ, eo progressu vt in vtraque Lauream

Ioannes Gibbons.

Catalogus Treueren.

Lauream Doctoris adeptus sit; Paremque doctrinæ moderationem animi, & in proximum caritatem præseferens, ornatus est ex Gregorij decimitertij voluntate Canonicatu in Ecclesia Bonnensi non procul Colonia, Agrippina: At ille fluxas mundi spes dubiósque honores non alio loco habendos ratus quàm sapientissimi quique locandos semper arbitrati sunt, sibi prius perfectæque virtuti inuigilandum censens, Societatem petijt. In ea quantam sui excitarit sustinueritque existimationem testantur munia quæ plura gessit cum omnium constanti approbatione; tum etiam euentu non minus felici armatus in hæreticos stylus. nam cùm Georgius quidam Schone Heydelbergensis, datâ in lucem disputatione, Sacrorum apud Catholicos summum Antistitem notis AntiChristi contumelioscè aspersisset, abstersit illas facilè noster *Ioannes*, & hæretici hominis impudentiam docto calamo compressit; editis præterea commentariis de cultu Sanctorum, atque de Sacra synaxi sub vna specie: Auctorque meritò censeri debet eius operis quod inscribitur *Concertatio Ecclesiæ Anglicanæ* tribus libris comprehensa. Etsi enim *Ioannes Aquipontanus* (dictus apud suos *Bridgewater*) post remam manum adhibuerit, auctamque dicauerit Electori Treuerensi, anno nonagesimo quarto; vndecim tamen ante annis illam nostei *Gibbonus* iam prælo cõmiserat, vt Caluinistarum immanitatem in Catholicos Barbariemque vniuerso orbi traderet inspiciendam. Munera autem quibus in Societate functus est, fructus fuere doctrinæ & pietatis: Nam & Theologiam, & sacræ scripturæ quæstiones explicuit, & studiis cæterorum est præfectus; & post Conscientiæ inter nostros, & adolescentum in conuictu regimen, totius Collegij Treuerentis Rector obiit anno octogesimo nono, non minore prudentiæ in ducendis hominum animis laude, quàm pietatis & doctrinæ in etudiendis.

Richardus Gibbons.

XIX. *Richardum* huius fratrem, natu quidē minorem, sed in Societate antecessorem, hic attexere non erit importunum, nam inter Belgas consenuit, rarò & quasi precariò Anglorum auxilio adhibitus. Inferioribus disciplinis imbutus in Anglia, Philosophiam vno anno Louanij, altero audiuit Romæ in Conuictu Germanorum: Tum anno septuagesimo secundo in Societatem receptus, rursus Philosophos per tres annos euoluit; atque emenso Theologiæ stadio, Mathesi ac Philosophiæ tradendæ quâ Romæ, quâ in Gallijs tredecim annis insudauit: Sacros etiam Codices, & Hębrea explicauit Conimbricæ; & quatuor votorum eâ in Academia celebratâ professione, Anno nonagesimo primo, iterum Mathematicis enucleandis datus est Louanij, atque aliis in Societate consuetis muneribus exercitus. Et quanquam Audomari aliquando concionatorem in seminario egerit, & alia obierit munia, Duacum tamen fuit ei fere perpetua constansque sedes. Hic decachordum Viguerij, Additiones ad Toleti institutionem Sacerdotum, Amadei orationes, Harpsfeld. j historiam, & alia in lucem protulit, & habebat præ manibus Patrum sententias Alphabeti ordine per capita digestas; ingens opus, & improbi laboris, promptamque Concionaturis materiam ferens, quacunque demum de re dicendum esset;

esset; sed lucis huius vsuram parienti mors eripuit priusquàm fœtus formari ad lucem posset; quanquam octogenario seni non tam animi, quàm anni defuere, quibus aliorum diligentiæ in simili opere iam euulgatæ colophonem imponeret.

XX. In indicibus Belgij quatuor alios reperio operam vitamque cum laude doctrinæ & pietatis Duaci posuisse: Nam *Rogerius Bolbett.* Staffordiensis, cùm post decem fere annos in Societate expletos, se obsequio infectorum in ea Ciuitate deuouisset, & magna cum animi voluptate Sacrosanctam Eucharistiam atque extremam vnctionem morientibus administraret, tabe tandem ipse correptus est. Tum vbi in brachiis sparsas aspexit contagionis notas, eas tanquam Dei in se beneuolentiæ pignora exosculans, munitus ad iter extremum Ecclesiæ Sacramentis, post vota Religionis piè repetita, Sanctissimum *Iesu* nomen inclamans, animam Creatori reddidit, secundo Septembris, Anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi tantâ apud omnes opinione Sanctitatis, vt Ciues Duaceni monumentum quod solo extaret, sumptu communi, ad futuram eius memoriam, erigere cogitarent. *Ioannes* verò *Burstardus* Oxoniensis anno ætatis vndeuigesimo admissus Louanij, peractis probationibus Metaphysicam explicandam confestim accepit; deinde emensis feliciter Theologiæ spatiis, Duacum translatus, Philosophiam ab ouo exorsus est tradere; sed mors præcox ingenium intulit Cælo, antequam vel annum in ea tradenda disciplina, vel ætatis suæ vigesimum septimum expleret.

Rogerius Bolbett.

vid. Zacchinum p. 3. Historiæ Societatis l. 8. n. 228.

Ioannes Burstard.

Catal. Louanij A. 70 & Duacen. An. 76.

Thomas Martialis Sacerdos, Philosophiæ & Theologiæ laurea decorus, Societatẽ iniit Louanij. Tum Duaci nouem annos Philosophis elucidandis insumpsit; Romam deinde vocatus ad munus Confessarij in Anglorũ contubernio, non diu superfuit, nam morbo oppressus, cùm ad opportuniora curationis remedia in Collegium Romanũ fuisset delatus, emissa quatuor votorum Professione, piè animam efflauit, vndecimo calendas Augusti, Anni 89. supra sesquimillesimum. Fertur moriẽs cùm Crucifixi complecteretur effigiem frequenter in hæc verba prorupisse: *Quid sunt, ô bone Iesu, hæc vulnera tua, nisi peccata mea?* Denique *Ioannes Columbus* Deuonensis, anno vigesimo sexto ætatis ingressus Societatem Louanij, Duaci deinde confessionibus Anglorum in Seminario præfectus est, & habuit de Superiori loco conciones ad annum octogesimum secundum, quo diem clausit extremum, decem in Societate annis expletis.

Thomas Martialis Catal. Audomarens. An. 84.

Ioannes Columbus

XXI. Vidimus etiam Duaci Patrem *Thomam Coniers*, qui post acceptam Philosophiæ lauream, in Societatem cooptatus Tornaci, anno octogesimo quarto; post humaniores literas, logicamque Duaci traditam; post Lendium, Bapalmiamque, in finibus Gallorum, improbo labore excultum; póstque alia Societatis munia, tum Romæ anno sexcentesimo, tum deinde in Belgio obita, *Dionanti* Eburonum demum fixit sedem Apostolico ritu villas pagósque & vastam Arduennæ solitudinem percurrens, egentissimorúmque hominum sitientes animas Christianæ doctrinæ riuis tam indefesso labore irrigans,

Thomas Conuers.

Bartolomeus Fizen in floribus Ao. 1607.

gans, vt magnum Ciues omnes inceſſerit deſiderium ſocios in eam vrbem aduocandi, quorum opera perpetuarentur fructus quos Patris *Thomæ* cultura produxerat. Pridem apud illos ſub Laynio increbuerat Societatis exiſtimatio, Henrico Somalio ſedulam nauante operam; Scholas etiam hic aperuerat, formam aſſectans Collegij, at Laynio inconſulto. Annis deinde plus decem cum turbulentorum temporum difficultate colluctans ipſa ſua tenuitate deſierat, donec Thomæ feruore nouis excitatis ignibus deſiderium rurſum exarſit homines Societatis aduocandi fouendíque: Miſſi Leodio primum aliqui qui agrum per interualla excolerent; tum firmior data ſtatio; quę circa huius ſeculi annum duodecimum excreuit in Collegium. Condito Collegio, Thomas in omnem latè Prouinciam excurrit: nam ab Hannonię finibus ad vſque Germanorum limites inſigni operæ pretio ſe diffudit, omnis conditionis homines complexus Nullos itinerum amfractus refugiebat; per auia montium atque ſyluarum, per niues denſámque grandinem, per calores, æſtuantémque ſolem, rudiorem populum euocare delicię erant. Tum ardore dicendi pro concione ad altiora commoto, vel aures confitenti præbebat, vel Catecheſin de plano explicabat horas occupatis commodas aucupans ante ortum vel poſt occaſum diei. *Baſtoniæ*, vrbe mediâ ferme Arduenna, non minus olim neglecto animarum cultu, quàm ſterilitate ſoli miſerabili, parem locauit operam, pari cum fructu; tantáque fuit erga illum populi veneratio, vt quacunque die vel hora datum eſſet ſignum, relictis familiaribus negotiis ad eum audiendum conflueret; Cumque ea eſſent tempora vt impetrari non poſſet à Societate eo loco Collegium, quemadmodum ſummis votis expetebatur, auctor fuit magiſtratui vt ex alio ordine Religioſos homines accerſeret qui in concepto pietatis ardore Ciuitatem & vicina fouerent. Eodem conſilio honeſtas Virgines Cælibatum amplexas & ſpiritualium rerum ipſo magiſtro non imperitas, Dionanto eductas, ſcholis præfecit puellarum; quò honeſtis moribus & Chriſtianis præceptis à teneris imbutæ, familiis deinde liberíſque cum virtute præeſſent. Nihílque illi erat difficile cui in omnium animos imperium conciliarat innata integritas, atque ardens diuinæ gloriæ ſtudium, cum inſigni modeſtia, atque animi demiſſione coniunctum In veſte paupertatem coluit, in cibo parcimoniam, in omni vita orationem: Nam & in itinere ferè precabatur aſſiduè, & cruces per agros obuias, atq; arboribus affixas Sanctorum imagines pronus in terram venerabatur, ſe ſuóſque Deo & Sanctorum hominum tutelæ commendans. In his cùm ad annum ætatis ſeptuageſimum 7. Societatis quinquageſimum tertium duraſſet, redeuntem per feſta natalitia ex agris morbus corripuit, qui ei fuit extremus. Cùm primùm ingreſſus eſt Tornaci Tyrocinium tam acribus renum ac veſicæ doloribus cæpit affligi, vt ſine Societatis incommodo cæptis inſiſtere non poſſe medici pronuntiarint: Iuſſus eſt ergo Societatem relinquere: At ille magno ardore animi optimam Dei parentem precatus, omnem mali vim ita ſenſit extinctam, vt ſanitate (eius ope vti Religioſè credidit) recepta, Societatem repetierit:

tierit: Hæc illum ægritudo senio confectum ac laboribus postremùm occupauit; quo testatum videri voluit Beatissima Virgo, suum fuisse beneficium quidquid ille in Societate aut laborasse aut vixisse potuit: decumbens non cessabat Charitatem Societatis in immerentem prædicare; denique Christianis armis ad certamen vltimum munitus, nono Calendas Februarij Anni millesimi sexcentesimi trigesimi noni, vita hac mortali relictâ immortalem est auspicatus. Ab anno circiter sexcentesimo professus trium votorum; nam quartum Romę sibi delatum ex humilitate non admisit.

XXII. Cęterorum quos dies abstulit in vtraque Germania, vt vita breuior ita quæ laudi verti potuissent ex initiis potius coniicienda quàm ex fructu prædicanda veniunt *Aegidius Fezard*, admissus Romę, abiit post studia Pragam, socius Patris Ioannis Pauli Campani Tyronum Magistri, & anno vno superfuit. *Hugo Scriuener* Herefordiensis, Syntaxin docebat Brunæ anno nonagesimo, neque plura memorantur. *Guilielmo* etiam *Powello* Diœcesis Assaphensis, post decem annos in Societate positos, & traditas humaniorum literarum disciplinas, quid ab Coloniæ commoratione anno nonagesimo septimo euenerit non liquet *Elizæus Haiewood* Londinensis, Iuris Cæsarei licentiatus, cùm operam rudibus in fide instruendis Hallæ aliquamdiu vtiliter posuisset (quo munere mirificè delectabatur) in Belgium profectus, & Concionatoris, & Præfecti spiritus officiis functus Antwerpiæ, demum Louanij diem clausit extremum, anno ab Societate inita duodecimo. Quâ animi libertate se facultatibus exuerit cùm Societatem iniit, *Euerardi Mercuriani* Generalis literæ ad eum decimo quinto Ianuarij Anni septuagesimi quarti scriptæ luculenter ostendunt. "De bonorum vestrorum distributione (inquit (non possum non valde probare quod Pater *Franciscus Borgia* Sanctæ memoriæ constituit, suaque Reuerentia habuit ratum, nimirum vt æquis partibus suæ, Louanienſi, Colonienſi, & Monachienſi Collegijs portiones obtingant. De altero florenorum quingentorum reditu, quem meo arbitratu relinqui integrum scribitis, non video cuinam Collegio fructuosius quàm Louanienſi ea bona legari possint) Hæc *Mercurianus Elizæus* verò quæ plerique bona, quasi per excellentiam, vocari volunt, nè in bonis quidem habuit. *Philippus Harrisonus* Oxonienſis, confectis Mussiponti studiis, in Philosophia laureatus, eandem Herbipoli professus est; deinde etiam Ethicam, & Mathesin; demum Romam vocatus ad Sanctum Petrum, atque edita quatuor votorum Professione, in Angliam profectus altero post anno diem obiit.

Aegidius Fezard.

Hugo Scriuener.

Guilielmus Powell.

Elizæus Hajevvod.

Philippus Harriton.

Guilielmus Aetonus Derbiensis Philosophiam vtramque & Mathesin tradidit Coloniæ, Treueris, & Moguntię; tum Molshemij de Conscientia quæstiones; cæteriſque deinde tanto vero dignis muneribus ibidem perfunctus est, ad annum vsque sexentesimum sextum. *Adamus Higgins* Londinensis, Dilingæ & Ingolstadij nouem annis Philosophos est interpretatus; Historiam etiam Sacram & prophanam, & de moribus dubitationes. Hic annis grauis venit Louanium, atque ea propter Olyssiponem primùm, deinde Hispalim

Adamus Higgins.

transmissus est, tum Alumnis Seminarij, tum Anglis institoribus futurus à Confessionibus; vbi consenescens, laborum simul & vitæ finem accepit, post annum sexcentesimum decimum quintum. *Robertus Ardrenus* Cicestrensis, admissus Louanij septimo Aprilis anni sexagesimi quinti, per omnia penè Societatis Ministeria gnauum se probauit operarium: nam & humaniora & Matheſim explicuisse memoratur, & functus muneribus Ministri, Procuratoris, Præfecti spiritus, Concionatoris, Pœnitentiarii in Lauretana, & Sancti Petri æde; quo tamen loco ad supernæ felicitatis præmia euolauerit non reperio. Hos habuit Septemtrio.

Robertus Ardrenus

In Italia qui claruere.

XXIII. Hospitii & educationis nomine quantum Italiæ atque Hispaniæ debeat Anglia, tam cunctis per Europam gentibus est perspectum, tam peruulgatum, vt neque silere fas sit, nè ingrati, neque sat promptum dicere nè in summo beneficio minus eloquentes videamur; & quanquam aëris victusque à natiuo discrepantia interitum multis attulerit, plures tamen vtraque reddidit Angliæ quàm sustulit operarios. *Humphredi VVoodward* celebris est memoria Mediolani; vbi sacros codices annis pluribus insigni cum opinione reconditæ eruditionis explicuit, & Psalmos Dauidicos docto Commentario illustrauit; Eius Commentarii meminit Posseuinus in Apparatu; & extare in hunc diem manu scriptum ea in Prouincia locuples est testis Ioannes Stephanus Menochius, qui ei Prouinciæ & Romanæ quondam præfuit, eodem in genere scriptor inter laudatissimos. *Humphredum* cùm trigesimo Nouembris anni octogesimi septimi excessisset è viuis, literæ Breranæ hoc elogio ornant, "Obiit *Humphredus* Anglus Sacerdos, mira vir eruditione, & scientiâ Dei colendi.")

Humphredus VVodvvard.

Habetur in in Collo. Romæ inter M. SS.

Edmondus. Harevvod.

Edmundum Harewood post gradum in Philosophia adeptum antequam in Societatem adlegeretur, & Theologiæ deinde stadium Romæ decursum, vrbs perpetuum habuit inquilinum. Nam vel apud Sanctum Petrum Pœnitentiarius, vel in Anglorum Seminario Minister, annos vndeuigenti explesse reperitur: tum valetudinis resarciendæ causa delatus ad domum Probationis in monte Quirinali, sanctè perhibetur obiisse, vndecimo calendas Octobris anni nonagesimi septimi. *Simon* etiam *Hunt* ante Edmundum, vigesimo septimo Aprilis anni septuagesimi octaui admissus, dum eodem Pœnitentiarij munere fungeretur, diem obiit 11. Iunij, anni octogesimi quinti. *Richardus* verò *Tancredus* viginti duorum annorum iuuenis, studiis Olomutij & Pragæ decursis, traditisque per biennium græcis literis Viennæ, vocatus in Italiam, diem clausit extremum Patauij, tertio decimo Septembris anni supra quingentesimum nouagesimi sexti.

Richardus Tanered.

Thomas VVarcoppus.

XXIV. *Thomam* quoque *VVarcoppum* vidit Sicilia non diu quidem superstitem, sed memorabili Dei misericordiâ commotum, vt deserta hæresi in qua educatus, orthodoxam fidem, ac deinde sanctiorem viuēdi rationem amplecteretur. Tertium & vigesimum annum attigerat, litteris non leuiter tinctus, & in tractandis quæstionibus ab Nouatoribus in disceptatione

ne

ne positis sat, vt sibi videbatur, promptus; Hic seu discendi, seu calumniandi, aut docendi causâ (vt est id hominum genus pronum ad ostentandã scientiam venerat Rhemos, quam ad ciuitatem recenter transiatũ Duaco fuerat Anglorum seminarium: Hospitabatur apud ciuem Catholicum: Hunc die quadam ad Templum matutino tempore progredientem rogat *Thomas* se socium habere velit: Annuit hospes, spondeat modò facturum se in æde sacra quod cæteros cerneret facientes: in Sacrosancto sacrificio, interim dum Sanctissima Hostia & Calix eleuantur, qui flexis genibus assistebant pectus de more tundunt; tundit & *VVarcopus*; Et reuertentem domum hospitem interrogat, "Quid rerum, bone vir, agebat Sacerdos ille cùm ad manus in altum elatas se populus tam sancta ceremonia percutiebat?) venerabamur (inquit hospes) Christum Dominum nostrum in sacrosancta hostia, quam tunc monstrabat Sacerdos, & in Calice præsentem, quemadmodum nos ipse Christus, & Ecclesia docent." Hostiam & Calicem tu memoras? ego verò neutrum vidi.) at nos vidimus omnes: Ea cæcitas *VVarcopo* saluti fuit; quos oculos curiositas clauserat, hos Deus humiliato aperuit: Ecclesiæ redditus, & Romæ post aliquot annorum studia factus ipse Sacedos, tum in Siciliam corrogandæ pro Rhemensibus Eleemosynæ causa transmissus Societatem petiit, anno octogesimo septimo: Festo die Resurrectionis dominicæ admissus Messanæ & nondum finitis probationibus euocatus in Hispaniam ad nouum quod fundabat Rex Catholicus Seminarium, in itinere finem viuendi fecit Alicanti, decimo nono Octobris anni octogesimi noni.

XXV. *Guilielmus Brunsleyus* aliquantum dissimili ad Societatem prodigio adductus, quamquam virtutis studio & contentione currendi longioris vitæ cursum æquauit, integrum tamen Tyrocinij tempus non expleuit. Is natione Anglus, cum in hortis quibusdam inambulans de vitæ quam institueret genere cogitaret, manifestam Saluatoris speciem vidit cuius & aspectu & tacito hortatu, ad humana linquenda impulsus, facilè animaduertit illi se potissimum cœtui adiungi debere, qui eius quem videbat & vitam sectaretur, & gereret nomen: Viso cùm certa eius asseueratio, tum maximè inculpati mores fidem fecere. Cuius illustre pro castitate seruanda certamen, cùm literæ anni octogesimi quinti fusè narrent (licet characteribus nominis paululum per errorem commutatis) illud huc transferre non erit iniucundum. *Guilielmus* inquiunt, *Brusbeus*, Anglus, in Romano Collegio post initam Societatem mortuus, claris domi suæ ortus natalibus, cùm annum ageret quartum decimum, studiorum causâ Duacum mittitur, vbi primùm Societatem nouit, eiusque opinione nonnulla mentem de ea complectenda suscepit: quæ cogitatio quoniam radices nondum egerat, post eius in Angliam reditum, oblitione potius quàm voluntate excidit. Agebat alterum & vigesimum ætatis annum cùm arcta esset ei cum claro & Catholico viro coniunctio; & suadere cæperat amor, vt assol-

Guilielmus Brunsleyus

Primi sæcul l. 2. p. 235.

Annuæ 85.

let, necessitudinem arctiorem, nouámque per nuptias propinquitatem. Spondet ille *Guilielmo* Sororem suam, si velit ducere, & vt velit hortatur & vrget. Contra amicitiam fieri videbatur sponsam talem repudiare, nec abhorrere se â nuptiis significauerat adolescens. Amabatur à Virgine, & ipse Virginem adamabat, & familiaritate contracta multæ vnà consumebantur horæ, ex qua tamen nihil in animum adolescentis, Deo protegente, irrepsit quod officeret castitati: Sed nè quis in terris hunc sibi florem præriperet, imbecillæ Deus misertus adolescentiæ, veteres illi cogitationes ad memoriam redigit, & pristina Societatis studia, quæ sopita videbantur, accendit Et tanta fuit ardoris vis, vt abiecto nuptiarum consilio, spretísque non modò quas possidebat opibus ac fortunis, sed spe etiam certa paternę hereditatis, adornarit repentè fugam. Id puellæ mater fratréſque odorati *Guilielmum* adoriuntur, & subiti reprehensione consilij violatęque fidei deducere de mente conantur. Circumsident mulieres lachrymis ac precibns, fratres minis ac terroribus; Religionem obiiciunt datæ fidei, nec iam licere contendunt semel initum matrimonium & verbis & crebris argumentis amoris, saluo officio & Religione dissoluere. *Guilielmus* nec fidem datam testabatur esse, nec verbum vllum factum, vnde id argui posset. Post multa vltro citróque agitata, puellam abditâ in cubiculum monent aperto repente ostio prosiliat, & quem iure ac verborum contentione non posset, blanditiis precibùsque deliniat. Prodit igitur ex constituto puella, non minus ab arte compta, quàm à natura, & tum orationis suauitate, tum querelarum dulcedine animum pertentat adolescentis; orat omnibus precibus ne se respuat; negat quidquam esse vel in suis natalibus, vel in naturæ fortunæque muneribus quod despiciat: fraternæ det hoc amicitiæ, det suo quoque amori, vt tam expetitam, etiam penè initam matrimonij Societatem sanciat, habeátque rationem cùm personæ tum dignitatis suæ, cui sempiternam dedecoris notam, si ab eo repudietur, inuret. Ille surdis ad hęc auribus, de castitatis magis bono, quàm de parta amicitia solicitus, tacitus, nullique dicta salute, ex iis ædibus euolat: Mox in Gallias trajcit, nec ita multo post, cùm Romam, quò Deus duceret, peruenisset, nondum exacto Tyrocinij biennio, ipso virtutis studio & contentione currendi longæ ætatis cursum æquauit, & è carceribus vix emissus subitò euolauit ad metam. Pergunt deinde litteræ illæ modum vocationis recitare quem ante
Pag. 147. descripsi. Et hic forte ille est antiquæ & opulentæ familiæ in agro Somersettano iuuenis, quem Aquipontanus in Concertatione narrat sub disciplina domestica Iacobi Fen, postea Martyris, tantam in fide & virtute hausisse constantiam, vt nullis allectamentis abduci potuerit, suaque sponte patriâ relictâ, superatóque mari, vt se totum Deo traderet, Societatem nominis *Iesu* ambiuisse; admissum paucis mensibus expleuisse tempora multa, obiissęque sanctè non multò antequam is liber anno octogesimo octauo primum in lucem ederetur.

XXVI.

XXVI. *Guilielmus* etiam *Hartus* octodecim annorum iuuenis, inter primos in Collegium Anglorum Romæ cooptatus, cùm Societati nomen dedisset, biennio nondum euoluto, ex Romano Collegio in cætum Angelorum adscribendus transiit. *Guilielmus* alter *Brokesbeyus*, Diœcesis Wintonienſis, annis & is probationis non expletis decedens, veterani lauream accepisse non immerito videri potest; nam hoc elogio celebratur. " *Guilielmus Brokesbeyus* è prima nobilitate, stirpsque familiæ, post susceptam ditionis paternæ possessionem, alterum & vigesimum annum agens, animi dotibus & oris figurâ cæli quàm terræ incolis propinquior, omnia, & simul sponsam (quam ad perpetuam virginitatem, vt ipse faciebat, colendam hortatus est) Religioni posthabuit; Romæque inter Alumnos ad annum Conuictor, inde ad Societatem, tum ad Cælum ex ea euolauit) His iungi posset socius *Georgius Gilberti*, Patrum nostrorum aliorumque in Anglia Sacerdotum turbulentissimis temporibus hospes, comes, & fautor munificentissimus qui sub idem tempus in Collegio quidem Anglorum finem fecit viuendi, emissis tamen prius ex voluntate Reuerendi Patris Generalis Societatis votis. Sed oportunior erit causa in eius laudes excurrendi, cùm ad *Personij* labores ventum fuerit: Per cuius viri industriam singularem (Personij inquam) cùm constans apud exteras nationes copia fuerit nostris vel erudiendis, vel per varia munia perficiendis, eorum memoriæ reliqua historia dabit campum laxiorem.

Guilielmus Harte.

Guilielmus Broosresbey.

Georgius Gillbert.

XXVII. Quos verò his initiis complexa est Societatis propensa voluntas, palam est non omnes stetisse immotos. Alij à principio fluxo nixi fundamento, alij suarum cum tempore mole cogitationum corruêre. Narrat Zacchinus in Borgia de *Edwardo Thorne*, annorum viginti quatuor iuuene Anglo, qui nullo aut virtutis, aut fidei certo proposito, paupertate sola impellente, Societatem petierat, & Tyronicij nondum confecto biennio, Rhetoricæ dabat operam Dilingæ: Huius vitium animi hac ratione detectum est. Dubitabatur ijs diebus de *Klesselio* quodam & *Simone* Philosophis, an rectè de Religione sentirēt: Ineunte anno noui dabantur Præceptores; Hinc sumpta est occasio decreti Pij quarti de professione fidei faciendæ exequendi: proponitur cunctis; Conscientiâ (vti aiebat) reclamante negat *Edwardus* posse se in illa verba iurare, daturum se alio loco rationes. Perturbauit eminuerò adstantes hæsitatio inopina adolescentis, qui tam cautè cuncta simulauerat vt nullâ tangeretur suspicione. Semotis arbitris rogatus causam, respondet, Cultum Sanctorum, purgandarum animarum flammas, Christi in Sacramento præsentiam & plura alia non esse sibi tam certo cognita vt tanto sub onere audeat assentiri. Docetur in iis quæ huius generis suâ naturâ obscura sunt, standū deniq; esse sententiæ vniuersalis Ecclesiæ, quæ certa est veri regula & firmamentum. Dies plures disputando consumuntur: suo demum ingenio cùm plus daret quàm Pontificum omniū, conciliorumque placitis, in itinere ad Prouincialem Ingolstadij commorantem non sat diligenter custoditus elabitur, & in vicino

Admissi non omnes perseuerāt

Edvvardus Thorne.

Dilingæ oppido hæreticis ſe adiungit. Et illo quidem tempore *Kleſſelius* & *Simon* nullo edito dubitationis ſigno latuêre: Vterq; tamen non ita multo poſt, Societatem & fidem deſeruere exitu diſſimili; nam *Kleſſelius* poſtquam aliquamdiu per incerta opinionum vagatus fuerat, ad mentem rediit, & auitam fidem verbo ſcriptóque propugnauit: *Simon* dum Louanii in Societatem ſtringere parat calamum, repentè ab obuio inimico oppreſſus occiditur.

Thomas Longdall.

Non diſſimili ab *Edwardi* ſtratagemate, ſed lapſu grauiori, *Thomas Longdallus* Sacerdos poſt annos fermè viginti in Societate poſitos ſe ſuoſque dehoneſtauit. Cum enim conſtet admiſſum fuiſſe Romæ vigeſimo primo Maij anni quingenteſimi ſexageſimi ſecundi, Anno deinde octogeſimo ſecundo narratur eius fuga his verbis. " *Thomas Longdallus*, vir ætatis doctrinæque maturæ, Laureti Romæq; Pœnitentiarij munere functus, muneribus præterea ſat grauibus geſtis, cùm ab Generali Romam accerſeretur, Anglicanâ Genuæ nactus nauim, incertũ quâ de causâ in Angliam fugit, ibíque turpiter apoſtatauit. Et forte hic eſt ille Doctor *Longdallus* quem memorat *Perſonius* in notis, ſparſiſſe in vulgus ſub id tempus tractatum de adeundis ſectariorum ſacris non obſtante Edicto Regio, & mulctâ in eos qui non parerent: quem multi infirmi ſecuti in Schiſma defecerunt, donec editis ab ipſo *Perſonio* & aliis, de non frequentandis his ritibus libris, docerentur aliter nullâ lege latâ, aliter latâ ad conformitatem extorquendam eſſe iudicandum. Huic enim maluerim hanc turbationem adſcribere, quàm *Alano Longdallo* cui, teſte Pitzæo, pietas, eruditio, & diuinæ gloriæ zelus magnum nomen peperit, claruítque id temporis Elizabetha regnante.

Chriſtophorus Perkins.

XXVIII. *Chriſtophorus* etiam *Perkins* acceptis non rectè vtens Dei donis, cauſa fuit cur à Societate dimitteretur; fidei deinde orthodoxæ non minus quàm Societati iniurius. Admiſſus Romæ vigeſimo primo Octobris anni ſexageſimi ſexti nouendecim annorum iuuenis, poſt Tyrocinij & Philoſophiæ annos in vrbe decurſos, Theologos audiuit Dilingæ, eo profectu vt Iacobo de Valentia adderetur aliquando in prælegendo ſocius Ingolſtadii: Perſeuerauítque ad eius ſeculi annum circiter octogeſimum: Tum Coloniæ, & alibi per Germaniam, cùm plus nimio inquieto & ſuperbo indulgens ingenio, res domeſticas externáſque turbaſſet, neque monitis acquieſceret, carere illo maluit Societas, quàm ea quâ ipſo retento non ſperabat frui pace priuari. In Anglia, honeſta corporis forma, & doctrinæ opinione Eliſabethæ gratiam conſecutus, Eccleſiaſticę diſciplinæ conſeruatoribus annumeratus eſt, & Equitis aurati titulo auctus, negotiorum causâ miſſus Legatus in Daniam, ad Heluetos etiam Venetóſque. Tum Iacobo regnante fertur concinnator illius fuiſſe Iuramenti quod fidelitatem ſubditi cum Pontificis poteſtate committens multorum ſcientiam conſcientiámque exercuit, ac demum Pauli quinti & Vrbani octaui literis damnatum eſt. Denique annis grauis, quam vitam in morum licentia traduxerat, licenter clauſit, nullo dato pœnitentis animi ſigno, quo meliorem in futuro tempore ſperare poſſet.

XXIX.

XXIX. Alijs admissis licet perseuerantia defuit, vitam tamen cum virtute coluere: Vt *Hugo Grifidius*, *Ioannes* & *Thomas VVrighti*, & celeberrimus inter huius ætatis scriptores *Thomas Stapletonus*; quem Indices Belgici Tyronibus anni octogesimi quarti accensent; scripserátque in vrbem de fælici sua sorte, in qua *renouanda esset sicut Aquilæ iuuentus* Quid illud tandem fuerit quod virum patriæ, opinióque apud suos Sacerdotij pro fide conseruanda contemptorem, à Religioso proposito dimouerit, incertum est. Aiunt consueuisse dicere, " suam infirmitatem imparem fuisse obedientiæ quam Societas colebat.) Quò tamen vir ille illustrior, eò sanctior Societatis existimatio. Dotes eius his verbis Pitzæus persequitur " erat acris ingenij, solidi iudicij, summæ eruditionis, incredibilis industriæ, laboris, zeli; Concionator facundus simul & vehemens, in fidei controuersijs valde versatus, sacras scripturas quasi ad vnguem calluit: Denique in omni melioris doctrinę genere tantam consecutus est perfectionem, vt inter eruditissimos ętatis suæ viros non immerito sit numerandus) Apud Pontificem etiam *Clementem* tanti fuit nominis, vt post *Alanum* Cardinalem in Patrum purpuratorum Collegium assumendus existimaretur, nisi mors eum in procinctu occupasset. Quantum vero ab egressu, Societati tribuerit, discere licet ex iis quæ ad Claudium Aquauiuam Generalem Duaco scripsit quinto Maij, Anni millesimi quingentesimi octogesimi septimi, in hæc verba, " quod verò spiritualis vitæ fundamenta in Societatis vestræ Tyrocinio iacta non mihi penitus excidérint, testis opinor esse poterit hæc Academia, quæ me iam ab aliquot mensibus Dei Verbum assiduè prædicantem audiuit: quem laborem nescio an vllo pretio suscepissem, antequam in scholæ vestræ disciplina zelum animarum imbiberam. Humiliter Rm. Paternitatem vestram rogo vt inter Societatis vestrę minimos amicos meam exiguitatem numerare dignetur, siue hic, siue in Anglia; si tamen eò nos tandem post amplius quam mediæ ętatis meæ exilium reuocare Deus dignabitur: Et verbo & opera me Societatem vestram colere, diligere, ac venerari ostendam.

Hugo Grifidius. Ioannes & Thomas vvright. Thomas Stapletonus.

Laudes Stapletoni.

XXX. Nunc ad alios alio in orbe laborantes Anglos reuertatur oratio; silentio enim præteriri non debet eorum ardor animi, atque promptitudo, qui vel obedientiam ducem secuti, vel altiùs terrenis omnibus mente suspensi, atque in ardua quæque vndecunque se offerrent intenti, patriæ posthabitâ curâ, (quoniam in eam aut nullus patere videbatur ingressus, aut quia id etiam perfectionis partem explere censebant, vt quę alijs cariſsima esset negligeretur) ad immensa in Indiam vsque itinera emetienda se vitamque suam consecrarunt. In iis fuere *Edmundus*, quem dixi *Harewood*, & *Thomas Cottamus*, qui etiamnũ Nouitij eam petiuere missionem, sed non obtinuerunt. Obtinuerunt *Ioannes Yatus*, & *Thomas Stephani*: Ille 4. Decembris anni septuagesimi 4. Societatem ingressus, superstes in Brasilia memorabatur anno sexcentesimo primo: Post tertium verò deinde annum, cùm ætatis quinquagesimum quartum, Societatis vigesimum nonum numeraret seu patriæ desiderio, seu alia de causa

Qui in Indias Profecti.

Ioannes Yatus.

de causa Angliam repetens, & in vincula coniectus, sanctè quidem, vt vixit, & Societati coniunctissimus, sed vt tradunt aliqui à votis, propter iter, liber, decessit, solitus cùm ex nostris aliquem leuiusculè quidpiam agentem conspexisset dicere; *Hoc in Societate non didicisti, Frater.* Alij etiam defunctum inter socios recensent: In fastis enim anni huius sæculi quarti supra vigesimũ reperitur *Ioannes Yates* Sacerdos septuagenario maior obtinuisse vt in articulo mortis reciperetur; omnibus cùm liber, & cum in carcere teneretur, modestiæ, & pietatis relicto exemplo. *Thomas* vero *Stephani*, Diœcesis Sarisburiensis, vno anno post admissus, cùm ardentissimis votis Missionem Indicam expetijsset, Goam peruenit vigesimo quarto Octobris anni septuagesimi noni. Tum Malabaricæ linguæ non vsum solum, sed peritiam assecutus, Salsetani Collegij quinque annis Rector, vndeuiginti Paræcias ea in Insula narratur excoluisse, plurimaque non gessisse modo, sed scripsisse illi genti in futurum profutura; quanquam pluribus etiam in Societate muneribus functus sit, vt Ministri in domo Professorum Goana, socij Visitatoris, & alijs, laboris in ea vinea ad mortem indefessi; & superfuit ille quidem ad annum sexcentesimum nonum, Coadiutor formatus ab anno sesquimillesimo octogesimo nono. At huius atque aliorum tam longinqua peregrinatio ansam dedisse videtur *Alano* sub hoc tempus querendi apud *Gregorium* decimum tertium Pontificem, atque apud ipsos Patres, de non rectè distributis operis, dum ij qui domi suæ prodesse plurimum poterant, ad exteros amandarentur. Quæ querela quem exitum sortita sit in loco describemus.

Thomas Stephani.

Coadiutores. Temporales.

XXXI. Temporalium rerum adiutores ex Anglis plures etiam esse cooptatos suadet tum gradus illius in Societate sanctitas, tum præpositorum Generalium in admittendis liberalitas, & ad huiusmodi munia nostratium apta ingenia, & mores accõmodati. His tamen omnibus annis trium tantummodo nomen reperio in tabulas relatũ, *Ioannis Pellisoni*, *Guilielmi Lamberti*, & *Rodulphi Emersoni*: Nisi quis adscribere istis velit eos de quibus nihil certi constat ad studia ne fuerint destinati, an laboribus exercendi. Qualis est *Thomas Lith* Londinensis, annorum nouemdecim societati additus, in Iunio Anni sesquimillesimi quinquagesimi quinti, tredecim mensibus ante obitum sancti Patris. & alter *Thomas* dictus *Natalis*, in domo Professa Romana adscitus secũdo octobris Anni insequentis; & forte *Guilielmus Rousell* anno sexagesimo tertio Romæ admissus; nam *Oliuerius Manaræus* in Catalogo suo Lauretano, cum esset Rector anno quinquagesimo septimo, meminit *Thomæ* máioris & minoris; atque de ijs sic ait, " *Thomas* maior ex Anglis, erit magnus Dei seruus; *Thomas* minor est totus bonus. Tum anno sexagesimo primo, " *Thomas* Anglus, pauper quoad temporalia, nouit duntaxat legere & scribere, erit aptus pro literis.) Fortè enim inter indifferentes fuerat admissus. De fratre vero *Roberto* Anglo, & Fratre *Guilielmo* Anglo, mortuis in Belgio Anno sexagesimo quarto, certior aliquanto videri potest coniectura? quoniã ij qui rerũ temporalium adiutores sunt sermone quotidiano fratres, qui autem literis operam

operam dederant, illis temporibus per Belgium frequentius Magistri quàm Fratres nuncupabantur, eo quod vel gradum in Philosophia sortiti erant, vel quæ didicerant docebant. At *Guilielmus Lamberti* cùm annum ætatis ageret vigesimum tertium, Romæ in domo Professa Sociis adnumeratus est, vigesimo primo Iulij, anni eius sæculi quinquagesimi septimi: Eaque in vrbe per aliquot annos Coqui munere functus, deinde in Polonia & Lithuania per varia Collegia in plerisque Coadiutorum officiis, ac prælertim in infirmorum cura tantum profecit industriâ, vt Cardinali Hosio gratissimus, eius medicus vulgò audiret. Quo verò demum anno mortuus sit non est memoriæ traditum. De *Ioanne Pellisono* hæc tantum reperio Tridento scripta à Polanco nomine *Lainij* Generalis ad *Mercurianum* Præpositum Germaniæ vigesimo Octobris anni sexagesimi secundi. " Mittitur etiam vnus Coadiutor, *Ioannes Pellison*, concinnandarum vestium intelligens; qualem vltimis suis Reuerentia Vestra postulabat.) *Rodulphus Emerſonus* quòd socius fuerit itinerum *Campiano* Româ & in Anglia, atque deinde *Creytono*, & *Holto* in Scotiam, tum Personio in Gallias, & in Angliam rursus cum Westono, & pluribus annis captiuus in atrio Wintonienſi magno cum testimonio pietatis & patientiæ memorant Historiæ: Tum VVisbicum delatus, ab ægritudine corporis multa sustinuit tactus paralysi: superuixit tamen vt exul cum ceteris confessoribus, initio Iacobi, migraret in Belgium, atque multarum virtutum ornamentis decorus diem clauderet Audomari Narrat Westonus in Fragmento vitæ suæ quam iubente P. Generale conscripsit, Cùm vnà in Angliam nauigarent, commissam Rodulpho sarcinam sat magnam librorum inter Catholicos distribuendorum: Hanc saluam Nordouicum atque inde Londinum vsque transuexit. Londini ablente ipso per vrbem, sarcina ad publicanos defertur: quid faciat? Libros curamque sibi commissam deserere videbatur indignum; vendicare, periculi plenum: illud tamen subire maluit, quam fidei suæ rem traditam desertam pati. Adit publicanos, quærit de sarcina; illam iam isti explicarant, visisque libris hominem ad Magistratus deductum in carcerem compingunt tam ab arbitris semotum, vt annus fuerit & amplius antequam intelligi potuit vbinam locorum esset, Neque absimile vero est indicium aliquod datum fuisse de libris. Nam cum VVestonus Haywoodum nostrum in Arce Londinensi tunc temporis detentum inviseret; Haywodus ad ipsum, " Tu VVestone arbitratis tuum & Rodulphi Socij in Angliam aduentum fuisse occultum; per eos tamen qui Reginæ sunt â consilijs huc sermo penetrauit.) Tam erant tunc temporis oculati regij ministri vt nihil eos latere posset. His addi potest *Ioannes Odoëni*, à corporis exigua mole vulgò dictus *Paruus Ioannes*, à continuo vero nostrorum obsequio habitus noster. Hunc conficiendarum domesticarum latebrarum peritissimum (cum secundò incidisset in manus nihilque aperire, nihil fateri vellet) Tam immani ferocitate torserunt vt ruptis visceribus efflaret animam.

Guilielmus Lamberti

Ioannes Pellison

Rodulphus Emerſon.

Ioannes Ovven.

XXXII. Itaque sparsi per Orbis Christiani Prouincias, omnium ætatum

ac studiorum viri probatissimi, ab vnius Angliæ cura, ad quam subleuandam maximè videri potuissent idonei, superiori diuinæ Prouidentiæ consilio hactenus liberabantur; in alijs regionibus virtutis & scientiæ laudibus claruêre. Nam cùm ab anno quo Sanctus Pater noster *Ignatius* ex his miseriis ad Beatorum cætum assumptus est, ad annum vsque octogesimum, sexaginta nouem Angli numerentur in Societatem adscripti, nemo vnus ad Angliæ labores, ad præclara in aliis Prouinciis munera destinati sunt vniuersi, eo quo, in paucis, cuentu explicatum est; neque enim omnium extat memoria; quorundam tantum patria cum prænomine memoratur; vti *Thomas Anglus* Laureti, *Dauid Anglus* Florentiæ; Alter *Thomas Anglus* minor Laureti; *Richardus Anglus* mortuus Laureti decimo quinto Nouembris anni septuagesimi quarti; *Vincentius Powel* Ingolstadij, *Georgius VVare* Diœcesis Roccestrensis Pragæ, Anno Octogesimo secundo: *Georgius Morbred* Suslexiensis Tolosæ: Pater *Thomas* Anglus mortuus Parisijs vigesimo septimo Septembris anni octogesimi tertij: Pater *Richardus* Anglus ibidem in Maijo anni octogesimi septimi. Plurimorum ætate, studiis, & gradu recitatis, reliqua tacentur, vel quoniam nondum in eam formam scribendi de singulis, quæ nunc vsurpatur, venerat ipsa Societas; vel quia mutatis sæpius Regionibus atque Collegiis, vnius inter multos colligi acta non poterant; vel denique quoniam posterioribus etiam ănis difficultate temporũ prępediri, vel perire fusiores narrationes necesse fuit: vt mirari potius lector debeat potuisse cuiusquam diligentiam tot annorum tenebris lucem aliquam afferre, quàm lucis parum allatum esse conqueri.

Cur tam pauci recẽsiti.

Hęc lux Nathanaeli Secretario & Edmundo Neuillo debetur.

Paucorum tamen, quos commemoraui, res gestæ (pauciora licet meritis commemorata sint) & Societatis vniuersæ in eius Insulæ homines caritatem, & ipsorum met virtutem singularem luculenter ostendunt. Quantaenim in fide, atque in *Dei & Sanctæ Sedis* veneratione, & quam magna fuerit eorum constantia, ipsa carissimæ Patrię fuga demonstrat; neque enim deerant quæ præstantes ingenio, opibus etiam & doctrinâ locupletes viros remorarentur, siue Academiarum splendorem, in quibus se iactabant, siue spem ad quam fouebantur considerent. Tum si vnum illud demeres de regia in spiritualia potestate (quo vno in articulo totus per Angliam Clerus vacillarat) & à precibus publicis non abhorreres (quas ex latino versas habebant cum Catholicis penè communes) de cæteris, his in principiis, quid sentires quidue ageres in medio erat. At hi inuicta quadam magnitudine animi, spe atque re contemptâ, abiecta, proculcatâ, maris fluctibus, longinquis arduisque itineribus, Alpium etiam asperitate superata, quam summo in terris *Christi Vicario*, atque ipsi Christo, debebant obedientiam, cunctis quibus domi deliniri potuerant oblectamentis prætulere: Tum arctioris etiam disciplinæ normam secuti, non solum ex orthodoxæ fidei arce firmissimâ veritates inconcussas delibandas censuere; sed ad summum Christianæ perfectionis apicem contendentes, & doctrinam reconditam virtuti firmiori copulantes, eo se promptiores aptioresque ad vtramque in miserrimam patriam refundendam præstitere, quo

constantia exulum.

fidei

fidei limpidissima dogmata, per integræ vitæ canales decurrentia, & hauriuntur iucundius, & in mentes hominum potentius influunt. 1569.

XXXIII. Quod verò vtriusq; quos collegerant diuites thesauros in carissimos Ciues suos errogare datum non sit, id inaccessis Dei consiliis tribuendum, qui vt olim totius orbis lucem optatissimam, misso de summo cœlo filio suo vnigenito Christo *Iesu* Domino nostro, in infidelitatis & nequitiæ tenebras non prius intulit, quam illæ essent densissimæ; ita nostris in Angliam reditum aperiri noluit, donec post viginti annos quos Elizabetha regnauerat, remedij iam nulla forma affulgeret: Nam neque Principum externorum seu preces seu cohortationes, neq; spes cum Catholico nuptiarum, neq; Pij Pontificis minæ, quidquam apud impatientem iugi feminam valuere. Iam illa non legibus solum, sed ferro & sanguine impium Schisma tuebatur: Nihil tutum Catholicis, nè profundissimæ noctis horæ: Inuolabatur in ædes nocte concubia, effringebantur conclauia, parietes lacerabantur, effodiebantur ruinæ: tum si locum aliquem precibus aptum, si quam supellectilem sacratiorem, si in sacerdotem latentem fortuito incidissent, id violatæ, scilicet, Majestatis signum lucidissimum, id potestatis contemptæ fœdissimum crimen erat, non omni ignominiâ, non ipsâ morte eluendum. Itaq; sicut qui æger decumbit paruis obuijsq; primùm remediis arcere conatur corporis morbum, at ingrauescente malo plures peritioresq; accersit medicos; & grassante incendio non domesticæ solum, sed procul è vicinia aduocantur adiutrices manus, ita corroboranti se hæresi robustiora tela obiicienda disposuit diuina sapientia, & quæ aliò auersa erant arma huc voluit reuocari Cur non missi in Angliam.

XXXIV. Quam verò caritatem annis viginti quinq; ab obitu Sancti Patris in singulos effuderat Societas, eam vniuersæ Insulæ seruasse dicenda est: Nam nisi illis temporibus, quibus nondum patebat in Angliam ianua, sinum suum admittendis compluribus aperuisset, vbi *Campianos* vbi *Personios* & *Garnettos*, & *VValpolos*, ceterósque laureâ Martyrij decoros Athletas haberemus, cùm iam Oceanus diuinæ misericordiæ ponte sterneretur? Potens est Deus ex lapidibus vbique obuiis, *suscitare filios Abrahæ*; atque momento temporis *plusquam duodecim legiones Angelorum* mittere ad Corpus suum, hoc est, Ecclesiam protegendam, atque è quorumcunque armatorum manibus eruendam; sed multorum vult precibus, quam molitur causam, primùm agi, multorum voluntates experiri, quę effectum licet non consequantur, quem enixissimè optant, nō carent præmio. Moyses & Aaron per annos quadraginta in deserto cùm populo Israëlitico ductores doctoresque fuissent à Deo constituti, in optatam nihilominus promissionis terram lacte fluentem & melle non peruenerunt ipsi, neque quod in votis erat maximè, licuit plebem quam hactenus quasi in vinis portauerant, in illa pascuæ loca & aquas refectionis deducere quæ fidelibus famulis suis parauerat Deus: Iosuë Ministro Moysis is datus est honos. Ex octo fratribus Bethleemitis minor *Dauid* eligitur, qui in superbo Gigante totum Philistinorum fundat exercitum, maioribus natu Caritas Societatis in Angliam. Matthæi 3. 9. 26. 53. Deut. 34. Iosue 1. 1. Reg. 17.

1573. natu prius castra secutis, & in posterioribus derelictis, vel in alia munia distributis. Quid vellent isti quos memoraui, & quorum memoria chartarum iniuriâ sepulta iacet, Deo per ardentia vota in occulto mentis cubili explicarunt; in aperto plurium Prouinciarum theatro per omnium scientiarum ornamenta quid possent demonstrarunt; magnis seipsos cumulantes meritis, dum quam Patriam præsentes iuuare non poterant, in orbis vniuersi ambitu complexi sunt, cui quaquauersum iuuando totos se sub obedientia manciparant.

1 Paral. 17. 18.

HIS

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER SECVNDVS.

I. ERT ista quidem foris egere ij, quibus neque in Patriam cáritas, neque ad caritatem explicandam facultas deerat, neque par laboribus animus; quos enim labores ad Sarmatas vsque & ad Indos profecti exhauserunt, eos tam facilè in vicinam suam Angliam profudissent, si ita tulisset sors. Nunc eorum exigere virtutem aggredior quibus contigit primis ex Societate *Iesu* in ipsa Anglia Hæreticorum ferociam experiri, & quos annis consequentibus habuit ea Insula auitæ fidei inuictos propugnatores. Equidem iure meritissimo primas *Campiano* deferri, & *Personio* prorsus censuerim: obscuriora enim sunt, atque incerta, quæ de claris Martyribus *Thoma VVoodhouse*, & *Ioanne Nelsono*, narrat *Thomas Stephansonus* in vita *Pondi*, quod Societati nomen dederint. Quem autem Zacchæus memorat Patrem *Thomam King*, in Patriam sanitatis causâ missum ibidem obiisse anno millesimo quingentissimo sexagesimo quinto; etsi spem fecit is, in afflicta valetudine salutis plurimorum (quod testantur *Polanci* literæ pro *Borgia* Vicario scriptæ) altero tamen mense contabescens, sibi coronam peperisse sperandum est, nobis verò vltra spem cùm nihil dignum Annalibus reliquerit, alijs lampada palmámque non inuitus concedet.

Campianus & Personius primi ex Societate in messe Anglica.

II. Anno post sæculum decimum quintum quadragesimo natus est Londini *Edmundus Campianus*, eo, vti diximus, tempore quo *Henrici* Regis in Pontificem odio, amplissima Religiosorum hominũ Cænobia passim disturbabantur. Quantũ in puero crescerẽt ingenij & industriæ laudes, luculenter

Campianus nascitur Ao. 1540.

1569. Coram Maria Regina per orat anno 1553.

tum ostendit, cùm annos numerans non plures duodecim, *Mariam* regnum auspicantem eleganti oratione salutauit. Et *Maria* quidem fato concessit prius quàm in lectissimo iuuene bonarum artium ac literarum fructus ad præmia condigna matureſcerent. At *Thomas Vitus*, vir nobilitate ac prudentia clarus, atque apprimè Catholicus, cùm *Sancti Ioannis Baptistæ* nomine Collegium Oxonij recenter fundasset, *Campianum* inter primos adscribi voluit; vt qui adolescentis promptam indolem plurimam Academiæ vniuersæ lucem allaturam augurabatur: Neq; fefellit augurium: Paucis enim annis, splendore ingenij, eloquentiæ vi, ac morum suauitate id est cõsecutus, vt non solum oratoris, & Procuratoris præcipuis inter Academicos muneribus adhiberetur sed vt *Elizabetha* (cui post Mariam regnanti, & Imperium adgratulatus fuerat, & obsequia Academiæ officiosissimè detulerat) ornandi extollendique hominis in se negotium susciperet: Quod cùm per Leicestrium Comitem illa exposuisset, & voluntatis Regiæ esse vt quod liberet postularet: seu veritus nè beneficiis Regiis irretitus minus liberum haberet iter ad Religionis veritatem, (quam anxius iam tum inquirebat) indagandam, sequendamque, seu inanitatis aulicorum promissorum gnarus, actis verbo liberaliter gratijs, nulla se magis re capi, quam regio fauore, professus est.

Oxonij floret, gratus Elizabethæ Ao. 1566.

Elizabetha hæresim inducit.

III. *Elizabetha Henrici* Octaui filia ex Bolena, ad Regnum euecta, non sororis, ex *Catharina*, Catholicæ, sed Patris fratrisque Schismaticorum vestigijs insistere decreuerat. Itaque abrogato eo omni ritu, quo inde ab constituta in Anglia per Apostolos Apostolicosque viros Religione, vel Sacramenta celebrabantur, vel preces fundebantur, noua paulatim forma precandi, noua cudebantur Sacramenta: Et rudioribus quidem non difficulter suadebatur nihil admodũ distare ea quę latinè prius, nunc populari idiomate efferebantur (quamquam & id discrimen ingens est, quod quęcunq; sunt vulgari lingua exposita, in Romanæ Ecclesię contemptum sunt instituta) At ij quibus aut ab ingenio, aut ab librorum assidua versatione sensus erant perspicaciores, non ita facilè nouitatem cum recepta tot sęculis antiquitate commutabant. Hos inter *Campianus* quo maiori studio veterum sententias cum nouorum hominum commentis componebat, eo longius à suspectę pridem caulę approbatione prouehebatur. Et honorum interim opumue spes, atque inter æquales existimatio, nutantem vtcunque retinebant, nè apertè Catholicus videri vellet; præcipuè vero Richardi Chenæi beneuolentia singularis: is Reginæ gratiam secutus, Gloceſtrensis Antistitis gradum occuparat; Eruditio, comitas innata probitas, Patrum ac sacræ vetustatis ostentata veneratio, odium denique in rigidos Caluinistas (quos Puritanos vocant) auctoritatem homini conciliarant & nomen: Qui cùm in *Campianum* oculos coniecisset, fouere non destitit, quem nascenti Religioni lumen afferre posse prouidebat, & vt vellet, quâ promissis, quâ largitionibus conabatur efficere: Atque euicit vt spurio diaconatu se initiari permitteret: neque enim per recentes Elizabethæ constitutiones, licuisset ad populum eloquentiam, quâ pollebat, explicare, nisi

Campianus Chenęi auctorita e Schismatico ritu initiatur.

manus

manus imponentem pseudoëpiscopum sustinuisset. 1569.

IV. At non diu fuit quin luce veritatis clarius oborta, & errorem ipse suum damnaret, & sceleris admissi aculeis altius animo hærentibus remedium non alibi quam in vniuersalis Ecclesiæ vnitate quærendum esse persentisceret. Igitur ad pedes Orthodoxi Sacerdotis expiatus, quò parium consuetudinem periculo proximam, honesto secessu deuitaret, concessit in Hiberniam, Richardi Stanihurstij, familiaris olim sui, & studiorum similitudine cõiunctissimi, & (quod in primis spectabat) egregié Catholici vsurus hospitio. Hic inter pietatis virtutisque exercitia, nè penitus literis nuncium mississe videretur, latinè discripsit *Iuuenem Academicum*; patrio vero idiomate *Historiam Hiberniæ*; qua de historia ita in quadam sua Epistola ipse loquitur." Historiam Hibernicam suspicor periisse; iustum volumen & absolutum: Inquisitores Hæretici rapuere) Etenim anno post quingentesimum septuagesimo duplici ex capite grauis in Catholicos procella detonuit. *Pius* Pontifex ex zelo tuendæ fidei accensus, existimarat ostentatis armis Ecclesiæ, auerti posse *Elizabethæ* animum à sinistro quem ingressa fuerat tramite, & sexto calendas martias anni Superioris, latâ sententiâ, hæreticam dixerat, subditos iuramenti Religione exoluerat: Affixa hæc sententia Iunio sequenti valuis ædium Episcopi Londinensis, totam commouit Insulam: Cumque sub idem fere tempus ad eam Angliæ oram quæ Septentrionem spectat, Nobiles quidam temerè se armassent (seu *Mariæ Stuartæ* Scotorum Reginæ liberandæ, quæ ab *Elizabetha* tenebatur captiua, seu iniuriis in Orthodoxos vindicandis ea arma mota fuerint) Catholicis omnibus acre indicitur bellum; ac velut paucorum temeritas omnium fuisset consilium, & cuncti aut conspirationi nobilium, aut Pontificis se armis miscuissent, neque domi licuit, neque foris esse securis: *Campianus* ab ipsa vsque Hibernia exquiritur; in quo etsi nihil criminis extitit (nisi crimen est animi sospitatem in Ecclesiæ gremio quæsiuisse) quòd tamen sciret neque innoxiis patere defensionis locum vbi furor occupauit aditus, maluit sibi fugâ consulere, quàm incertum, si teneretur, iudicium subire: Eâ de causâ, mutato cultu & nomine Dublinio se proripiens in Angliam primùm, deinde quantocius in Belgium transuolat.

Redit ad Catholicos & abit in Hiberniam Ao. 1569.

Per Angliã concedit in Belgiũ.

V. Ab inito regno *Elizabetha*, Episcopis & Clero veteri abdicatis, eam formam ordinis Ecclesiastici, eumque morem instituerat, qui & auctoritati Pontificis summi plurimùm aduersaturus videretur, & ei quam recens illa assumperat stabiliendæ tuendæque in primis commodaret, eo vel maximè nomine, quòd potestas omnis atque vtilitas, in quam noui homines erant irrepturi, ab vna Regina deriuabatur pendebatque: Hanc potestatem quoniã Orthodoxi auersabantur tanquam à radice vitiata proficiscentem, nõ pauci exilium spontaneum spurio regimini præferentes, vertêre solum, & superato mari sub Principum Catholicorum vmbra portum quæsiere. Hos inter enituerunt (vt complures taceam seu stirpe seu diuitiis nobiles viros fæminasque) *Sanderus*, *Bristous*, *Hardingus*, *Smithæus*, *Stapletonus*, *Alanus*, aliique docti omnes,

Initia Collegij Duaceni.

1569. ctiomnes, atque in omni genere literarum eruditi viri, qui & scriptis libris se, Patriam, Fidem illustrarunt, & plurimis exemplo præierunt ad labores in salutem perituræ alioquin Insulæ consecrandos: Neque enim abijciendam duxerant de eius Regni reuocanda sanitate spem, quod regnum nuperrimè sub *Maria* ad salubria consilia propensissimum perspexissent; *Alanus* in primis auctor fuit vt in vnum collatis Doctorum hominum studijs, ij qui in eo genere erant prouecti, editis de Religione quæstionibus Schisma conuellerent, tum ætate atque scientiâ minores alios in eandem palæstram colligerent, informarent, animarent, non ad fidem eminùs tantum iactis sanioris doctrinæ telis propugnandam, sed vt cominus etiam in arenam descenderent in Patriam reduces, vitâ & sanguine, si res ita ferret, ad auitos mores conseruandos ritu Apostolico decertaturi. *Duaci* primum in Flandria coaluere, sub annum sæculi quingentesimi sexagesimum sextum, eo ardore animi vt spem bonis non leuem facerent futurum, vt quæ semina in tam fertili solo iacerentur, in vberem deinde messem excrescerent: Hæreticis simul metum inijcerent, & acuerent furorem; videbant enim hi, frustra iam carceribus, exilio, facultatum deprædatione, calumnijs denique atque minis agi, vt Sacerdotum veterani eliminarẽtur, quando alijs atque alijs succrescentibus, noua seges emergeret, nouæque copiæ, quibus quidquid ardui atque difficilis ostentari posset in optatis erat: In spica hæc seges fuit, tum cùm *Edmundus Campianus* Angliam fugiens, & in quo à tantorum fluctuum iactatione quiesceret portum circumspectans, hanc est primùm terram exosculatus, & pari gratulatione ab ijs quos dixi clarissimis viris est exceptus.

Vide horũ indicem apud Florimondum Remondũ. p. 2. l. 2. c. 14.

Duaco Romam proficiscitur.

VI. Isthic præteritæ vitæ rationes dum per otium inspicit, duo præsertim Religiosæ mentis virum angebant vehementius: Alterum quòd interlucenti toties veritati, seu inconsultæ ambitionis vmbram, seu pudorem iuuenilem, seu parium existimationem atque amorem præposterum obiecisset, neque se ipse sat promptè his laqueis expediens, neque cæteros apud quos aliquid fortasse potuisset commonefaciens. Alterum, quod victus auctoritate an humanitate Chenæi, infami charactere pollui sustinuisset Illud (data ad Chenæum epistolâ quæ extat) expiari vtcunque existimauit, dum palam iam sublato sipario, eum cui omnia se debere arbitrabatur, de capto à se consilio monens, omni ope hortatur, obtestatúrque nè ad eos se allidi scopulos, penitúsque cõfringi sinat, quos ni vitasset ipse, atque ad antiquæ fidei anchoram confugisset, funditus interijsset. Alterum, dum quibus lachrimis eluere posset, quærit, & precando dies noctésque coniungit, visus est monentem audire Deum, Romam vt peteret, in ea vrbe docendus quid porrò remedij ad tantam delendam maculam esset adhibiturus. Neque segnius Romæ post superatum pedibus longinquum iter, diuinum de se responsum per omnia piorum operũ genera explorat; id studiosè cauens, nè aut eligentem impetus animi incautum impellat, aut in re rectè demum constituta, constantia deserat. In vrbe orbis Theatro, quocunque se verteret, deesse non poterant omnium ordinũ exem-

De vitæ genere deliberat.

pla

pla virtutum, quæ in prono ad pietatem animo, & amorem facilè parerent, 1569.
& venerationem. Siue autem eum caperet sanctissimi Nominis *Iesu* Appellatio, (quod nomen à nouis hæreticis indignis modis haberi cognorat) siue eius ordinis ratio placeret magis, quæ non ad animarum lucra solum instituta erat (quarum ex sua quanta esset iactura in Anglia peruidebat) sed ad summi Pontificis obsequium promptior videri posset ex voto (cuius Pontificis autoritatem nouo capite constituto Anglicanum Schisma pessundare conabarur) siue recens ordo & splendore operum, & animi ardore conspicuus oculos, vt fit, mentemque auidius intuentis raperet, eo præsertim tempore quo ad Generalem Præpositum in demortui *Borgiæ* locum subrogandum, ex omnibus Prouinciis primarij Patres conuenerant: siue denique alia quælibet occultior causa interius vrgeret, Societati *Iesu* vt se daret vehementius incitabatur. Neque difficulter impetrauit vt admitteretur is, in quo & hæreseos odium, & candor animi, & cum non vulgari doctrina insignis coniuncta modestia relucebat; *Mercurianus* recenter ab Germaniæ totius cura ad vniuersę Societatis regimen prouectus hac eum beauit forte, atque Prouinciali Austriæ *Laurentio Magio* commendatum, Brunam, ad Tyronum domicilium transmisit.

In Societatem admittitur.

VII. Interea dum *Campianus* per Sanctiores vitæ exercitationes virtutis firmæ robustæq, ponit fundamenta, præsidium aliud conseruandæ in Anglia fidei Deus optimus maximus instruere aggreditur. *Robertus Personius* ineadē Oxonienſi Academia Collegij Baliolensis socius, tātum ingenio, industriâ, vsu rerum profecerat, vt quemadmodum annis plerosque, ita dignitate & gratiâ cæteros antecederet, tantámq; discipulorum, seu vt vocant pupillorum, manū post se traheret, quanta vix tribus cōtingere consuerat: quicquid verò in causa fidei aut cogitarent aut facerent alij, cum Catholicis sentire haud obscurè præ se ferebat: *Virtus* autem cum *raro se absque æmulis erigat*, hos *Personius* eo nactus est potentiores, quo *Hæresi* ad nocendum *inuidia* præibat, *inuidiæ hæresis* seruiebat. *Hæc* temporis optimatumque secura, indignam rem esse aiebat, vt is qui palam de Religione aliter iudicaret, & loqueretur, quàm regni nunc iura definierant, iuuentutem tam numerosam, támque florentem, ac diuitem duceret, Papistarum, videlicet, nugamentis implicandam; *Inuidia* non neminem à *Personio*, non admodum fortasse de Religione dissidentem stimulabat, vt quos *hæresis* subtraheret adolescentes, hi suæ vnius curæ adiungerentur: Atque vt hic in aduerso agmine præeat, facilè fert hæreticus æmulator: Abduxerat de nocte iuuenem (absente per festa natalitia *Personio*) ad Comædiam; Id quoniam in digressu fuerat seuerè adolescenti interdictum, suadet non impunè prætereundum à Tutore, cùm is rediisset; subduceret itaq; se reuertenti; non defuturos patronos qui essent nè quid incommodi pateretur, aduigilaturi. Dum igitur à *Personio* reduce repetitur iuuenis, dum hinc defenditur, inde non priuatim solùm, sed & publicè coacto conuentu sociorum, Tutoris iure deposcitur, quoniam maximam Academiæ iam partem

Robertus Personius cur Oxonio discesserit.

Prima occasio discessus.

1573. *Hæresis* obtinuerat, exclamant qui eam labem altiùs hauserant, ferendum non esse vt aut iste, aut cæteri iuuenes diutius in huius pupillis sint: si cum totius regni mente consentientem sententiam habere aut non queat, aut nolit, abeat loco, & quò libet se conferat; diffiteri non posse quin constitutum illi aliquando fuerit traiecto mari in alias regiones proficisci, in quibus quod sederet animo actione perficeret: proficiscatur: volentibus animis concessuros, & tempus ad opportuna itineri comparanda, & Societatis atque officij interim iura (erat enim Collegij sui id temporis decanus) At modò cedat iuribus his confestim obsignatis tabulis: dura conditio, at necessariò amplectenda, nisi apertâ vi (quam truculenter minabantur) vellet se discipulosque omnes suos intempestâ nocte depelli. Subscripsit igitur, non tam inimicorum fractus audaciâ, quàm amicorum accedens consilijs, in hæc ipsa verba, ex tabulis fideliter huc translata. *Ego Robertus Persons, Socius Collegij de Baliol, resigno omne ius meum, titulum, & clamium, quod habeo, vel habere potero, Societatis meæ in dicto Collegio: quod quidem facio sponte, non coactus; die decimo tertio Februarij, anno millesimo quingentesimo septuagesimo tertio: Robertus Persons.* Sequitur concessio de retinendo cubiculo & discipulis quamdiu *Personio* placeret, his verbis concepta. *Eodem tempore decretum est vnanimi consensu Magistri, & reliquorum sociorum, vt Magister Robertus Persons, nuperrimè socius, retineat sibi sua cubicula, & scholares quousque voluerit, & communia sua è Collegio habeat, vsque ad festum Paschatis immediatè sequentis.*

Cedit iuribus Collegij.

Annus ponitur 73. stylo Angliæ; qui incho-ant Annum 25. Martij.

VIII. Exuerat itaque se, scripto vadimonio officij sui Collegiique iuribus; tenebat ea quasi precario, dum menses effluerent de quibus erat transactum. Vigebant etiam tunc in Academia antiquæ leges, quæ per solemnes Quadragesimæ dies inhibebant esum carnium. Intellexerat *Personius* non solum furtim in has esse peccatum, sed & in illos, qui religiosiores fuerant, insolentius actum à nonnullis; quâ de re dum studet inquirere, hoc quasi classico exciti inflammantur rursus animi hæreticorum, furunt, discurrunt, bacchantur, & facta manu campanas inuerso ordine, quasi ad incendium, commouent; Inclamant, Papistæ incendiario in Collegio Baliolensi interdici aqua & igni: Incendiarij ipsimet pessimi, maleuolique sulurrones. Nimirum animi semel exacerbati vt non facilè dulcedinem concipiunt, ita dolorum suorum causas alias omnes esse volunt quàm quæ rei verissimè insunt; & quos auersis aliquando oculis aspexere, rectis nunquam contuentur. Quæ singillatim à me percensenda fuerunt, quò calumniæ præcidatur tela, quam multis post annis eadem hæc inuidia contexuit, non Religionis ac probitatis defensæ causâ cessisse *Personium*, sed cùm reus commotæ (si Diis placet) seditionis ferri diuturnius non potuisset. Itaque scriptis tabulis non creditur; exacerbatorum hominum sermonibus credetur? quos cùm animi impetus incitauerit, nihil morari potest, quin & hæresi (quam oderunt) patrocinentur potius, quàm vt is quem suis luminibus quoquo modo officere finxerunt

Discessus occasio altera.

proprio

proprio debitoque lumine perfruatur; Fruitur tamen; & quemadmodum ex parato innocenti *Ignatio* Lutetiæ supplicio, eo duntaxat nomine quod auditores per pietatis speciem à Penna Magistro auerteret, & sursum (scilicet) deorsum misceret omnia, plura ad *Ignatium* eiusque familiam commoda redierũt; ita hunc virum pluribus profuturum Deus hoc stratagemate, opportuno tempore, ex huius sæculi laqueis eripuit, vt non vni illi Collegio adhæreret, sed Angliæ vniuersæ plurimum afferret adiumenti. 1575. Orland. l. 1 n. 71.

IX. Spreta maleferiatorum capitum turbulenta audaciâ, componendis rebus commodum opperitur tempus. Mense Iunio ineunte ingressus iter, Caletum superato mari tenuit. Inde Antwerpiam per Flandriæ oram profectus, quoniam mercatorum comitatus Francofurti nundinas frequentare solitus, Italiam cogitanti opportunus non nisi Augusto mense erat se de more explicaturus, Louanium digressus, Oxonienses curas eius Academiæ amænitate depellere interim mens erat. Habitabat id temporis Louanij (de quo dictum est) Pater *Guilielmus Good*; hic profugorum solatio studens, vt in *Personiũ* incidit, maturo hominis ingenio cum formę dignitate cõiuncto delectatus, vti ad magna factũ conijciebat, ita firmas virtuti radices vt poneret non auebat modò sed & consulebat. Neque fuit difficilè suadere viro rerum vsu prædito nihil in ea ætate firmum, nihil stabile; nihil se dignum, aut suscipi aut perfici posse quod temerè aggrederere. Colligeret se, atque non ab notorum hominum tantum cõgressu, sed ab suis ipse se cogitationibus aliquantisper amoueret, quo Deo vicinior factus, quid porrò agendum, quid cogitandum esset quieto pacatoque animo, atque quod caput est, diuinitus collustratâ mente decerneret; eo in secessu, si quid in omni vita actum esset inconsultius, si quid grauius erratum seiunctis inanium rerum vmbris facilè perspecturus, & turbulentis animi motibus ad moderationem compositis non difficulter emendaturus. Octo igitur diebus sibi vacat & Deo: & quanquam medicinæ studio iam ante addixerat animum, vt honesto, vt iucundo, & vtili; atque ea propter Patauium, cum aliquot similis propositi socijs profecturo, ad sumptum itineris syngrapham Venetias præmisisset, altiora tamen nunc versare cogitatione cæpit, & tum fluxarum rerum despicientiâ, quantum ante admiratione, oblectare se, tum diuinioribus disciplinis animum excolere meditabatur. Transmittit in Belgium. Louanij vacat spiritualibus exercitijs.

X. Dum Patauij aliquamdiu hæret, aliquantum etiam temporis Romæ visendæ dum tribuit (quo eum & Anni Sancti ceremonia, & tantæ vrbis celebritas, & familiarium quorundam necessitudo vocabat) *Campianus* nondum arctiori Religione Deo per vota constrictus, *Pragam* commigrarat, non minore plausu Rhetores illustraturus, quàm ardore animi præcepta pietatis diuiniora *Brunæ* deuorasset. Est *Pragæ* nobilium adolescentum conuictus, quos Societas *Iesu* erudiendos suscepit instituendosque certus sub legibus: Horum moribus formandis datus est Præfectus, cùm eodem tempore & Rhetoricam publicè explicaret, & Sodalitio Virginis Personius Romam. Campianus Pragam concedit.

1575. Hęc Sodalitas sub Claudio Generali aliud nomẽ sortita est.

Virginis *Immaculatè* conceptæ præesset, atque politioris literaturæ eximio testimonio annum clauderet septuagesimum octauum. Nam pari laude ingenij & eloquentiæ Tragœdiam (quam Nectar & Ambrosiam inscribit Pitzæus grauis auctor) coram Maximiliano Cæsare dedit; Et Mariam Cardonam Reginam (Mariæ Augustæ cubiculo præfectam) in corona nobilium funebri oratione copiosissimè laudauit: deinde verò Philosophis enodandis admotus est ad annum octogesimum quo vocatus est Romam. Atque hisce ex studiis persequendis (vt erat florenti ingenio) non mediocrem hauriebat voluptatem: Sylvescentem tamen cùm respectaret Germaniam horridamque opinionum monstris, quibus nulla industria obuiare, opprimere nulla potentia posset, miserrimæ patriæ suæ obuersabatur animo deploranda conditio, vt quæ vel ijsdem, vel peioribus affligebatur erroribus, neque ijsdem quibus Germania adiumentis fulciretur. Ardorẽ animi dolor accendebat: sæpe in genua, sępe in lachrymas effundebat se, Deo sępe se victimã mente atq; cogitatione deuouebat. Audierat enim de Woodhusij cõstantia admiranda, quâ non ita pridẽ pro summi Ponrificis auctoritate asserenda, se, vitam sanguinemque suum præclara morte consecrarat. Audierat cùm vno eodémque die, atque eadem hora, in complures nobilium familias inquisitum est; raptati ab Altaribus Sacerdotes, sacra supellex direpta, Principes etiam feminæ vna cum liberis famulísque in varios carceres distributæ; quo in mærore simul atque ardore mentis dum versatur, affertur Româ non paucos populares suos, atque ab Oxonienśi habitatione familiares, ruptis sæculi vinculis in eandem quam ipse adamarat Societatem cooptatos, *Robertum Personium, Guilielmum VVestonum, Henricum Garnettum, Ioannem Lanum, Ægidium VVallopum.* Erexit is nuntius ęgrum mæstitia animum: Et primùm quidem Deo quas potest maximas agit grates, quod tantis nunc Angliæ malis spes aliqua affulgeret medicinæ; nam & istos & istorum exemplo complures alios certa Dei voluntate prouideri non dubitabat, fidei pietatísque ea in Insula ruinas sanaturos, vel quoquo modo refecturos: Tum verò eam quam conceperat lætitiam per literas significans, tantum eis beneficium affectu quam potest ardentissimo adgratulatur.

Personius cur secundò profectus Romam.

XI. *Robertus Personius* Româ Patauium redux, librorum sat magnum apparatum compararat: Medicorum placitis indagandis non diu inhæsit. Insederat enim animo spina quam alijs auelli medicamentis, alijs curari præceptionibus oportebat: Repetebat identidem cogitatione quid Louanij secretò destinasset, quid in publico egisset Romæ. Illic mente cælestia contemplatus, eò cursu tendere optimum iudicarat, quò nos Deus optimus maximus, quò nostra omnia, & singulari pietate feciśset, & omni iure vt spectarent depolcebat: Hic marmoribus, & cryptis, & columnis, & circis, & Amphitheatris pascens oculos, quid tandem in animũ demisisset? quin etiam sacro ritu cùm perpurgare animum debuisset, & apertis diuinę Indulgentie thesauris sinum aperire, spretâ quodammodo tantæ benignitatis largitate inania sectatus, Religionis in postremis habitæ reus sibi non mediocriter videbatur

Quæ

Quæ cùm diurno tempore in studiis, in colloquiis, in negotiis, nocturno, 1579.
inter somni horas occursant importunè, nullamque dant quietis partem, &
modò quidem seiunctam ab hominum consortio vitam inter Alpium iuga
agere, modò in Cœnobium aliquod à conspectu semotum se abdere, modò
aliud & aliud vitæ genus, quò Deo & sibi faciat satis meditatur, neque alicubi
potest cogitationis pedem figere, *Romã* reuerti statuit, vt vbi neglecto eo quod
præcipuum erat, Deum seq; in se ipse commouisset, ibi se sibi & Deo redderet,
actum demum de vitæ ratione reliqua quid decernendum esset deliberaret.

XII. Contubernalibus vtebatur *Luca Atestoe* & *Ioanne Lano*; his non difficulter suadet *Romæ*, aut certè Parmę, perficiendum sibi quidpiam esse quod diuturnam haud patiebatur dilationem: Itaque deducto Venetias, & aduersum Eridanum conscendenti cùm prospera omnia fuissent adprecati, Ferrariam venit: mox relicto nauigio iter reliquum Romam vsq; pedibus exoluit, hoc interim tantulum pœnarum de pristina sumpturus negligentia. Non latuit humani generis hostem, quę illi præda clam de faucibus deduceretur, quemq; vi aperta olim aggressus de statione depulisset, nè inter malos minus ipse malus boni quidpiam moliretur, hunc nè melior factus ad optima conscendat, clandestinis consiliis conatur auertere. Iungit se viæ comitem lacernolus homuncio, vultu, habitu, voce ad commiserationem factus; nec grauatè eum admittit hic noster Peregrinus: solatur stipe, victu, alloquio: Miseratio atque amænitas externi hominis, & à quo nihil metuendum videbatur, aditum faciunt ad ea quæ intus in animo claudebantur aperienda: " Fueram, inquit, plurimis annis Religiosi ordinis votis adstrictus, at nunc melioribus vsus consiliis, propripui me ab illa durissima seruitute, atq; in libertatem me ipse adscripsi. Enimuerò inconsultò faciunt homines, cùm à teneris annis, nè gustatâ quidem laxioris vitæ iucunditate, in hæc se comprimunt ergastula: Is me etiam error incautum inuoluerat, sed explicui tandem me, neque facilè in eosdem cassès concludi patiar.) Hæc desertor contumeliosus vomebat ore, quæ parens mendacij suggesserat, ad noui militis animum Orci sui tenebris infuscandũ: Quàm verò inani capiti, & vacuo dicenda ea commisisset cùm peruenerunt Florentiam, perfuga ipse detexit. Confestim enim inuolans in officinam, pileo nouo ex holoserico coëmpto (decorus scilicet & elegans) per plateas glorioſus ingreditur, reliqua pannosus & vilis, hospitémque suum salutans. " Præclarum, inquit, est vnam saltem aliquam vestitus partem habere splendidam.)

Quid ei in via contigerit.

XIII. Ita est: Vnum aliquid, atque id exile, incongruum, dissonum, sectantur ij, qui abiectis sanctioris vitæ ornamentis soluti, videlicet, ambulant, atque per vitiorum deinde omnium fœcem præcipites vagantur. A quibus non longè videbantur abfuisse duo illi, veste quidem sanctimoniam, moribus nihil sanctum præ se ferentes, qui cum die altero proficiscentem assecuti, cùm de vitæ genere eligendo sermo incidisset, quâ potuere orationis grauitate dicam, an leuitate deflectere moliebantur ab sanctioribus consilijs, eam quam ipsimet externo cultu profitebantur viuendi rationem damnantes, lætitiam,

1575. titiam, epulas, ac propè intemperantiam ipsam sæculi præstabiliorem asserentes. Audiebat ista vir in fide nouus, iudicio canus, & facilè perspiciebat quâ animi leuitate, quâ egestate ingenij, quâ mentis abiectione & dicerentur & fierent. At quibus armis ab hoste antiquo impellebatur ad ruinam, ijs se sustentabat ad gloriam. " Itane vero? Intra ipsa sacrosanctæ vitæ claustra tanto cum discrimine confligitur, vt illi qui ijs gaudent Dei donis quibus maiora sunt nulla vix se aut nè vix quidem tueantur? quid in turbinibus sæculi, quid in fluctibus, qui ingentes sunt, sperandum? Eripiam me ocyus ab his procellis, & portum quem tenuero, nullâ mihi vi eripi, nullâ contumeliâ patiar occupari) *Romam* itaque cùm venissem exeunte iam maio, & se attentius suaque per aliquot hebdomadas inspexisset, nihil cunctandum arbitratus, *Mercuriano* Societatis Generali se offert; timidiusculè primùm, tum deductus in conclaue, & sibi relictus, procumbens in genua, & Deo se totum tradens, tantâ animi lætitiâ redundauit, vt incunctanter suis omnibus se abdicarit bonis, & nullâ inposterum hæsitatione Societatis rationes complexus perpetuâ vixerit cum animi æquabilitate.

Societati se addicit.

XIV. Dies quartus Iulij eius in Societatem cooptatione notatur; quamquam ipse alicubi diem vigesimum quintum, diuo *Iacobo* sacrum, memoret; quo fortè ad communem cum cæteris conuictum fuerit admissus. At famæ quidem non segnibus alis Patauium defertur *Personium* inter Societatis Tyrones esse conspectum: Id contubernalibus admirationem primùm, mox re comperta non leuem consequendi cogitationem iniecit; *Lano* præsertim, quicum familiarius Oxonij vixerat, & prima deferendi Schismatis consilia habuerat communia. Sexto post mense sequitur: peractis probationibus missus Complutum, non diu superfuit; inter Theologica studia, laureâ, vti sperabatur, donatus cælesti: Etenim quemadmodum insigni cum sensu pietatis vitam instituerat, ita non minore cum opinione decessit, pridie nonas maias, Anni septuagesimi noni. *Atesious* se socium vtrique daturus fuisse ferebatur, nisi præmaturè rebus humanis mors eum Patauij eripuisset. *Ægidius* etiam *Gallopus*, licet Septembri insequenti voti compos factus, breui concessit è viuis. Quod autem *Bombinus* hunc inter eos recenset qui vel morte pro fide obita, vel immensis pro Christo laboribus in Anglia exantlatis post inclaruêre, error est nominis: Is honor potius *Thomæ Pondo* debetur, qui sub *Gallopi* vel *VVallopi* & *Ducæ*, & *Haringtoni* appellationibus reperitur aliquando latere voluisse: de quo confestim; de *VVestono* & *Garnetto* opportuniùs alio in loco dicetur.

Sequuntur contubernales.

XV. Dum Pragæ *Campianus*, Romæ *Personius*, pietatis iste studiis, & diuinioris sapientiæ, ille docendi muneribus explendis vacat, opportunum erit Angliam tantisper reuisere, & in vno Christi inuicto Athleta, tum hæreticorum in Catholicos pertinaces iras, tum horum in fide indefessam constantiam intueri: neq; enim illùstrior esse potest aut illorum in vexando obfirmatio, aut horum in sustinendo perseuerantia, aut deniq; aliorum mentis diuina quædam celsitudo,

Quid interim in Anglia patiuntur Catholici ostenditur in Thoma Pondo.

celsitudo, qui huiusmodi acerbitate nihil deterriti ad similia se magnis animis 1575.
offerunt, quàm si in vnius hominis continuata triginta annorum insectatione, neque illorum furorem deferbuisse, neq; horum ostendamus firmitatem esse debilitatam. Ista *Thomas Pondus* subiiciet oculis; in quem virum neq; fortuito neq; alieno tempore incurrimus. Hoc enim anno memoratur (per eum quem olim habuerat sibi famulãtem *Thomam Stephani* Romam destinatum) petijsse Societatem, & paucis post annis obtinuisse: nam inde ab extremis Indis, & vrbe Goa (quò inclinante anno septuagesimo nono *Thomas Stephani* peruenerat) factam vtrique hanc gratiam adgratulatur; Et *Mercuriani* Generalis literæ ad ipsummet *Pondum* datæ, fidem faciunt anno septuagesimo octauo exeunte esse cooptatum: Quas literas tanquam viri optimè meriti monimentum hic adnectere visum est; sunt autem huiusmodi. " *Thomas Stephanus* frater noster nobis in Christo carissimus multa nobis narrauit de constanti Dominationis Vestræ pietate, ac fide, quæ nobis pergrata fuere, ac præsertim quod iam à multis annis magno desiderio ad Societatem nostram aspiraret. Itaque etsi ita instituta nostra ferant, vt nullum nisi bene multis probatum experimentis in nostrorum numerum recipiamus, tamen & tam luculento tum Stephani, tum aliorum etiam testimonio permoti, & pro diuturna probatione tot annorum labores ac ærumnas accipientes, piis Dominationis Vestræ desideriis obsequendum duximus. Quare pro ea auctoritate quam nobis licet indignis Dominus Deus dare dignatus est, iam nunc Dominationem Vestram tanquam filium ac fratrem amplectentes, illum in Societatem nostrã recipimus & admittimus, & quasi verum membrum in hoc corpus totum insertum, deinceps quoq; nostrorum omniũ operum, laborum, meritorumque consortem ac participem facimus. Speramus autem Dei clementiam atque infinitam bonitatem aliquando ita Dominationi Vestræ propitiam fore, vt eius, quod valde optamus, ex istis molestiis ereptæ congressu ac præsentia frui liceat: quam facultatem, si eiusdẽ prouidentia aliquibus de causis eripuerit, hoc tamen Dominationem vestram seipsam consolari volumus, quod post paucos huius breuissimæ vitæ dies in æterna illa immortalitate, quam semper spectare & ante oculos habere debemus, ita coniungemur, vt nulla nos deinceps res aut casus separare possit. De cætero etsi Dominationis Vestræ virtutem confirmatione non egere scio, quam audio esse viro Christiano planè dignam, breuiter tamen vt filium carissimum monebo illis Apostoli Verbis vt meminerit se *spectaculum esse Deo, Angelis, & hominibus, Deo* quidem, vt ab eo sempiternis præmiis pro minimis laboribus afficiatur, *Angelis* vt præsenti eorum auxilio roboretur, *hominibus* etiam, vt eos, quod hactenus fecit, plurimùm suo exemplo ad veram pietatem accendat, & ad quæuis pericula pro Christo alacriter subeunda confirmet. Quæ tamen ita à Dominatione Vestra prudenter & cautè geri cupimus, vt neque in apertum se discrimen sine causa & fructu demittat, quæ non fortitudo sed temeritas existimanda est, nec valetudinem ac vires immoderata abstinentia & ieiunijs, quibus satis de-

Literæ Mercuriani ad Pondum.

1575. ditam esse audiuimus, perdat, sed potius, vt dicit Propheta, curet *fortitudinem suam ad Deum custodire.* Dominus autem cui semper proprium est innocentiam & integritatem, suâ præsertim causâ in periculum aliquod adductam tueri ac defendere, Dominationi Vestræ ita semper adsit, vt vel incommoda omnia ab ea depellat, vel si ita magis expedierit, ad ea certè perferenda fortitudinem, & constantiam, salutaremque patientiam largiatur. Nos certè tum ipsimet, tum per nostros omnes hoc nomine Deum Dominum orare & obsecrare nunquam cessabimus. Vnum tamen illud à Dominatione Vestra magnopere seruari velim, vt hoc suum consilium de Societate nostra, habitu non solum ac vestitu, sed sermone & verbis prodat nemini, sed secretum habeat, donec meliora affulserint tempora, cùm sua ista desideria exequi cum Dei auxilio possit. Interim gratia Christi & communicatio Spiritus Sancti sit cum ipsa semper. Romæ: prima Decembris 1578. Cuius vero in robusta ætate virtutem describere aggredimur, huius initia discere pretium erit operæ.

Pondi nata les et initia. XVI. Parentibus ortus est *Thomas, Guilielmo Pondo* & *Anna VVriothesslea*, sorore *Thomæ VVriothesslei*, Sout Hamptoniæ Comitis. Nondum in lucem editus dexteram erexit; id pugilis futuri omen habuere. Eius prima ætas ijs disciplinis tradita est, quibus in scholæ Wintonienſis Collegio Beatissimæ Virginis ad Latinæ linguæ vsum instituebantur adolescentes: Tum anno ætatis vigesimo tertio profectus Londinum, ad forensem seu gloriam seu dignitatem, Iuris Municipalis præsidiis se comparauit: Atque vt erat non minus formæ, membrorumque venustate & robore, quàm animi promptitudine atque excellentia conspicuus, inter artes ingenij, iis corporis exercitationibus oblectabatur quibus laudem petere nobilissimi quique consueuere, atque excelluit saltatione. Mortuo Parente Aulæ cupidus paternarum possessionum partem non exiguam eas inter delicias spesque inanes profudit. Id mirabitur nemo *Elizabetha* regnante, & ad luxum, quo ipsa capiebatur, cunctos post se trahente. Natales Christi dies, vt semper solemnes, ita Anno sexagesimo quarto fuere celeberrimi; dabantur in Curia ludi apparatissimi *Thoma Pondo* instructore. Inter saltandum, nudam eius manum manu nudâ prensat Regina, tum ei caput, abrepto Leicestriæ Comitis pileo, ipsa tegit, nè ex vehementi motu accensus subitò refrigeraretur: Imposita ei videbatur laurea: cùm (secundò eandem saltationis formam flagitante Regina) celerrimè de more vno in pede circumuolitans, pronus concidit; Plausu in risum mutato, surge, inquit Regina, Domine Taure; eâ voce cõmotus, surrexit quidem; at flexo ad terram poplite, vulgatum illud latinè prolocutus, *sic transit gloria mundi*, proripuit se, & non longo interuallo Aulam spesque fallaces deseruit, consumptarum facultatum & violatæ Religionis præmium ludibrium consecutus.

Aulæ desendæ occasio.

Exercitia pietatis. XVII. Trigesimum annum attigerat antequam se gremio Ecclesiæ redderet; at cum absentia omne genus virtutis sedulò compensandum arbitratus, annum in oratione posuit, sui inspector assiduus, contemptor eorum quæ de se alij, deque vitæ quam instituebat ratione aut cogitarent aut dicerent: multa ab

ta ab amicis, multa ab se ipse sustinuit, dum solitudinem, dum castimoniam, 1379.
dum victus cultúsque negligentiam, asperitatem etiam & duritiem adamauit. Anno deinde altero voti se Religione colligauit ad Sacerdotium suscipiendum postquam se piis in operibus septennio comprobasset; tum etiam Societatem *Iesu* petiturum, eo potissimum consilio quòd dignitatibus abstineret. Ad quæ tempora referenda sunt illa quæ de eo narrat noster *Thomas Stephani* (quondam *Pondi* familiaris) in petitione Societatis, quâ se & *Pondum* admitti postulabat anno eius seculi septuagesimo octauo; sic enim ait. "Pro magna parte temporis quo cum ipso fui (non enim dicam nisi quæ oculis perspecta habui) abstinentiam magnam sibi imponere, & humi super seruile stratum cubare, media nocte horam vnam, in crepusculo nunc duas, nunc tres, nunc quatuor, & vesperi multum temporis cum multo spirituali gustu orationi dare solitus est: Ita vt hæretici eum insanum, aut stultũ, aut superstitiosum prędicarent, familiares & amici nonnulli id ei etiã vitio darent; quę tamen omnia ille generosi spiritus priuilegio constantissimè neglexit. Quotiescunq; Sacerdotis copia dabatur, singulis festis & Dominicis diebus, etiã aliquando non semel in septimanã, præmissa confessione Sacrosanctũ Corpus Domini nostri sumebat, & alijs vt id facerẽt auctor erat, sępissimè apud suos conquestus quod Catholici in tam paruo rerum suarũ (vt ipsi videbatur) discrimine, & in tam magnis animæ periculis tã rarò diuina hęc mysteria frequentarent. Vintonia est ciuitas Episcopalis non longe ab eius ædibus distans, in qua cum audisset multos pauperes Catholicos Recusantes (sic enim vocant eos qui cum hæreticis nulla in re participant) delitescere, & Sacerdotem quendam senem ibi commorari, sed rarissimè celebrare, eos multò rariùs communicare, illuc se maturè contulit, conditionem eorum & viuendi rationem explorauit, eísque prandium post sacram missam & communionem instituit, datisque eleemosynis, Sacerdotem ad celebrandum frequentiùs, Catholicos ad communicandum hortatus est: huc accedit quod paulo post redeuntibus annuis nundinis, non paruis expensis Caseorum magnam copiam conflauit, & binos & ternos inter eos distribuit, hac lege vt nisi maiore cum feruore diuino priuilegio & gratiæ datæ responderent, scirent actum esse de amicitia. Mira animi dulcedine affici solebat si quando duodecim aut sexdecim Iuuenes nobiles in cubiculo suo sacro interesse, & rem sacram communicare conspexisset. Eleemosynæ faciendæ tam erat studiosus, vt præter diurnas benefaciendi occasiones, quas ipse mirum in modum prosequebatur, gratum haberet si quis ei de Catholico aliquo inopiâ laborante nuntiaret, semper in ore habens illud Diui Pauli, *maximè erga domesticos fidei*; adeò autem nihili ducebat ea quæ per se ipse facere potuit, vt à familiaribus suis, si qui ditiores essent, eleemosynas pro Catholicis afflictis aut incarceratis studiosissimè efflagitaret; memini cùm aliquando integrum tractatum in hanc sententiam in gratiam vnius Catholici componeret, & Henrico Comiti South-Hamtoniæ affini suo Catholicissimo legendum mitteret, hæreticis ipsis non rarò beneficus, vt corda eorum emoliendo aures veritatis Catholicæ capaciores effi-

Th. Stephani Epa. de Pondi vitæ ratione.

1579. res efficeret.) Hæc *Thomas Stephani* cùm suam & *Pondi* causam apud *Mercurianum* ageret.

In Gallias cogitãs capitur.

XVIII. Quintus annus abierat. Quò igitur se *Pondus* votis propiorem faceret, agrorum parte diuendita, diem condicit quâ in Gallias cum adiunctis sociis aliquot erat transfretandum. Dum Londini res suas componit, & ciuem hospitem suum sedulò in recta fide conatur instruere, à lictore inopinatè deposcitur, Sandio Pseudo Episcopo rationem redditurus quo modo Reginæ legibus obsequatur. Crimen nullum obijcitur, nulla accusatio, legis violatæ nullum argumentum: datis tamen vadibus adstringitur vt secundò dicta die compareat Mercator quidam in Vico Sancti Marci quem malus dæmon insederat Ecclesiæ precibus liberandus clam proponebatur. Huc *Pondus* Sanctorum hominum reliquijs munitus accurrit, multa piè de Ecclesiæ potestate in malignos spiritus, multa constanter de recta fide retinenda disserit: Non est id tam latenter factum, quin, cùm ad Londinensem deferretur, is præhensum nostrum hominem, iam criminis qualiscunque reum, in carcerem compingeret. Post quartum mensem scripto rursus vadimonio liber paternas ad ædes vltra Londinensis fines semigrat. Orationi & virtuti priuatim, consilijs salutaribus suggerendis (cùm inter suos versatur) intentum, viator hîc iterum occupat coram Horno Vintonienſi Antistite sistendum vnà cum alijs nonnullis spectatæ nobilitatis atque integrę vitæ Catholicis, factâ subdolè spe mitioris iudicij si inter importunas hæretici hominis scisitationes declamationésque parcerent omnes linguæ: silentium porrò istud debilitati deinde & ignorantiæ tributum est: quin pro concione contumeliosè & petulanter Catholici canes muti appellati. Acerbè id tulit *Thomas*: Itaque Horno die altero pro tribunali magnificè ostentanti se & Vincentium Lerinensem extollenti, quod signa rectæ fidei verissimè traderet, litem indicit; Vincentium pro Catholicis stare, hæreticis aduersari contendit: dimicatur acriter, quod obtinere rationum momento hæreticus non potest, conuitijs, vocibus, maledictis celebrat: *Thomam* argumento insistentem, duci iubet. Quantum inde molestiarum adeundum fuerit, mox ex ipsiusmet Epistola repetam ad simul captiuos exaratâ.

Fraus hæreticorum.

Qui carceres Londini.

XIX. Carceres celebriores Londini quot & qui sint, vtile erit narrasse. Tres nimirum, in tribus vrbis portis: in ea quam *nouam*; quam *Luddi* (ad quę hominem nonnulli vrbis ipsius originem referunt) & quam portam *domus*, vocant, (fuerat enim porta olim Monasterij ad occidentem solem positi) trans Tamesim quinque; *Bancus* seu sedes Regis; summi tribuni militum, seu *Mariscalli sedes*; Atrium Wintonienſe quod *Clincam* vulgus nominauit; *Leo albus*; & domus *supputationum*, seu dicas Nomistirion, aut *Computorium*. Sparsi per vrbem alij tres, *Fleta*, à profluente aquæ cursu dictus, aliud *Nomistirion*, seu *Computorium*, & Sanctæ *Brigittæ fontes*; in quos ferè ære alieno graues, vel vagi nebulones conijciuntur. Denique extimæ parti vrbis solem orientem versus, *Arx* imminet, quam *turrim Londinensem* dicunt; Hæc eorum est

custodia

custodia qui læsæ maiestatis, & grauiorum criminum rei peraguntur; ad *Nouam-Portam* plerumque relegantur latrones, sicarij, facinorosi. Hi semel omnes fuere necessariò percensendi, quoniam modo hi, modo illi Catholicis obtingere consueuere, pro arbitrio eorũ in quorum manus inciderint, & singuli pro re nata frequenter venient commemorandi. *Pondo*, post duorum mensium custodiam Wintoniæ, carcer Londini Sedes-tribuni fuit: Hornus enim nè rursum super Lerinensis sententia solicitaretur, causam ad ordinarios iudices transtulerat, Hi dubij quid de Catholicis laicis vniuersim Regina statui vellet, cunctos mittunt Londinum. Isthinc *Pondus* ad reliquos sic scribit." Sæpius interrogatus sum apud Dominum Younge; Bis apud quinque vel sex commissarios; semel publicè productus in maximam hominum frequentiam, onustus ferro; (nimirum existimabat liberius fletisse pro veritate coram ijs quibus non libebat audire) dum hinc abstrahor ad *nouam-portam*, carnifex quasi iam damnato abripit cum pallio pileum: caput mihi talium reliquit; id æquè mihi atque illi doluit; Intecto caput, & graui ferro progredienti, acclamat plebs, *Crucifige*. Nouæportensis viduæ eleemosynam (cruciamenti id genus est) liberaliter mihi impertierunt. Ad quartam vsque pomeridianam præstolabar Iudicum sententiam, cùm repentè auocor; manicæ pedicæque detrahuntur, restituitur cum pileo pallium: ducor ad Lincolnienſem Aulam, (quæ mihi olim legibus danti operam fuerat habitatio) isthic Commissarij quinque me opperiebantur, & eos inter Toplisus quæstionibus præfectus: ab Regina mandatum fuerat, vt quâ minando quâ blandiendo me ab instituto reuocarent; frustra omnia: vrgent, si fidum me velim Reginæ, si amantem subditum demonstrare, necesse esse eorum nomina vt edicam, cum quibus, & quibus in locis mihi esset consuetudo: Respondeo: Paratum me esse de eorum omnium fidelitate etiam iuratum promittere; Cæterum non viri boni, atque Catholici, non hominis meo loco nati, atque educati, non Conscientiæ denique meæ esse viris innocentibus atque beneuolis molestiam quamlibet nominando procreare. Cùm nihil impetrarent, humanissimis verbis affectum me meo carceri reddunt. Post biduum Toplisus ad me cum præposito carceris: amicè animi mei constantiam pertentant: multa hic disceptatio: profectus nullus: conditionem meam deplorant: id maximè eos dolet, de quo plurimum ego glorior, fides, atque fidei causa captiuitas. Post hos, rursum Youngus accersitum rogat, quid ad me Toplisus? verebatur homo (vrbanus videlicet & suauis) nè austerus ille & asper quidpiam durum & agreste in me egisset. Familiarissimâ voce demulcere conatur vt familiares meos prodam; vt arcanum quidpiam enuncie quod ipsi vlui esse posset ad nequitiam. Nihil efficit. Hortatur tandem vt ad magni sigilli custodem literas dem, gratiam impetraturus: do: eò fructu, vt minùs me deinceps curarint, pertinacem, scilicet, hominem, & omnium mei ordinis ab

1575.

Epistola Pondi ad concaptiuos.

1576. regni salute publicâ (hoc est) ab hæresi maximè alienum. Itaque hic sum, seclusus ab cæterorum omnium consortio, sine spe laxioris custodiæ, nisi forte in proximo Nouoportensi Iudicio rursus sistar, obsequij Deo præstiti fideique Catholicæ conseruatæ reus. Hæc ad vos (ô Socij vinculorum) dare habui, vt siniſtris de me rumoribus obuiam irem, volque ad eam quam opto in fide perseuerantiam omnibus votis adhortarer. Valete.

Parat se ad mortem subeundã.

X X. Multa liberè dicta apud causarum cognitores, præsertim de potestate ab Regina vsurpata in res Ecclesiæ, non opinionem solum sed spem iniecerant posse se proximis Iudicijs ad dicendum de capite vocari. Ea propter, mortem præforibus figurans, nullum pietatis genus omittebat, quo se tum ad exitum felicem compararet, tum etiam accenderet desiderium, prece, lectione, scriptione. Non pauca enim hoc tempore est commentatus, memoriæ commendata diligenti manu nostri *Thomæ Stephasoni* (quem vidimus vt dictum est Watenis) Præcipua fuere; vt pœnitentiæ necessitatem demonstraret quatuor argumentis. A multitudine peccantium: ab falsorum prophetarum ingenti numero: A crudelitate Turcarum & hæreticorum: ab nuperis de cælo & de terra ostentis: adiunctis Capitalium vitiorum omnium remedijs. Tum decem sibi solatia contexuit ad mortem alacri animo subeundam incitantia: Quod morte esset peccata sua expiaturus: Quod Dei & iustitiæ causa, & Christi exemplo vitam profusurus priusquam aut Angliam euersam (quod iam tum ominabatur euenturum) aut AntiChristi tempora videret: tum etiam fidei sementem qualicunque suo sanguine rigaturus, & tantillum ad constantiam Catholicorum, hæreticorum dedecus, Religionis defensionem allaturus. Sed ea ad quam adspirabat breuis mors in diuturnos carceres est commutata, de quibus strictim dicendum, nè vnius vitam retexendo Historiæ filum habeamus nimis implicatum. Cùm enim non cessaret verbo & scripto tum Reginæ in Ecclesiasticis principatum inceſſere, tum Catholicorum animos confirmare, Elmeri Londinensis diligentiâ amotus est in castrum Storfordiense, in finibus Cathalaunorum & Trinobantum, addito præcepto nè ad eum cuiquam pateret ingressus. Fabro aptante ad pedem ferro conatur compedi osculum imprimere, Faber compedem capiti impingens elicit sanguinem: at *Thomas*, sereno vultu," vtinam inquit, hic sanguis ex imis meis fluxisset præcordiis eâ pro quâ patior causâ; perculsus Faber viri patientiâ scire auet quid hoc causæ sit, & quibus nixa fundamentis. Annis post aliquot accedit ad Catholicos; tenetur; & in Carcere piè defungitur; *tanti est constantiam in asperis tueri*. *Pondus* post annum ad Mariscalli sedem reuocatur; tum in Arcem Londinensem comprimitur: Inde defertur in Nomistirion trans Tamesim, atque hinc Wisbicum Insulæ Elienſis propugnaculum, vbi plures annos cum pluribus Sacerdotibus & laicis versatus est & sa mi-

Mutatis frequenter carceribus tandem domui paternæ moritur.

Essexios nunc vocamus & Cantabrigienses.

Fabri ferrarij conuersio.

& familiarissimè cum Patre *Guilielmo VVestono* de quo alias erit sermo. 1575.
Anno nonagesimo septimo rursus Londinum ad Arcem, tum ad Computorium intra vrbem, deinde ad album Leonem, ad Portam domus apud Westmonasterium, & Fletam, denique Framingamiam apud Icenos, ad tempora vsque Iacobi Regis; qui cum Sacerdotes amandasset in exilium, huic concessit libertatem datis sponsoribus. Itaque posteaquam vndecim præcipuos carceres suis vinculis celebrasset, in paterna domo decessit, Anno sæculi decimi sexti quinto decimo, cùm ætatis annos numeraret 76. Is qui ab eogesta collegit *Stephanſonus* affirmat septẽ annis fuisse in Arce Londinensi, quatuor in Mariscalli sede, sesquiannum egisse in castro Storfordiensi, decem in Wisbicensi, tres Framingamiæ; reliquos ad vsque trigesimum, sparsim in aliis locis qui sunt commemorati.

Catholicorum par causa & vexatio.

XXI. Neque is solus vnquam, aut quæsitâ semper nouâ causâ infestabatur: Catholicorum par erat causa & vexatio. Licet enim hic fortassis zelo profitendæ fidei ardentior cæteris promptiorque videri potuit ad proferendam sententiam (ex quo euenit aliquando vt hærente Sacerdote coram Iudicibus in ea quæstione, censendusne esset in Ecclesiasticis supremam per Angliam potestatem obtinere Pontifex, an Regina? & in diuerticula se implicante, palam *Pondus* adclamaret, dic, Pontifex, Cui enim potius id iuris competat?) Omnium tamen ordinum rationes tam erant cum Catholicorum ruina coniunctæ, vt quique in suo foro omnem operam omnemque curam admouerent hæresi corroborandæ, Orthodoxæ fidei (si quo modo possent) extirpandæ. Ij qui Reginæ erant a consilijs, quam viuendi libertatem adamarant, eandem sequi decernentes, ne si aut numero augerentur Catholici aut facultatibus, domi mouerent aliquid, aut foris machinarentur, aut suâ ipsorum multitudine & pietate notam impiæ nouitati inurerent, quâ vi, quâ astu, quâ famæ iniuriis supprimendos & arbitrabantur & curabant. Qui in Episcoporum & Cleri totius inuolauerant dignitatem & opes, susceptam semel à Regibus in spiritualia potestatem pertinaciter sustinebant, vt auctoritatem ipsi suam, nullo sacro ordine celebrem, Imperio quamquam fœminæ tuerentur; Tum scriptis mendacibus, & sacrorum Codicum Patrumque sententiis in alienum sensum peruersè detortis, cùm suam sectam conarentur defendere, si quid docti Sacerdotes falsitati redarguendæ scripto reponerent, primùm turbandarum rerum studio factum infamare, tum omnes Catholicorum familias conquirendorum supprimendorumque huiuscemodi argumenti librorum ardore euertere; apud quos reperti essent carceribus tradere, ingenti pecuniâ mulctare, libros cùm scientiâ non possent, igni, tanquam perduellionis reos, abolere: Denique callidi reipublicæ moderatores, non minus foris per exploratores quàm domi vigiles, si quid externi Principes suorum negotiorum causâ mouerent, si militem in finibus collocarent, si conscriberent, si de pace cum vicinis decernerent, id omne à recto cursu auersum ad rerum suarum interturbationem pertinere comminiscebantur;

1575. & confestim tum Sacerdotibus, tum reliquis Catholicis, copiosis præsertim tanquam conspirantibus imminebant: Qui Londino longius habitabant vel trahebantur in vrbem custodiis includendi, vel edicto iubebantur à suis ædibus non vltra millia passuum quinque secedere, nisi in scriptis concessâ ab eius regionis in qua morabantur Iudicibus licentiâ, Quorum temporum meminit *Personius* in sua ad Rectorem de vrbe Epistola. " Persecutionis æstus vehementissimus est, & qualis à constitutione Angliæ non fuit: Trahuntur vndique in carceres, nobiles, ignobiles, viri, fœminæ, ipsi etiam pueri; vinciuntur catenis ferreis, spoliantur bonis, priuantur lumine, & publicis tam edictis quàm sermonibus concionibusque infamantur apud vulgus proditorum & rebellium nomine.) Et infra. " Nobiles carceribus inclusi his superioribus mensibus multi sunt, illustres, diuites, & suis quique in locis præpotentes: Ita vt non solum veteres carceres Angliæ, verùm & multi iam noui Catholicis recipiendis non sufficiant: Et tamen Inquisitores mittuntur ad alios quærendos; eorum verò numerus per Dei gratiam sic increscit quotidie, vt ipsi prope fatigentur.) Et publicæ quidem rei commodo ista fieri apud indoctum vulgus prætendebatur, intus autem Religio petebatur: Nam huius recenter euersæ conscij, & virium veritatis non ignari, quæ se ipsa erigit ostendítque nisi continuatis nubibus offuscetur, suarum etiam rerum priuatim prouidi, alas Catholicis præcidendas rati, rem familiarem assiduis vexationibus interturbabant, vt nè, si cuperent, se possent erigere; quod & *Carolo*, Regum infeliciſſimo, fuit semper propositum, hodiéque agitur: *Pondus* hic, de quo dixi, haud multum opulentus, coram Wintonienſi de Religione respondens, aiebat sexdecim millibus aureorum exutum se esse, eo quod Religionem non exuere decreuisset. Neque tamen tota causa Religio est, sed & lucrum: Nam quemadmodum hac rei familiaris direptione plurimos ab amplectenda fide remorantur, ita si quos inconstantes offenderint, pessimè eos habet; perit enim illis fons & scaturigo pecuniæ qua laginentur; nisi forte totam simul contigerit cuiuspiam substantiam deglubere. Sed eò redeundum est vnde deflexit oratio, & *Personij* Theologicis studijs absolutis, sequentes eius curę cum *Campiani* laboribus coniungendæ, mox vt Epistolam *Pondi* recitauero, quâ intelligatur quo animo semper ille fuerit aduersus Societatem, & quibus virtutum radicibus tot annorum in persecutione patientiam sustentarit: sex igitur annis antequam de hac vita decederet, sic ille ad *Personium*

Personius 17. Nouembris 1580.

Epistola Pondi ad Personium

XXII. Magnam animo cepi voluptatem cùm redditæ sunt mihi literæ tuæ, tertio Ianuarij datæ, adscriptâ præsertim à Patre *Claudio* salute, mihi filiorum minimo atque indignissimo: nihil enim à plurimo tempore ad me perlatum à vobis fuerat. Ex illo vero die, ad Idus Maias, hæsi incertus quid hominum mitissimus atque humillimus superior hîc meus me vellet; ab illo tandem per literas mihi factum est abundè satis: sed vt rem, vti est, loquar, vehementer me pudet tot annorum silentij, & de genu, atque ad terram ad vtriusque pedes pronus precor mihi indulgeri: Nam neque conueni superiorem

rem meum vt oportuit, neque per literas adiui Reuerentiam Vestram; fateorq; 1575.
ingenuè excusandæ negligentiæ meæ aditum nullum aperiri. Reuerentia tamen Vestra mihi vlcera Charitatis suæ aperit; forte Beati *Edmundi Campiani* gratiâ, cuius memoria in benedictione est. Illum Reuerentia Vestra amauit, ego omni quâ potui ratione colui. His autem in literis non solum, sed libris Vestris (qui & Angliæ solatio, & extra Angliam auxilio plurimis sunt) tantis laudibus cumulor, vt seu audiens, seu legens, totus erubescam. Non possum certè tibi non plurimùm gratulari, Reuerende Pater, qui vt alter Israël cum Deo es luctatus pro Anglia conseruanda reducendáque. Quod ad me attinet (cui Deus optimus maximus dedit aliquid pati) nihil mihi arrogo, cùm merear nihil. Vltimis meis ad Patrem nostrum subscripsi, *Tot annis in statera appensus, Thomas Pondus*: si illo tempore, vel si postea quidquam præstiti, Dei fuit munus, non meum factum. Ad te optime Pater, literarum nihil dedi; animo id meo & pusillo, & timido adscribendum esse censeo: Negligentiam certè meam ego ipse culpo, quòd tanto tempore nullum seu beneuoli seu grati animi Symbolum à me profectum est erga illos quos tanto honore prosequor quantus nec ipsos latet quibus hic omnia parent. Si quæris vnde hæc pusillanimitas & timor? Credo ex dilatione: Nam cùm ad triginta annos per varios carceres, Christi & Euangelij causâ, raptatus fuerim; cùm sexdecim aurei primùm, deinde per viginti annos aurei octoginta in singulos menses fuerint à me in ærarium inuehendi, cùm denique trans mare cogitans, possessionibus in nepotes duos translatis (quos ex hæreticis ortos, Catholicè educaueram vt filios) vno quasi pede nauim conscendissem, à superiore meo (cuius ad nutum me formaui quasi senis baculum) iubeor subsistere, donec quid Pater Noster, vel quid Reuerentia Vestra consuleret, cognosceretur. Itaque spe exutus, & tamen diu frustra sperans, plurimo etiam turbine atque tempestate iactatus, statui me nihilominus nudum & pauperem, etsi sero, offerre, tanquam arborem infrugem & sterilem, vt si fortè deciduo hoc vitę termino fructus aliquid ipse finis afferat, id Reuerentiæ Vestræ lucro sit & consolationi. Solitâ deinde charitate suâ quærit, quid agam? quo animo, quo fructu, aut solatio in suscepta vitæ ratione progrediar? Rectè sanè, vti spero, ac feliciter. Nam quod olim, cum ducerer Framinghamiam, respondi vinculotum administris, hoc nunc dico, & vti confido, dum viuo dicam. *Hanc quam pro Societatis toga gero vestem, non regiâ coronâ commutaro*. Nepotibus, quos dixi, conuiuo; & parcè quidem: Neque enim tanta mihi est facultas quanta vulgo æstimatur; quoniam verò plura in pauperes erogo quàm vicini, audio diues; & cùm flocci habeam ea bona quibus alij inhiant, plerique honestiores bene mihi volunt. Post vnicam refectionem sub meridiem (quam abstinentiæ rationem familiarem esse cuperem etiam piscatoribus animarum) Vesperi panis & caseus mihi cibus est; ceruisia potus; nam vino mihi penitus interdixi, & medicis; *cibus est medicina valenti*. Postremis his tribus annis sat mihi fuit negotij cum domesticis, vt quod mihi propositum est vitæ genus tenerem; teneo tamen,

1576. & precibus Beatissimæ Virginis, totiusque Cælestis curiæ fretus, tenebo. Non enim existimo me comprehendisse, sed ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis: Reuerentia Vestra me iuuet suis, cuius vt addictissimus, ita indignissimus sum filius, *Thomas Pondus*. Ex ædibus olim meis Bellomonti, tertio Iulij Anno millesimo sexcentesimo nono.

Initia & progressus Collegij Anglicani de vrbe.

XXIII Decimum annum agebat *Alanus* in seminario ab se Duaci constituto, cùm tumultuantibus in Belgio Hæreticis, & sacra profanis miscentibus, aliò se transferre cogitur, & nouas sedes, beneficio principum Guisianæ familiæ, Rhemis in Campania Gallorum figere, tanta accessione Auditorum & virtutis, vt illi Duacenos numero plurimum superarint, hæc inuictos fidei in Anglia propugnatores non paucos numerarit, aliquos etiam qui sanguinem, Christi & Apostolicæ fidei causâ fuderint, crudelissimâ morte erepti de vita, quod potestatem ab eo ordinatam ac traditam sustinere, legitima Sacramenta celebrare non destiterint; Huius rei fama vltra Alpes delata erexit animos eorum qui Romæ commorabantur, vt hospitalem peregrinorum domum, priuatis itinerantium commodis institutam, communi & meliori totius Insulæ bono aptari posse existimarent, si quale Rhemis inchoatum, in vrbe perficeretur ex ea domo seminarium; Anglicana enim gens, quemadmodum & reliquæ fere orbis Christiani, ab antiquis temporibus habitationem in vrbe consecuta fuerat, Principum virorum nationis suæ liberalitate, quo qui sacrorum liminum venerandorum causâ proficiscebantur, vterentur hospitio. Ac primùm quidem ad Sancti *Edmundi* Angliæ Regis & Martyris trans Tyberim collocatum fuerat haud procul à flumine, eò fortassis quò Nautæ qui pluribus egebant, nè longius à nauibus abessent, facilius fouerentur, vel quoniam eâ ætate quâdo necdum terrestria itinera erant vel trita vel secura plerique nauibus ferebantur, vel denique (vt in ignota & longinqua regione) qui primi appulerunt locum vbi poterant occuparunt. At aucto venientiũ numero, & annis consequentibus crescente pietate in fortissimum martyrem *Thomam Cantuariæ Archiepiscopum*, commodiori intra vrbem sede iuxta Campum floræ, sub nomine *Sanctissimæ Trinitatis* & *Thomæ* Martyris fundatum est; creuitque annuus census ad duo millia aureorum, quibus & peregrini recreabantur, & Sacerdotes aliqui ad eorundem solatium, atque ad reliqua Ecclesiæ officia sustentabantur; Egentiores aduenæ octo diebus, alij tribus nutriebantur. His verò annis, quando sæuientibus tum in Anglia, tum per Gallias & Belgium hæreticis, vrbs profugis redundabat, & Iuniores quamplurimi florentibus pulsi Academijs locum studijs quærebant, Venerandus Dominus Odoënus Ludouici, Cameræ Apostolicæ Referendarius, & *Ecclesiæ* Cameracenæ Archidiaconus, *Gregorio decimo tertio* primam sedem obtinenti suggessit, è re futurum Religionis, si veteranis hospitij Sacerdotibus, non longius prospectantibus quàm vt vni illi domui subseruirent, Iuniores aliqui miscerentur, qui Duacenorum & Rhemensium instituto causam Angliæ vniuersam amplecterentur, atque in rectæ fidei fundamentis scholæ adminiculis confirmati

inde

inde Religionis restitutionem repeterent vnde per alterum *Gregorium* est ipsa Religio deriuata. Placuere Pontifici quæ proponebantur; iussitque vocari Rhemis septem, dicebatur enim census esse totidem alendis præter Sacerdotes & Peregrinos. Exiguus deinde visus est magnorum animorum Pontifici is numerus; & plures adiungi voluit ærarij sui sumptibus. Tum etiam cùm initia hæc non parum probarentur, vniuersum hospitium, iura omnia, & reditus, amotis aliò Capellanis, auctoritate sua, non ita multo post tempore, in seminarium commutauit, translatâ eius administrandi regendique curâ in Dominum Mauritium Clenocum, qui & studentium disciplinam, & rem moderaretur, & peregrinorum studeret ipse subsidio. 1575.

XXIV. Inimico generis humani, bonorum omnium cæptorum inuido, nunquam deest vigilantia, quâ luxuriescenti feliciter tritico superseminet occultè zizania; sperauerat postquam laceratis templis, euulsis altaribus, exinanitis Religiosorum hominum domibus, eiectis exterminatisque Sacerdotibus Dei cultum ex oculis Maiestatémque Religionis sustulisset, collapsura cum die cætera atque ipsa cessatione obliteranda. Cùm verò nouâ Prole veteres ruinas impleri conspiceret, & non legum seueritate, non vexantiam sæuitiâ, non periculorum numero, non mortis arcessitate arceri posse ab ea quam foris conceperat pietate in gentiles suos refundenda, ad apertam vim, quâ non modicè valebat, occultam fraudem adijciendam esse existimauit. Veteres inter Sacerdotes primùm qui à Mariæ temporibus remanserant, & nouos è seminarijs profectos, discordiæ, aut inuidiæ flammas si accendere, si hos & illos aduersum seipsos committere potuisset, magnam rem præstitisse arbitrabatur. Erant enim illi iam senio effæti, hi vegeti & ad labores atque discrimina expediti; Illi docti quidem, hi acuti magis & prompti; Illi consuetudinum quæ domi inualuerant tenaciores, hi externis etiam moribus ac disciplinis cultiores: Ista Catholicos excitabant ad hos illis præferēdos sequendosq; : Magistratus hæreticus, quò igni oleū adderet, cum illis facere, hos perdere omni ope adlaborabat; ficta quadam pietate vel immunitatem illis concedebat, vel quæ facerent, dissimulabat; hos omni arte atque asperitate, seu legum, seu perscrutationum, seu pœnarum, ac tormentorū, vel de vita vel de regno deturbare moliebatur: Hinc inter ipsos carceres & Dei causâ tolerata supplicia glisscebat sæpè dissidium, quasi hi noui non ad reuocandam conseruandamque in pusillo grege, sed ad euertendam Ecclesiæ pacem nati factique essent. Tum arcem ipsam petens, erectum recenter Romæ Seminarium, motâ inter Alumnos lite, in proximo erat vt ab radice conuelleret: Benignitate ac liberalitate Pontificis numerabantur Auditores quadraginta: Præerat is quem diximus Clenocus: vir bonus & non leuiter eruditus, electus olim Maria regnante ad curas Episcopales; is tamen vel quoniam in senium iam prouectus, vel quia regendæ Iuuentutis expers, aut vnus omnibus non satis erat, multos in se multorum querelas accersebat, de re non rectè neque fortè æquâ lance administrata: Vt enim erat ipse de antiquis Britannis oriundus (qui Angliæ nunc partem incolunt, & vulgò dicuntur

Artes Dæmones ad opus interturbandū.

Dissidium Sacerdotum.

Et Alumenorum in proe.

1578. tur Walli, cùm antiquissimè tota Insula Britannia esset) contribulibus suis septem plus indulgere quàm cæteris ex reliqua Angliæ parte collectis, ab his credebatur. Atque vt ab exigua scintilla ingens ignis inflammatur, tota paulatim arsit domus; curritur ad Cardinalem Moronum Protectorem; aditus libellis supplicibus patet ad ipsum Pontificem, per Ludouicum Blanchettum Pontificij cubiculi Præfectum: Orant, obsecrant, flagitant, detur illis Rector alius, alia moderandæ domus constitutio: Atque vt nè in incertum abire cogitatione viderentur, laudatis Patribus Societatis *Iesu*, ab vsu gubernandi atque peritia, à copia & dignitate Magistrorum, ab consimili fine atque instituto, ab auctoritate denique apud Principes viros per quos cæptum opus exurgere & corroborari plurimum posset, hos imprimis postulant moderatores, defensoréque. Neque frigidè aut oscitanter, neque paruo tempore certatur contrà rationibus: Hinc Protectore Clenoci causam sustinente, & tumultuantes modò minis & increpando, modò suadendo comprimere volente: Illinc Patribus Societatis repugnantibus, & à se noui Seminarij curam depellentibus, cùm oppidò iam multis grauati, non parum à communibus causis per hæc domestica munera auocarentur: quapropter in secũda etiam sua Congregatione decreuissent huiusmodi Seminariorum onus suscipiendum in posterum non esse vbi commodè posset euitari.

Petunt è Societate Rectorem

XXV. Eò res increuerat, vt cùm agente Cardinali esset optio vel manendi sub Clenoco, vel abeundi vrbe, Angli triginta tres, relictis Britannis, domo confestim euolarint, vrbe discessuri si remedium malis aliud non daretur. Et difficile erat cognoscere vtrum maioribus animis, an virtute agerentur: species enim erat & forma quædam tumultus: at non communibus tantum in literis ad Pontificem, ad Cardinalem, ad cæteros datis profitebantur se in præsentiarum quidem voluntate incirari proficiendi in pietate & scientia, atque in reliqua Ecclesiæ disciplina diligentius se exercendi, in futurum verò hæc ipsa in patriam hæresi obsessam reducendi, vitam etiam & sanguinem pro Orthodoxa fide reponenda oppigneraturi; atque ea propter *ardentissimis votis conspirante animorum omnium consensu; Reuerendos Patres Societatis Iesu, disciplinæ ac pietatis Magistros, totius Seminarij Rectores petere:* Sed etiam cùm præceptum esset vt singuli quid optarent, separatim, & iurati scriberent, Primus in hæc verba scripsit, *Ego Rodolphus Sherwinus Deum testor cordium omnium scrutatorem, me eius tantum honoris ampliandi patriæq; iuuandæ causâ, regimen Seminarij huius Patribus Societatis committendum censere: idque supplex peto.* Sexto inde vel septimo loco Dominus Mushæus: *Ego Ioannes Mushæus propria conscientia & motu, & humiliter peto hoc regimen tradi Patribus Societatis: &c:*) in quam sententiam cùm singuli, nullo dempto, conspirarent, adlaborantibus deinde Thoma Goldwello Episcopo Asaphensi, & Richardo Shellæo magno Angliæ Priore, ac cæteris qui in vrbe aliquid poterant Anglis, mãdato Pontificis reuocati sunt vniuersi ad campum Floræ, & *Mercuriano* Societatis Generali impositum obedientiæ præceptum, vt de eo

vt de eo per suos suscipiendo regimine quam primum cogitaret. Primus Rector fuit Pater *Alphonsus Agazarius* Senensis, homo diligens, & nostræ gentis perquam studiosus. Septem annis quibus præfuit, non modo interiorem animorum disciplinam ornauit, sed domum auxit ædificijs & reditibus: Nam *Gregorius* dum vixit in menses singulos trecentos aureos ex ærario suo persoluit; & donauit Abbatiam Sancti Sabini apud Plancentinos, tria fere millia aureorum quotannis numerantem. Ita quibus artibus malus dæmon rem præclarè inchoatam conabatur euertere, eas vertit Deus ad eandem stabiliendam, & in futuro tempore perpetuò confirmandam. 1579.

XXVI. Inter hæc *Personius* (decursis studiis in eam domum Patrum translatus vbi pœnitentibus Pontificiâ cum Majestate aures dantur) non tam priuatim sibi, elucidandis præcipuis quæstionum vel ab hæreticis in disceptationem vocatis capitibus, vel quæ vsui esse possent ad praxim Sacerdotibus in Angliam mittendis, quàm publicis fidei Religionisque rationibus seruiebat: cumque ad sedandam in nouo Seminario exortam tempestatem non parum consilio atque adhortatione valuisset apud ipsos iuuenes, tum etiam apud summum Pontificem per Patres Benedictum Palmium & Fraciscum Toletum; ad opus vniuersum corroborandum, amplificandúmq, duo in primis opportuna suggessit. Primùm vt *Alanus* Rhemis Romam accerseretur, quò vtriusque Seminarij rationes certiùs instituerentur, & cuius viri fama orbem peragrare cæpisset, ab vrbe illustrior peruagaretur. Erat enim ille vir & animi magnitudine, & scientiæ laudibus, & cultus diuini augendi cupiditate, & sapientia præstans; quas omnes virtutes cùm ad Patriæ salutem eliminata hæresi propagandam conferret, multum is quidem poterat in Gallijs absens, at Romæ in luce orbis plurimum in futurum valiturus credebatur, idque inter primos Christiani nominis Principes cùm penitùs recognosceretur; quorum & in numerum deinde adlectus est, vt in loco dicetur. Inchoatis certè vtrobique Seminarijs illud commodi confestim attulit, vt concordibus animis ad eandem metam currentibus, alteri ab altero auxilium nasceretur, dum inde altioribus disciplinis instruendi, hinc magistri qui alios instruerent mitterentur: re etiam familiari Rhemensibus auctâ ex ærario Pontificio. Tum quoniam ij qui liberalitate Pontificis & ex prouentibus Deo Sacris Romæ alebantur, par erat vt nè aliò spectarent quàm quo is cui omnis illa viuendi atq; in scientijs proficiendi ratio debebatur, & firmitas quædam mentis optanda erat atque in cæpto semel cursu constantia, nè aut animus medio in itinere vacillaret dum nullis vinciretur nexibus, aut suo fine sumptus frustrarentur impensi discedentibus ad priuata sua studia iis qui publicæ vtilitati educandi venerant, suadente *Personio* Iuramentum in hanc formam propositum fuit vniuersis qui inter Alumnos Collegij censeri vellent. *Ego N. N. considerans quantis me Deus beneficijs affecerit. &c. Promitto,*

Quid Personius Romæ.

Alanus Romam vocatur.

Iuramentum propositum Alumnis de vrbe.

1579. *me iuuãte gratiâ) sacros ordines suo tempore recipere, & in Angliam reuerti, vt illic animas gentilium meorum conuertam, quando huius Collegij superiori videbitur in Domino mihi illud imperare.* Quâ iurisiurãdi Religione post mensium aliquot deliberationẽ susceptâ, duo consequebantur: Nam actiones suas omnes & studia diuinissimo Charitatis in proximum fine ornabant, & liberũ vnicuiq; relinquebatur plures, si vellent, annos augendæ integritati & scientiæ tribuere, subcuiusuis ordinis sanctissima disciplina, quâ ad iuuandam quoq; modo carissimã Patriam redderentur aptiores. Hæc verò animi Deo grati significandi voluntate accensis mẽtibus, & fideles se præstandi in promissis, feruebant mirum in modum studia pietatis & literarum, & vndique conquisitis spiritualibus armis muniebant se Alumni ad futura certamina, siue argumentis dimicandum esset cum ijs qui hæresim verbo aut scripto sustinere se posse arbitrarentur, siue in arenam descendendum cum eorum ducibus & defensoribus, qui morte proposita & pœnis ac tormentis morte ipsa atrocioribus frangendos existimarent quos flectere posse desperabant. Fructus autẽ non ad vnam aliquam Prouinciam, sed ad omnẽ latè Angliam dimanabat, dum frequentes submitterentur qui ingentibus animis omnẽ cunctis benefaciendi ansã amplectebãtur. Quod & *Alanum* mouit, vt vicem *Personio* repẽdens, hunc Româ in Angliam cogitatione destinaret, quem sui Romam aduentus auctorem fuisse cognosceret.

Alanus de PP. Societatis in Angliam missione procuranda cogitat.

XXVII. Nam iniquum videbatur *Alano* discipulis in stadium atque in certamen concurrentibns, eodem non vocari eos quos Magistros atq; incitatores habuissent. Quid enim? An existimandũ est metu difficilem hanc Prouinciam refugere eos, qui ardua omnia amplectuntur & ambiunt? aut arcebit exiguus Oceani tractus, quos ingentia ad Orientem & Occidentem solem Maria non coërcent? aut ijs non licebit Patriæ laboranti subuenire, quibus orbis vniuersus Patriâ est, & afflictus quiuis prostratusq; est ciuis? vel ãplior fortasse paratur gloria ad reconditas ignoratásque anterioribus sæculis gentes proficiscenti, quàm si quis notis succurrat, malo haud sane leuiore conspersis? At medicinæ perito prius quæ intra viscera serpunt spectanda sunt, quàm quæ foris circa cutem grassantur mala. Quis verò cùm ædes suas flãma vorax insederit, ad alienum dissitumq; incendiũ restinguendum volabit se neglecto? aut quis se Imperator signa omnia prudenter inferre arbitrabitur in longinquas terras qui potentem domi hostem sentiat ferro flammáq; cuncta depascentem? sit sanè gloria eáque amplissima triennalia ad Indos itinera animi celsitate deuorare, aquarum infinitarum immensas voragines demetiri, immites fluctus contemnere, densissimis Ethnicorum tenebris aperire lucem fidei, Barbaro atque immani populo se vitámque suam proijcere: fallor, si non hæresim parem iuueniẽt immanitate, obstinatione duriorem; quę monstra, quosq; fluctus exiguum ęquor non parturit, hos tellus dabit superandos; longinqua sint illa itinera, & euentis varia: At hic vix iter licebit ingredi, Lictor confestim à tergo: siste: Quis? Vnde, quo? ad vincula, ad carceres, ad necem,

Hæc

Hæc si fugitis; si dies noctesque omnes, & horas hoc metu obsitas, morte 1579.
ipsa grauiores existimatis, quâ obsecro ratione Auditoribus vestris suadetis vt in eos se nodos induant, in quibus vestrorum nullos videre possunt. Magnus ille *Gregorius*, quem Apostolum veneramur, non in educanda Iuuentute Anglicana tantummodo, non in mittendis in sylueſcentem hanc vineam operarijs memorabilem se præstitit, ipsum se addere cupiebat laborantibus, & tanto emenso itinere dare se socium, vt quos verbo prouocarat, incitaret exemplo: Et illum quidem maiora, ad quæ parabatur, detinuere, vos quid est quæso quod detineat? Hoc vestrum institutum, hæc vita vestra atque disciplina est, vt contra inimicos Ecclesiæ Dei, quoscunque demum agros depopulentur, veniatis: Huc igitur vertite oculos, videte stragem, nudam religione Insulam vniuersam inspicite (sparsa modo si hinc inde Catholicorum paucorum tecta prætereas.) Monstra hæresum quotidie noua vndequaque insidientia si audientibus horrorem incutiunt, præsentibus minantur perniciem, cur non itis contra? cur rectius alibi quàm his domandis, bonis conseruandis augendisque studium vestrum laboremque impendi arbitremini? Non existimo quidem; neque vos existimare par esse censeo. Recolite animo qualem Sanctæ sedi fecistis promissionem: Complectitur illa, fateor, virtute generosâ orbem vniuersum. At vniuersi Caput isthic præcipuè petitur; à quo Capite omnium vita, à quo vnitas atque connexio, à quo ordo omnis ac recta membrorum dispositio dependet: In huius vnius defensione Orbi vniuerso deseruietis: huius hostes si profligaueritis portenta reliqua opinionum propediem euanescent. Hic campus vestræ debetur gloriæ: Hæc omnium gentium Arx, non vulgari impetu apud nostrates impugnata, atque maioribus indies animis, armis infestioribus impetita, vestram implorat opem, flagitat industriam: Huc vos denique non Natura solummodo, quam contemnitis, non cunctis communis religio, quam veneramini, sed et voti vestri peculiaris sanctitas vocat; vt quod odium libido genuit, nutriuit obstinatio, fouet vsque & vsque impietas, hoc vestra pietas, vestra firmitudo atque constantia, glorioso certamine, vel sudore restinguat vel sanguine.

XXVIII. Hæc dum apud se *Alanus* atque apud *Pontificem* & purpuratos Patres, ipsumque *Personium*, & alios in vrbe Anglos disserit, de mittendis in Angliam Patribus dies deliberationi dicitur, *Pontifice* rem ad *Mercurianum* referente; in quâ, licet negantium sententia validis rationibus fulciretur, euicit tamen eorum qui affirmabant, præsertim cùm *Oliuerius Manaræus* Germaniæ assistens, & totius Septentrionis curis præfectus, eam vehementer suaderet, & accederet *Claudij Aquauiuæ*, Romanæ Prouinciæ tunc temporis Præpositi, non opinio modò, sed votum tanto se operi, si per superiores liceret, consecrandi. Mittendorum delectum haud difficilem faciebat locus. Nam *Personius* in vrbe sub oculos degebat, vir consideratus, & rerum magnarum agendarum gloriæ par: *Campianum* Praga tenebat quidem, sed fa- Decernuntur mittendi.

1579. ma ab Roma longius abesse nunquam sinebat quocumque discessisset. In hos omnium calculi conueniunt. Cæteri enim ex Anglis, qui Societati nomen dederant, vel cursum studiorum nondum expleuerant, vel in remotiora ad Septentrionem loca concesserant, variis tradendis disciplinis occupati, neque opportunè adesse Romæ potuissent. *Alanus Personio* coram, *Campiano* per literas gratulatur nouam, atque v ris summo ingenio, summaque prudentia, atque constantia præditis inuidendam diuini obsequij atque in proximum caritatis exercendę donatam ansam: Quarum literarum fragmentum casu in manus delapsum huc transcribere visum est, ex quo, tanquam ex vngue leonem, intelligere est quanta gaudij accessio ei viro facta sit, cuius omnis intentio & conatus eo colliniabat, vt quam plurimum fructus per viros præstantissimos in dilectam patriam deriuaretur. Sic igitur incipit. "Mi Pater, Frater, Fili, *Edmunde Campiane*, (mutuienim ac summi amoris appellationes omnes libenter vsurpo) cùm te Ordinis vestri supremus Pater, ac Præfectus, id est, vt ego accipio, vox *Iesu*, Pragâ Romam, ac porro in Angliam nostram vocet, cõpellent quoque secundum carnẽ Fratres tui, quorum voces licet tu non audias, Deus tamen vota exaudiuit; Ego ipsis, tibi, ac communi Patriæ, & secundum seculum, & secundum Dominum coniunctissimus, vel in primis desiderare, vocare, clamare debui &c. (Et paulo inferius) de animo ac voluntate tua in hoc genere non dubito cùm non proprio sed alieno arbitrio felicissimè viuas, nec extremos Indos summaque pericula tuorum iussu horreres. Magna est iam in Anglia nostra messis, & vulgaribus operarijs non contenta, expeditiores homines requirit, sed te inprimis ipsum, cum aliis vestri Ordinis selectis viris postulat.) Hæc Alanus: plura reddidissem si in plura incidisse contigisset. Ipse (dum literis *Euerardi Mercuriani* Romam euocatur *Campianus*) Rhemos regreditur, nobiles pugiles cùm se in viam dedissent quo ipsum decebat honore ac beneuolentiâ complexurus.

Literæ Alani ad Cãpianum 9. Decemb. 1579.

HIS-

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER TERTIVS.

SEntentiam de *Campiano* & *Perſonio* in Angliam mittendis ſecutæ ſunt binæ literæ à *Mercuriano* Pragam deſtinatæ; vnæ ad *Ioannem Paulum Campanum* Collegij Rectorem menſe Martio, ad *Campianum* alteræ vti Romam acceleret, quam hactenus operam Bohemis excolendis cum laude poſuerat eam in egentem auxilio Patriam tranſlaturus, paribus animis, non diſpari, quemadmodum ſperabatur, euentu. Quantos in generoſo pectore excitarit motus hoc nuntium non eſt difficile æſtimare: hinc recenti in Catholicos Sacerdotes per Angliam crudelitate robur mentis experiente, inde eiuſdem ardore aduerſus quoſcunque euentus ſuggerente conſtantiã: Maiora expectari quàm in ſe eſſent ſuadebat animi pia demiſſio, nihil eſſe, addente Deo vires, arduum fiducia monebat; Cum verò non abs ſe profectum hoc iter ſed à ſuperioribus impoſitum, hoc eſt, ab ipſo Deo imperatum ſentiret, obedientiæ dat manus, & nihil præter vnam Dei voluntatem animo voluens ad iuſſa exequenda omni cum diligentia ſe comparat. Quarto Nonas Aprilis vrbem ingreditur, eo lætior quòd intelligeret *Perſonium* tanti operis futurum vel comitem, vel certe ducem; Mora in vrbe non plus quàm octidui fuit: Acceptis ab *Euerardo* mandatis de re Catholica per noſtri inſtituti miniſteria diligenter procuranda, atque non minori diligentia vitanda omni rerum quæ ad regni publica negotia pertinerent ſeu verbo ſeu ſcripto tractatione, ipſo dominicæ Reſurrectionis octauo die, ſummi *Pontificis* poſtulata benedictione, diſcedunt, addito *Rudolpho Fmerſono*, qui (cum eſſet ex ijs quos externi

1580. Campianus Praga Romam proficiſcitur.

1580. operis Societas habet adiutores) famulantis locum impleret. *Nullum est in omni vita telum exemplo potentius* Tantorum virorum contra aduersa omnia erecta virtus, non iuniorum tantum sed & ætate flaccescentium animos ad consimiles labores & consequentia laborem præmia inflammauit: Quatuor ex ijs quos vetus Xenodochium habuerat olim Capellanos, tres etiam noui Seminarij Alumni Sacerdotes in aciem vnà prodiere: Duo nobiles Laici numerum faciebant duodecim capitum Româ eo die proficiscentium: Nam quod memorat Bombinus, de Episcopo Assaphensi & Mortono, non reperio, aut literis *Campiani* aut notis *Personij* confirmatum; quamquam & ipsi fortasse non longo interuallo abierant. Hispanis militibus per id tempus è Belgio imperabatur iter in Italiam. Horum vitandi gratia, & alioqui sat libentibus animis, Geneuam diuertunt, vt Caluini quondam, nunc Bezæ, obstinatissimæque hæresis spectarent domicilium, & quâ vel argumentorum fiduciâ vel certè quâ fronte ea defenderentur paradoxa experirentur. Atque ad Bezæ quidem colloquium admissi sub vesperam tentarunt hominis animum; at callidus veterator cùm sensit se inter suarum capita auctorésque hæresum euidenti premi dissidio, non in leuiusculis quibusdam, & parergis, sed in ijs quæ ad præcipuas fidei propositiones, Sacramentorum seu vim seu necessitatem & cultum pertinerent, negotiorum simulatione & ingruentis noctis velo tegens insciti am beneuolè salutatos hospites dimittit. Tridui ea in ciuitate moram facere cuilibet externo datur, at nullam præter inutilis contentionis fructum (vt videbatur) decerpturi, sequenti die, repetito per Gallias itinere, Rhemos adulto Iunio perueniunt. Quâ virtutis atque constantiæ admiratione nouam hanc Athletarum Christi manum spectarit Rhemensis ciuitas; quâ adgratulatione, quòue gaudio commilitones suos acceperit Anglicum ea in vrbe Seminarium, *Alanus* præsertim, huius interpres & auctor consilij, cogitare est procliuius quàm dicere. Quæ etenim manus hostibus terrori fuit, eadem profecto belli ducibus non potuit non esse solatio, & periculorum socios quanquam currentes non incitare.

Irineris socij.

Campiani Ep. 9.

Cum Beza Colloquiũ.

II. Nequitia plerumque timida, circumspectat vndique omnia neque rebus gestis solum, sed consilijs inuigilat. *Alani* & *Personij* iam inde ab initijs Seminariorum, motus omnes & cogitata obseruarat Magistratus hæreticus, & quidquid ad Religionis emolumentum, ad solatium Catholicorum, ad prauorum dogmatum euersionem spectaret, hoc omni arte aut præuertere aut disperdere moliebatur: seu igitur Româ per nuntios (quos fidos semper sibi ab Reginæ Epistolis Walsinghamius vbique fouebat) seu Geneuâ per quascunque literas, seu Rhemis per dispositos exploratores, vniuersa hæc legatio Reginæ Consiliarijs detecta, explicata, descripta est: Portus omnes vigilibus occupati: nominum indice, & *Campiani* & *Personij* etiam imaginibus palam propositis. Ex nouem itaque Sacerdotibus, alij aliò (nè vnus cunctos implicet laqueus) hi duo cum *Rudolpho Emersono* Audomarum iter carpunt. Neque hic tutum existimatum est tres vná progredi; *Personius* primus tentat viam. Eius consilij

Rhemis diuersa via in Angliam tendunt.

filij rationem, simúlque quo ipse esset animo ad iter, his explicat *Campianus* ad *Mercurianum* scriptis. 1580.

Epistola Campiani Audomaro

Pater *Robertus*, Georgio fratre comite, post mediam noctem, pridie quàm hæc scriberem, Caleto soluerat, vento secundissimo: Itaque sub hesternum mane, decimo sexto Iunij, Dorobernium vt speramus appulit; specie militis tam picti, tam insani, vt valde oculatus esse debeat, qui sub illo vestitu, vultu, incessu, sanctimoniam & modestiam delitescere suspicetur. Nobis tamen inijciunt solicitudinem non dico rumores sed penè clamores hominum de aduentu nostro. Hunc iactum sola potest corrigere diuina sapientia, in quâ libenter conquiescimus. Ego, sic iussus, aliquantum substiti, vt si fieri possit ex vectoribus, vel certis mercatoribus in hæc loca venturis prius aliquid expiscarer de successu Patris quàm nauigem. Si quid inaudiero noua capiam consilia. Viam tamen omnino tentare decreui vt acie pugnem etiam moriturus. Sæpè accidit affligi primam frontem victoris exercitus. Profecto si nostra Societas in expeditione perget, ignorantiam & nequitiam, quibus hoc bellum indicitur, superari necessum erit. Vigesimo Iunij die Caletum cogito. In Audomarensi Collegio me interea Sociumque Rudolphum orno; sed quo sumptu putas? præsertim cùm ea non sint vlui quæ hactenus fuere. Dum tegere personas nostras volumus, ac mentiri dementiam huius mundi, multæ nobis reculæ, quas plane ridiculas iudicamus, necessariò coëmuntur. Iter nostrum, & hæ vestes, quatuor equi statim in Anglia comparandi poterunt nostris pecunijs respondere, sed eâ prouidentiâ quâ panes multiplicati sunt in solitudine. Verum hæc minima difficultas est; mittamus: hanc Epistolam nondum claudo vt in eam si qua resciero conijciam isto triduo. Etsi enim prius in alterutram partem transigetur de nobis quam hæc legantur, tamen articulos omnes tanti negotii, & acta nouissima, ex quibus reliqua nondum perscripta dependeant, significanda putaui dum isthic sum. Ad me vir quidam nobilis Anglus ventitat, rerum politicarum intelligens; Narrat mihi aduentum Assaphensis Episcopi literis & sermonibus iactari; eâ re magnam expectationem cieri, quod plerique opinentur virum talem, hac ætate, non susceperturum hanc molestiam, nisi motus aliquis instaret. Docui veram profectionis causam simplicissimè: Ille tamen mirari non desinit: Est enim apud Anglos Episcoporum nomen & vitæ ratio honoratissima. Hodie mitescit ventus, itaque ad mare propero; habitus in Audomarensi Collegio perbenignè, & rebus necessarijs adiutus; Etiam totâ viâ incredibile solatium in omnibus domicilijs nostrorum percepimus. Accesserunt hospitia Cardinalium illustrissimorum, Paleotti, & Borromæi atque Collensis Archipresbyteri. Parisios & Duacum consultò declinauimus. Tuti videmur, nisi prodamur in hisce maritimis terris. Addidi vnam diem ad moram, quo quia nihil in vtramuis partem de Patre *Roberto* nunciatur, mihi persuadeo sospitem peruasisse Deum rogo vt T. R. tuosque Assistentes, totámque Societatem assiduè protegat. Vale 20. Iunij 1580.

Forte Comensis.

III. Audomaropoli Caletum, Caleto Dorobernium tenuit *Personius*

1580. Pertonius primùm tum Campianus in columes euadunt Londinum

securitas eo in portu diuino beneficio supra spem fuit: Vultus cum veste (quâ fieri potuit arte) mutatus, sermo ad beneuolentiam & fiduciam conformatus, alium prætulere custodibus quàm in tabella aspiciebant descriptū, & opportunam impetrant ad interiora Insulæ penetrandi facultatē. Inopinata vigilum comitas alacritatē attulit aduocandi *Campiani*, ficto sub nomine *Patricij*, Hyberni Institoris, atque iisdem, quos beneuolos nactus fuerat, custodibus commendandi. Aduolat accepto nuncio *Campianus* cum *Rudolpho*, & quanquam nouis ab regio senatu mandatis oculatiores reperit portus obseruatores quàm vt *Personij* gratia vsquequaque valeret, occultus tamen ardentibúsq, ad Deum & Sanctum Christi Præcursorem votis (cuius ipse à teneris in tutela fuerat, & erat postridiè eius diei qui nascenti est sacer) aperuit sibi viam; Paratis qui vinctum ducerent satellitibus, insperato consilio, & præter cæterorum qui assistebant sententiam, nuncius ab Oppidi Præfecto mandat liberum proficisci cum *Rudolpho* famulo *Patricium*: Præfecti incredibilis facilitas erexit dubium *Campiani* animum ad diuinæ opis spem haud minorem in excensu quem facturus erat altero deinde die Londini, quàm quem fecerat Dorobernij Prouiderat *Personius* in vasta ciuitate, domibus ciuibúsque conferta huic inimicis causæ, plus posse esse dubitationis, quò, & apud quem, & quando nouus quæsitúsque hospes diuerteret, quàm in ipso (modò euaderet) portu periculi: & quoniam euasisse sperandum erat, quòd aduersi nihil fama attulisset, nobiles iuuenes, quos ei religio conciliarat, rogat vti ad eam Vrbis Regionem, quæ Dorobernio obuertitur, omnes aditus obseruare velint; Et si quem *Edmundum* nomine (nam de eo antè conuenerat) cum famulo aduentantem conspicerent, hunc comiter salutatum deducant *Thomæ Geaymo* prospectanti delitore, ad quod Graueſendiâ (oppidum est ad Tamesim Dorobernio interiacens) vltro citroque commeans quotidie cymba solet appellere, inter adnauigantium turbam oblata hominis species est qualem *Personius* descripserat: Huic amicè porrigens dexteram, "Da, inquit, manum, Domine *Edmunde:* vocis sonus incognitus, at oris gestúsque & accentus forma, & datam exscendenti dexteram secutæ familiarissimę consalutationes, omnē quæ esse poterat fraudis suspicionem confestim sustulere; vnà progrediuntur ad multò ante prouisam domum, hic gaudio reperti hospitis, ille diuinæ clemētiæ admiratione redundans Et quamuis per absentiam *Personij* ab ciuitate decesse quidpiam videri posset ad perfectam eius diei lætitiam, tanta fuit eorum in omni obsequio alacritas, in quos suas cuique distribuerat partes, vt gaudio cumulus accederet.

Campiani & Catholicorum ardor.

IV *Similia cognati sibi fouentur similibus*; nobilium adolescentum innata virtus, famâ *Campiani* accensa, ardebat hominis experiundi tanta cupiditate, vt sumptus incurij, periculorum non nimium prouidi, auidissimi eius quod præcipuum est in Christi milite solatij, nihil tanto duci paterentur deesse, quo non commodè solum, sed cum splendore (quem non tam permittebant tempora, quàm ipsorum flagitabat pietas) Sacris omnibus operaretur.

retur. Domum amplam conducunt Baronis Pagetti nomine. Hîc primam (Sanctis Petro & Paulo dicato die) habuit concionem, de Ecclesiæ Catholicæ inconcussa firmitate, de contra sæuientibus nequicquam portis inferi, de constanti in profitenda fide libertate: Hîc cætera Sacerdotum munia eo diligentius obit, quo illustrium Iuuenum, eorumque gratiâ, frequentium auditorum, non assiduitate modo, sed penè importunitate prouocabatur: Assueta mens neque pietate vinci, neque nimium quidquam existimare quod in Dei obsequium impenderetur, non sibi temperandum arbitrabatur, dum flagrantibus piorum hominum votis vocibusque inflammaretur: exercitatum armis tractandis veteranumq; militem, paribus animis viribusque cum Tyronibus certare indecorum enimuero & humile: Contendendum itaque rebatur omnibus animi corporisque neruis, vt quos ætate, scientiâ, exercitatione anteiret, hos diligentiâ atque ardore superaret. At dum Sacramenta quotidie celebrantur, dum concurritur, peroratur que quotidie, latere id non potuit Senatum regium quod tota iam vrbe peruulgatum ferebatur; & quanquam locus aëtis ignorabatur, aut priuilegio atque auctoritate nobilis conductoris aliquantisper sustineri potuisset, diuturnum tamen id sperare futurum inter suspicaces & attentos oculos imprudentis esse non omnino imprudentibus videbatur. Redux Londinum *Personius* maturè obuiandum discrimini censuit; & frequentiam quidem primùm moderari, tum quoniam id erat difficile, quamdiu in vrbe esset is qui ad se omnium voluntates, desideriaque attraxisset *Campianus*, huic profectionem indicere statuit. Sed aliud ex alio periculum nascitur. 1580.

V. Ex recenter Romæ Rhemisque constitutis Seminariis noui non pauci Sacerdotes collabanti pietati restituendæ in Angliam confluxerant: Hi præcipuis Europæ consuetudinibus imbuti animaduerterant plures totâ Insulâ festos dies, plura solita olim coli ieiunia quàm toto ferè reliquo orbe Christiano: Ne quod igitur vel inter Catholicos, vel ab his qui à *Mariæ* Reginæ temporibus superarant antiquis Sacerdotibus, oriretur dissidium, dum hi veterem morem teneri, illi cæteris Regionibus conformari contenderent, dies consilio dicitur, conueniunt ex Clero complures; adest *Personius* & *Campianus*; decernitur, vt quam in Prouinciam quisque primùm venisset, de eius moribus diligenter inquirat, eumque morem nulla re mutata, conseruet (neque enim omnibus per Angliam idem mos est) quando autem nemo vnus in omnes potestatem habet, difficile est cunctos adstringere, nisi vniuersi conueniant. Disputatur etiam de sacris Hæreticorum: An cùm ad vniformitatem cultus diuini latâ lege iubeantur frequentari, liceat ijs quacunque alia de causa interesse? valuitque negantium sententia; eâ inter cæteras ratione, quâ non solum aduersus Catholicum morem, eique damnando abolendoque instituta sunt hæc nupera sacra, sed & publica legis mens, atq; ferentis voluntas (quæ præsentiam interpretatur conformitatem) priuatis quibuscunq; rationibus anteeat necesse sit, & vulgò cæleatur immiscerí

Conueniũt Sacerdotes complures consulturi.

De festis & ieiunijs.

De non adeundis sacris hæreticorum.

1580. Ista cunctis commendatur Catholicorum animis inserenda; quò etiam se ab errore & Schismate, (quod illâ conformitate exerceretur, & sensim serperet latius) tueantur; etsi enim pauci fortassis aliqui sat fortes futuri essent a frequentia de superiori loco corrupti verbi ministrorum tela sustinenda, vulgus tamen facilè cederet cùm immunitate à mulctis, morum licentiâ, & specie quadam simulata veritatis tentaretur. Et verò ea sententia robur pridem obtinuerat Patrum in Concilio Tridenti Congregatorum frequenti suffragio; Cui accessit deinde *Toleti* Cardinalis hæc assertio." Cum tale Edictum sit contra Ecclesiam Catholicam, & in hæretici erroris fauorem, confirmationem, & protestationem quandam, non est ei vlla ratione obediendum Interesse enim hæreticorum conciliabulis, & eorum Ecclesias indistinctè tanquam vnus eorum frequentare, non solum est veram fidem & Religionem occultare, sed falsam sectam cultu quodam exteriori ad id ordinato profiteri, quod iure diuino prohibetur, nec vlla dispensatione licitum esse, nec vlla temporalium bonorum amissione iustificari potest. Protestatio autem illa, quæ à nõnullis Catholicis fit, à peccato non excusat, cùm sit contraria facto; factum enim, si tale est, vt describitur, nempe, hæreticorum Ecclesias frequentare, & eorum conciliabulis in quibus de Religone agitur tanquam vnus illorum interesse, protestatio quædam est exterior secta eorundem, & in hunc finem tale edictum sancitum est. Hæc *Toletus* his diebus rogatus respondit, & postlimmio literis suis confirmauit *Paulus Quintus* Pontifex Maximus; vt libro octauo narrabitur. Exemplum vero sententiæ Patrum Concilij Tridentini huc etiam transferendum duxi, nõ ad nudam memoriam, sed ad antiquorum Catholicorum commendandam aduersus diuinum obsequium sinceram mẽtem, cæterorum in recta quam hactenus incesserunt via confirmationem: quos omnes Reuerendissimi Patres ad hoc ipsum ex toto numero selecti his verbis consalutant,

Toletus 14 Iuuij An. 1581.

VI Pax Christi quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Amen.

Viri dignitate conspicui, Religione & multis nominibus illustres, æquam atq, honestam postulationem vestram ad nos detulerunt N. N. Quam à vobis ad se perlatam esse asserebant, cuius hoc est exemplum.

Religione in Anglia mutatâ, & pænâ propositâ si quis diebus Dominicis & festis à Templis abstineat interim dum Psalmi & ex vtroque Testamento lectiones lingua vulgari recitantur, Laici multi & Catholici Nobiles & Deum timentes partim iam in carcere agentes, partim mox eò conijciendi, amicorum & consanguiniorum precibus, admonitionibus, & imminentium periculorum metu inuitantur, vt saltem eatenus se de sententia deduci permittant, vt in Templis protestantium tantisper interesse velint diebus Dominicis & aliis festis dum Psalmi eorum more linguâ vulgari decantari soliti, & lectiones ex Biblijs linguâ item populari depromtæ, necnon Conciones (quæ ad eorum dogmata approbanda frequentius haberi commemorantur) fiunt. Iam

Catholicorum Postulatio.

qui

qui huc vsque nullo modo adduci potuerunt vt publicis prædictis precibus & Concionibus interessent; magnopere edoceri postulant quid ijs faciendum censeant viri pij & docti. Nam si nullo animæ periculo, aut nulla Dei offensione publico Regni sui decreto parere & obedire liceat, libenter id fecerint; Contra verò si quod in hac re periculum sit salutis æternæ aut læsæ Diuinæ Maiestatis, quibus perpeti decreuerunt potius quam quidquam agere aut permittere vnde Deum offensum iri aut iratum intelligant. Hæc quæstio cùm multas pias & Religiosas Conscientias exerceat & cõturbet, rogandi estis omnes per viscera misericordiæ, & caritatis quam Christus à suis omnibus exigit vt eam palam & dilucidè quam primum expediatis quâ multi in hoc regno implicati torquentur. 1580.

VII. Quod hæc Charta complectitur nullius nomine singulariter profertur, quia non ad vnum aliquem pertinet quod hic petitur, sed ad omnes ferè Nobiles quos Anglia habet Catholicos, quibus iam multis modis pericula intentantur. His vniuersis in tua Illustrissima Dominatione magna auxilij spes affulget, si eadem vel Dei, vel Nobilitatis respectu agere dignabitur cum amicis quos in Concilio habet Tridentino, vt huic quæstioni, quæ totius Nobilitatis nomine hic adiuncta est, responsum maturum & deliberatum accõmodetur, & huc commodè tuæ dominationis operâ perferatur; in quo haud dubiè acquiescent perturbatæ nunc Conscientiæ, si ex te tam sancto & nobili Patre certiores fieri possint quid patres de hac re iudicent; quamquam fortassis tutum non fuerit hanc quæstionem publicè in Concilio proponi nè res diuulgata nostrorum protestantium animos exacerbet, & aliquibus periculum acceleret, nisi tuæ prudentiæ aliter videatur. Ideo tua prudentia consultius fecerit si ita cum electis quibusdam hanc causam egerit, vt quod ipsi in hac causa (pijssimis & doctissimis Theologis consultis) significarint, id perinde valeat ac si vniuersi patres sentẽtias dixissent. Cæterum hoc totum Tuæ Dominationis iudicio ac arbitrio relinquere satis sit, vt ipsa quod magis in rem esse prospiciet, id libere agat. Qui in Anglia nunc sunt Theologi partim metuunt, partim variè respondent: ideò planè omnibus satisfaciet quod Te procurante ex Tridento huc respondebitur.

VIII. Pro quo vestro tam firmo, Christiano, & verè Religioso animo non possumus non D.O.M. summas agere gratias, & vobis maximopere gratulari. Etsi enim calamitatum vestrarum sensus cunctos vehemẽter tangat & cruciet (vt Christiana caritas hortatur, quę tã arcto necessitudinis vinculo omnes deuinctos & constrictos tenet vt mutua efficiat membra, atque ita fratrum commoda atque incommoda non aliena sed propria ducat) in illis tamen est non minima consolatio quod calamitosis temporibus istis, & in eo potissimum regno in quo fides ac Religio iacent, cernimus nullo iniuriarũ concursu, aut metus vi, Caritatis vestræ ardorem aut fidem conuelli, aut constantiam labefactari, quinimo eos vos esse qui in tanta rerum confusione, molestiarumque turbulentissima tempestate nunquam curuaueritis genua ante Baal, non sine Ad postulationem responsio.

1580. magna diuini nominis Chriſtianæque Diſciplinæ gloria. Ne igitur veſter hic conſtans animus, qui nullis incommodis ad impietatem torqueri flectiue vnquam potuit, fallacibus rationibus ad veſtram perniciem comparatis, aut diuinæ legis ignoratione pietatiſue ſimulatione deciperetur, & munere quod ſuſtinemus dignum, & Chriſtiani hominis officium debitum exiſtimauimus veſtris pijſſimis optatis morem gerere, cauſámque veſtram examinandam accuratè, diligenter, maturéque commiſimus grauiſſimis quibuſdam Patribus ac Reuerendiſſimis Dominis Archiepiſcopo Braccharenſi, Archiepiſcopo Lauſianenſi, Epiſcopo Conimbricenſi, Epiſcopo Leyrinenſi, Reuerendo Patri Iacobo Laynez Generali Societatis *Ieſu*, Magiſtro Fratri Petro de Soto, quem arbitramur vobis & facie & nomine notiſſimum, Domino Georgio de Atayde, Magiſtro Fratri Franciſco Foreiro, Doctori Melchiori Cornelio, Iacobo Payua de Andrada item Doctori: quorum omnium Religio, pietas, & eruditio certiſſimis eſt teſtimoniis explorata, quorumque ſententias noſtro etiam iudicio comprobatas, non dubitamus, quin ſententiæ totius Sacri Concilij inſtar ſitis meritò habituri. Neque enim veſtris rationibus putauimus expedire, cauſam hanc ad omnium Patrum conuentum referri.

IX. Hi igitur Patres ac Theologi quibus hæc Prouincia data eſt, cùm ſæpe conueniſſent, atque diligenter & circumſpectè diuina oracula, & Sanctorum Patrum ſententias & inſtituta deliberando euoluiſſent, communibus ſuffragiis concluſerunt, minimè vobis ſine ſcelere, diuináque indignatione licere eiuſmodi hæreticorum precibus, illorumue concionibus interreſſe, ac longè multumque præſtare quæuis atrociſſima incommoda perpeti, quam in profligatiſſimis ſceleratiſſimiſque ritibus quouis ſigno conſentire. Cum enim impia lex in animarum exitium lata & ſchiſma confirmare, & Eccleſiæ Catholicæ integritatatem, Romanæque ſedis (quæ à Chriſto eſt ſummus Eccleſiæ ſuæ vertex in terra præfinita) nefariè auctoritatem conuellere, & labefactare moliatur, quicunque iniquæ legi paret, illam (quoad eius fieri poteſt) tacita conſenſione approbat, in eandémque conſpirat, atque eiuſdem Schiſmatis particeps fit. Si enim vetera Eccleſiæ monimenta retinueritis, Sanctorumque Patrum ſcripta accuratè ac ſtudioſè euolueritis facilè intelligetis non minori ſtudio ſemper Catholicos viros hoſce Hæreticorum conuentus ac ritus quàm hærerſim ipſam etiam cum certiſſimo capitis periculo declinaſſe, vt qui erant perſuaſi non poſſe hæreſis notam ſubterfugere qui ad ritus & preces hæreticis peculiares conuenirent. Vt enim vetuſtiſſimum Machabæorum interitum omittam qui præclaram mortē occubuerunt nè nefarijs Antiochi conatibus in diuinæ legis labem paratis obtemperarent, ſi eorum quæ diuus Athanaſius ſcribit de calamitatibus quas ſuâ ætate Eccleſia Chriſti ſub Arianis perpeſſa eſt memoriam repetatis, videbitis quot non ſolum ex Epiſcopis, ſed ex Laicis quoque hominibus ingentem malorum cladem ſuſtinuerunt, accerbiſſimiſque mortis generibus interierunt, nè in Eccleſijs hæreticorum ſacris Myſterijs diuiniſque ceremoniis adeſſent, quamuis eo tempore in his peragendis

Patrum deputatorū ſententia.

vete-

veterem Ecclesiæ morem retinerent hæretici, nihilque de illo prorsus mutas- 1580.
sent. Cùm enim in Templis sacris Mysteriis interesse maximum sit fidei & Religionis indicium, sapienter existimarunt pij homines, facto se Schismati consentire, & hæresim illam approbare (à quo animo tantum abhorrebant) si vnà cum Hæreticis in eorum Templis ad sacra ab ipsis peracta audienda conuenirent. Si qui vero periculorũ atrocitate perterriti conueniebant, malè semper apud verè pios audiebant quamuis veram & incorruptã fidem animo illos retinere cognoscerent; Quanto igitur iustius ijdem viri Sanctitatis splendore clarissimi, si omnes Ecclesiasticos ritus Schismate nunc immersos cernerent, nouum cultum (vt res ipsa præ se fert) in contemptum Catholicæ Ecclesiæ introductum, Conciones nimia blasphemiarum varietate confertas, omnia denique ad Catholicam vnitatem dilacerandam comparata animaduerterent, eos impietatis dãmarent qui legis immanitatem formidantes ab hisce sceleratissimis conuentibus non segregarent se & seiungerent, vt Dominus Filios Israël à Tabernaculis Core, Dathan, & Abiron separari præcepit, nè ijsdem iniquitatibus inquinati, pariq; Schismate inuoluti simili vltione perirent. Quibus accedit quòd si vos qui tam diu forti & infracto animo sceleratos Hæreticorum conuentus funditus repudiastis, nunc tandem timore consternati iniquæ legi obtemperantes aliquid de vestra pristina constantia animique firmitate remittatis, fieri non potest quin fidei & Religionis hostes gloriẽtur, atque de Catholica Ecclesia tanquam insigni quadam parta victoria triumphent, & sua praua dogmata vestrâ infirmitate apud alios stabiliant, atque ita qui Ecclesiæ Catholicæ communi omnium Matri insigni estis decori & ornamento, hac hæreticorum insolentiâ opprobrio esse incipiatis. Quam hæreticorum deliram insolentiam insanumque triumphum diuini honoris inflammatus amor Christianaque Caritas ita semper abhoruit vt ad illa comprimenda nulla pericula declinauerit. Quo circa Sancti Patres, à quibus Christianæ Disciplinæ leges discimus, vnà affirmant, quod tametsi sæpe quiuis veram fidem occultare & dissimulare ritè possit (vt à Sanctis Martyribus factitatum legimus) si meritò tamen vereri quis possit ne ea fidei suppressio hanc Infidelium contra diuinum nomen insultationem, diuinæque gloriæ abiectionem pariat, minimè quidem sine graui scelere, diuinique honoris proditione poterit diutius delitescere: Diuinæ enim gloriæ amor tam tenaciter debet Christianis animis hærere & infigi, vt pro illa tuenda & amplificanda, cùm opus fuerit, se suaque omnia forti & constanti animo in discrimen offerant: Et id quidem est Deum toto corde, & vniuersis viribus diligere, illumque totis visceribus complecti: Ingrati enim animi est illius honorem negligere aut quouis terrore aspernari, qui seipsum turpissimæ morti tradidit vt homines à peccatorum dedecore vindicaret, & in gloriam Filiorum Dei adscisceret.

Deinde animaduertite quale quantumque scandalum possitis concitare, inter eos qui eodem in regno degentes nondum in illis fidei lux planè oppressa est, qui etiamsi ex pusillanimitate non audeant nefariæ legi repugnare, vestram tamen

1580. constantiam non poterunt non demirari illaque quo magis splendescet magis incitari; quam si vos viderint abijcere, iure poterunt existimare nunc tandem illam hæresim vobis placuisse cuius ritibus fauere præ vobis fertis, non obscureque indicatis: & quo magis cæteris generis nobilitate & splendore præitis eo vestrum exemplum erit perniciosius, vereriqúe debetis nè qui semper præclarum Religionis & pietatis exemplar extitistis, nunc tandem impietatem in pusillorum animos infundatis, neue illa fidei & pietatis scintilla quæ in illorum lucet mentibus vestrâ simulatione extinguatur. Nam cùm summam Christianę Disciplinæ diuus Paulus in proximorum officiosa dilectione collocauerit, semper Antiqui Patres existimarunt nunquam Christiano homini licere fidem obtegere quando aut fratrum impendet ruina, aut si illa aperiatur, patescatque, fidei eorundem fratrum augmentum firmitudoque sperarur Cuius nobis præclarum exemplum prodidit illustris Martyr Sebastianus, qui fidem quam occultauerat vt Christianorum rebus afflictis prospiceret (erat enim Cæsari valde carus) patefecit, vt Martyrum quos ad necem duci cernebat constantiam fidemque firmaret; atque ita eadem caritas, quam fidem intra pectoris angustias concluserat, edidit & promulgauit. Officiosa etenim caritas, cùm non quærat quæ sua sunt, se ad omnium necessitates accommodat, & tum maximè suis rationibus consulit cùm alienas proprijs præfert; vt supersedeamus reliquis fidelibus in exteris Prouincijs degentibus, quibus tamen res ones in ipso regno gestæ notæ sunt & exploratæ. His enim cùm intuentur vos tot laboribus exagitatos, tot vitæ periculis expositos, bonorum perenni quadam iacturâ, statuisse tamen omnem cruciatum perferre potius quàm fidei depositum vobis à Christo creditum cum rerum omnium affluentia deserere ac perdere, estis singulare quoddam virtutis documentum, atque ad præclara facinora libenter subeunda incitamentum: Neque enim non possunt vestram felicitatem suspicere & prædicare, qui persecutionum propter iustitiam perpessione vobis ad regnum Cælorum viam munitis, atque vt illam perpetuò conseruetis à D.O.M. perennibus precationibus contendunt: Fieri autem nequit quin tanto maius scandalum apud illos excitetis quanto præstantius virtutis specimen hactenus præbuistis; Quæ quantum cum Christiana Disciplina & caritate pugnent nemo non videt. Hæc verò quanquá sint satis firma argumenta ad vos ab eiusmodi Conuentibus arcendos, etsi tamen illa non extarent, vel hoc vnum sufficeret ad vestram de hac re sententiam confirmandam, quod omnium ætatum experientia, & Sanctorum Patrum admonitionibus, atque certe ipsius naturæ impulsu didicimus, nostrâ comparatum esse vt humanus animus flexibilis, inconstans, & commutabilis facilè ab ijs quæ frequentat capiatur & demulceatur, atque quæ principio perhorruerat, paulatim & sensim sese in eorum animos insinuent, atque incipiant nimia consuetudine placere quæ maximopere antea displicuerant, non secus atque modicum fermentum ingentem massam corrumpit: Quare Christus *Iesus*, humani generis Doctor & Redemptor à fermẽto Pharisæorum cauere Discipulis præcepit. Quamuis igitur nunc constanti sitis animo, & à sceleratis conuen-

tibus

tibus ritibusque alienato, fieri tamen non potest (nisi humanitatẽ exuatis) vt 1580.
ad illos sine ingenti periculo ventitetis. Id quod in frequentanda hæreticorum Doctrina multo magis cernitur, quæ velut contagium serpit & grassatur, atque animos audientium nihil minus sæpe cogitantes prauis opinionibus imbuit & inficit: Id verò non metuere insignis est improbitatis aut insolentiæ argumentum. Quocirca Diuus Paulus tanto studio prauis colloquiis cunctis fidelibus interdixit, vt quæ ad bonos mores corrumpendos plurimum valent: Vnde extat prouerbiũ, Qui se in apertũ periculũ conijcit, peribit in illo. Tametsi enim tali periculo minimè lædatur, criminis tamen reus est quia sese in illud temere præcipitauit, & sola temeritate diuinam læsit Maiestatem. Si qui verò tantâ fuerint doctrinâ, constantiâ, et egregiis animi dotibus præditi, vt intelligant se nullis prauis opinionibus infici posse aut contaminari, habeant tamen, reliquos existimaturos sibi ea omnia licere quæ illorum documento didicerint, atque ita fratres suo exemplo perdent, quos eo magis seruare oportuit quo pluribus & præstantioribus sunt à Deo beneficijs cumulati.

Iam verò perpendite quales tandem filij vestri sint euaturi, si vestrõ exemplo illorum tener animus tam sceleratis ritibus, & tam nefariis præceptis institutisque assuefiat: neque domestica disciplina tantum valere poterit ad illorum mentes pietate & Religione imbuendos, quantum publica & externa ad illos inexpiabili scelere peruertendos: ferè enim fit vt zizania triticum premant.

X. His & non paucis aliis rationibus commoti (quas longum esset & non necessarium commemorare) iudicarunt Patres & Theologi animarum vestrarum saluti expedire patria potius cedere, aut quæuis miseræ afflictæque fortunæ tela forti & infracto animo sustinere quàm iniquissimis legibus cum fidei & Religionis dedecore vlla ratione parere. Etsi enim diuina lex sacris literis consignata & explicata Ciuiles leges sanctè augustèque sequi & colere, Principumque quorumuis authoritatem habere sacrosanctam doceat, omnibus tamen humanis legibus diuinas, atque adeò Dei nutum & arbitrium esse præferenda, magistrâ ac duce Naturâ, & eâdem diuina lege discimus: Cæsari enim reddere præcepit Christus quæ sunt illius, Deo verò inprimis quæ illi maximè sunt debita. Quin etiam diuus Petrus, qui tam multis persuadet perpetuam atque constantem esse Dei voluntatem vt Regibus pareamus, dominilque subiti simus non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis & prauis, cùm tamen de diuino agitur honore, obtemperandum esse Deo magis quam hominibus apertè & constanter coram vniuerso senatu clamat atque testatur. Quocirca, fratres dilectissimi, facite vt ita aliis omnibus in rebus, quæ cum diuina voluntate non pugnant, Principum vestrorum legibus obtemperetis, illorumque auctoritatem tueamini, vt intelligant vos hac vna in re, non tam illorum instituta contemnere, quam diuina humanis, vt par est, anteferre. Quod si ad vestram constantiam tuendam & amplificandam persuasionibus & exemplis egere arbitraremur, domestica quidem tot & tam præclara, non

1580. modò maiorum vestrorum monumenta, sed æqualium atque amicorum memoria suppeditant, vt in externis inculcandis frustra laboraremus. Vbi enim terrarum fidem acerbè insectatam vehementerque exagitatam, constantius, neruosius, acrius, maiorique animo Religiosi & pij homines defenderunt & tutati sunt, quam in Anglia? Atque ita cùm hoc vestrum regnum, fidem oppugnatam sæpiùs laceratamq; acerbè in illo fuisse, habeat cum multis commune, singulari tamen constantiâ & firmitudine esse propugnatam, est cum paucis admodum coniunctum & copulatum; neque tantam potuit ex oppugnationibus contrahere ignominiam, quantam ex præclarissimis propugnationibus gloriam & ornamenta. Quare ex vestris Maioribus vobis non deerunt fidei ac pietatis erga Deum constantiæque exempla, neque apud diuinam clementiam in Cælis patrocinia. Si enim in eadem Prouincia, in ijsdem vrbibus laribusque, atque sub ijsdem prorsus tectis simili fuerunt ærumnarum genere exagitati, non dubium est quin causam vestram magno cum animi ardore & caritate apud diuinam bonitatem agant, ab illaq; vobis summa & egregia beneficia impetrent, si & illis & vobis deesse nolueritis. Neque possumus nobis vlla ratione persuadere quòd ab ijs quorum rebus glorioſe gestis merito gloriamini, degeneretis, aut illam quam in illis fidei constantiam commendatis, vlla vi metuve abijciatis. Quod si propria coniunctioraque exempla mouent, eorum quidem quæ pro vera & incorrupta fide seruanda & amplificanda vos ipsi hactenus sustinuistis recordatio, vos maximè in officio continere debet, cùm sint eiusmodi, vt in piorum hominum oculis, auribus atque sermone, summo cum omnium applausu & gratulatione versentur; neque etenim est hominis sani, tot laborum certum & amplissimum præmium inanis atque incertæ quietis spe eludere. Quocirca ijsdem verbis quibus diuus Paulus Hebræos vario malorum concursu iactatos, vos poterimus hortari. *Rememoramini autem*, (inquit) *pristinos dies in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem, opprobriis & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis; Cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem;* Neque dubitetis eâdem quâ diuus Paulus spe suorum, vestras mentes erigere *Adhuc enim* (inquit) *modicum, aliquantulum, qui venturus est veniet, & non tardabit;* Nam si omnium qui in his Prouincijs piam & verè Christianam mentem diuinâ misericordiâ conseruant fides in media errorum caligine sole illustrior & clarior extiterit; si magno & erecto animo nefarijs legibus repugnauerint, & ad omnia subeunda pericula firmum & excelsum animum retinuerint, sperandum est quod ij qui apud vos rerum potiuntur, legis seueritatem remittentes, vobis & Templa restituant, & verè Catholicos Religioſosque ritus permittant: ad quam omnem expectationem aditum viamq; occludetis si eorum impijs conatibus pareatis: Cum enim Christi

Ecclesia

Ecclesia nunquam infestissimis hostibus caruerit, semper tamen euasit illustrior, 1580.
glorioſiorque emerſit, non viribus repugnando, ſed ſuſtinendo; ſuique perenne Christi potentiæ argumentum quod Martyrum tolerantiâ fuerit ſemper Tyrannorum vis & potentia compreſſa & colliſa. Nam cùm hæc mala omnia non casû & fortuna, ſed diuino conſilio & voluntate eueniant, fieri non poteſt quin aliquando ſuorum miſereatur Deus, & illorum rebus proſpiciat qui nulli niſi ipſi placere ſtudent, ipſiuſque ſolius honorem curant & carum habent. Quamdiu verò hæc diuinæ bonitatis & miſericordiæ lux non affulget, certiſſimus laborum veſtrorum fructus vos debet conſolari: Hi enim eſtis qui (vt ait, Petrus Apoſtolorum princeps) *in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem paratam reuelari in tempore nouiſsimo, in quo exultatis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, vt probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam, & honorem, in reuelatione Ieſu Chriſti, quem cùm non videritis diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autẽ exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum.* Cum igitur laborum veſtrorum remuneratio non ſit ſub opinione dubia, ſed certa & explorata, *omne gaudium exiſtimate cùm in tentationes varias incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Quam tamen conſtantiam & firmitudinem vt Deus vobis perpetuo conſeruet, aſſiduis deprecationibus, gemitibus & eiulatibus à diuina clementia depoſcite, hæc enim ſunt arma cæleſtia nobis à Deo donata, quæ ſtare & perſeuerare fortiter, & animoſe faciunt; hæc ſunt diuinæ munitiones & tela ſpiritualia quæ ab incurſionibus & impetu dæmonum muniunt & tandem ad filiorum Dei perenne conſortium ducunt.) Ita Patres eo tempore, anno videlicet ſexageſimo ſecundo, cenſuere.

XI. Quadruplatorum ſeu delatorum nequiſſimum genus eſt, quorum omne ſtudium dies noctesque notorum per vrbem Catholicorum ædes obſeruare; quas ſi quem ſecundò tertióue frequentare, vel ſi eodem plures tendere conſpexerint, illico fores obſident, aut vocatis etiam in ſubſidium vicinis perrumpunt vt hominem comprehendant, prehenſum iſtant Iudici, minimùm interrogandum tergiuerſantem confeſtim ſuſpectum de Sacerdotio ducant, aut multâ pecuniâ, aut diuturno carcere, aut deniq; morte mulctandum. Horum eo tẽpore nequiſſimus Sleddus, dum in plures horas diſceptando conſeſſus, quem dixi, trahitur, & alij poſt alios Sacerdotes commeant, *Henricum Ortonum* de via ſiſtit; tum *Robertum Ihonſonum* notat eâdem ad flumen properantem vt tranſmittat; hunc ſuſpenſo gradu inſequitur, adſcito in facinus vici illius qui ripæ adiacet præfecto; monet vt quam in domum exſcendat *Robertus* in eam inuoleat, prædæ ſecurus: Is ſeu lucri auidus, ſeu quoniam in alteram ripam, in qua conſederant Patres, nullum erat eiitus, ſeu eludendi officioſi delatoris cauſâ, conſcendentem *Robertum* iniecta manu trahit; clamatur totâ vicinia (vti aſſolet) Papiſta Sacerdos: & is quidem in fide conſtantiam, glorioſâ deinde morte

1580. coronauit, erat enim Domino Talbotto à sacris: at tumultus in aduersam Tamisis ripam delatus aduertit consultantes periculi, maturauitque discessum.

Animaduerterat *Personius*, in eâ quam ad interiora Regni susceperat profectione maiori cum libertate atq; spe fructus operam collocari posse regiones singulas peragrando, quàm si vnius vrbis, quamquã frequentissimæ, erudiendo populo incumberetur. Tum quia non Catholici tantum, sed pleriq; nobiliores, (etsi forensium negotiorum necessitate quater in anno sat multi Londinum commigrent) vt plurimũ ruri habitant: Tum quoniam inter ciues & cõtentioso alios legũ studio deditos (quos duos ferè complectitur ciuitas, auiditate lucri obsessos) difficilior & minus gratus sermo infertur de Religione, in qua non augendæ, sed perdendę propediem rei se ingerit cogitatio: Ac deniq, non tam frequentes habet rus obseruatores ædium; neq; vicinos tantâ insperso malitiâ, vt non æquiùs ferant Catholicorũ nomen (à quibus plerumq; beneuolè habentur) quàm vbi quotidianâ calumniâ, fictis criminibus, immeritis suppliciis in inuidiã vocatur & nomen, & ipsa quam profitẽtur fides atq, disciplina. Distributis igitur inter se Prouincijs Londinũ, tum hac, tum *Campiani* auocandi causâ, sub vesperã à tergo relinquunt: decliui iam mense Iulio, per interualla deinde cùm opportunũ foret redituri. Quamuis verò apud congregatos Sacerdotes ea exposuissent mandata quæ ab *Euerardo* Generali acceperant, atque ad communem se fidei ac pietatis causam communibus armis promouendam venisse docuissent, nihil priuati animo gerentes nisi arctius ex voto vinculum atq; ex vinculo spẽ potentioris à Deo auxilij; à cæteris vero regni negotiis seuero arceri præcepto; Quoniam tamen regiorum Consiliorũ administri nullum faciebãt finem calumniandi quoscunq; propagandæ fidei conatus; & seditionis nomine infamandi tum cunctos qui è Seminariis proficiscerentur Sacerdotes, tum eos præcipuè qui è Societate *Iesu* dicerentur, Hogsdonio (vbi de nocte constiterãt) *Campianus* scripto digerit omnẽ huius itineris rationem, eamq; amicis tradit Regio concilio tum offerendã cùm res postularet. Ac primũ profitetur se sacris ordinibus initiatum, Societati etiã *Iesu* nomẽ dedisse, vt honorũ diuitiarumq; spe deposita, sub Christi vexillo militaret: Venisse Roma in Angliam ex præpositi *Generalis* decreto, eâ animi alacritate quâ in aliam quãcumq; Orbis Regionem profecturus fuisset, si *Generali* visum esset. Profectionis causã ac finem esse fidei Catholicæ conseruationẽ, propagationemq; per ea quę vniuersis vbiq; Sacerdotibus & cõmunia sunt & cunctis nota Sacramentorum prædicationisq, ministeria: Aliorum negotiorum procurationẽ ab instituto atq, ab animo suo alienã esse, & Superiorum auctoritate seriò interdictam. Postulare itaq; vt omni tumultuum concitandorũ suspicione amotâ, potestas fiat ea quæ ad fidei dogmata spectant explicandi coram sereniss. Regina, atq; ijs qui suæ maiestati sunt à consilijs; apud Academicos etiam, atq; legũ peritos. Causæ enim viribus confisum non dubitare quin apertissimis firmissimisq; atq; ex vnicuiq; generi proprijs fontibus hausti rationibus euicturus sit, auctoritati legũ, Patrũ Theologorumq; sententijs, dignitati deniq; Regum atq; optimatum impudentissimè

repugnare

Personius & Cãpianus discedunt Londino.

Epistola Campiani ad consiliarios Reginæ.

repugnare eam, quæ nuper inducta esset, credendi viuendique formam, iisdem 1580.
vero Catholicam euidentissimè comprobari; non vereri vnicum se cum doctissimo quoque super his committere, vel vnum cum omnibus congredi, non ingenij viribus aut eruditionis copiâ arrogantem, sed inuictæ veritatis firmissimis munimentis armatum. Si horum nihil concedatur, precibus tamen actorum quotidie apud communem Deum vt meliorem eis injicere velit mentem, neque à salute dilectissimæ Patriæ promouenda cessaturum donec quàm plurimarum animarum lucrum fecerit, aut laboribus ipse suis, vel gladiis tormentisue oppugnantium conficiatur. Hanc mentem esse totius Societatis, hunc animum eorum qui in Seminarijs trans mare educantur; quorum vota conatusq; nullæ machinationes elidere, frangere nulla vis poterit.

Quis primus Personio dederit manus.

XII His datis, albescente die in diuersa proficiscuntur. *Personio* Northamtoniæ, Gloceſtriæ, Herefordiensium, Derbiensium, atque adiacentium regionum populi excolendi obtigere; Is scilicet, cui regendæ huius missionis cura commissa erat, propius Londino vt abesset, commercij omnis negotiorumque Emporio. *Campianus* cum *Rudolpho* in remotiora contendit, Septentrionalibus operam impensurus. *Personium* sequebatur *Georgius Gilberti* peregrinationis periculorumque socius non parcus sumptuum, & ad famulantium officia non rarò se demittens, nobili loco natus, & erecti animi iuuenis. Primus *Personio* Catholicas Assertiones docenti manus dedit *Gardinerus* Hogsdonij celebris inquilinus; atque idem *Ioannis Foxij* sectator olim diligentissimus, eius qui ex Waldensium, & Pauperum de Lugduno, & Hussitarum, & Wiclefistarum, & anteriorum atque posteriorum hæreticorum gestis farragi em colligens, volumen ingens conflauit eorum qui inter hos ob defertam atque profanatam Orthodoxam fidem à Catholico Magistratu incommodi quidpiam passi sunt; opus integrum in menses & dies distinctum, quò videlicet Indicem heterodoxorum Catholico Indici opponat, & indocto vel vltrò cæcutienti populo suadeat, neque numero, neque constantiâ, neque conscientione inferiores esse suæ sectæ homines; sæuitiâ verò (si dijs placet) Catholicos esse superiores. Qui liber ex mandato Reginæ pari loco cum Biblijs Anglicè versis otianti festis diebus plebi legendus in singulis Templis exponitur, ferreâ, quam meretur, ligatus catenâ. At *Gardinerus* vt lucem orthodoxæ fidei aspexit facilè vidit, neque consensum dici posse inter eos qui de nullo ferè conueniunt, præterquàm quòd vnius capitis in Ecclesia vniuersa auctoritatem auersantur; neque constantiam rectè appellari eam quæ perspicuâ falsitate nititur obstinationem: Quod autem de numero heterodoxorum, de successu temporum, de antiquitate narrant, meras fabulas esse atque nugas: Catholicos verò aduersus hæreticos non sæuire, sed tueri septa; nouos homines iniuriâ aggredientes arcere; vi irrumpentes vi repellere; prehensos tenere, obstinatos plectere; plecti vero eos qui ipsius Christi voce fures & latrones pronunciantur, quoniam aliunde ascendunt, cuius crudelitatis esse poterit? præsertim cùm non plectantur nisi qui se

Foxij Calendarium quale.

1580. fures & latrones perpetuò esse velle profitentur: Pertinaciam igitur hæreticis cognatam firmitate atque constantiâ non commutauit solum *Gardinerus*, sed fortiter multa sustinuit pro tuenda fide. Ex hoc vero plura didicisse potuit *Personius* vtilia ad indicem illum mendacissimum (quod ab eo deinde factum est) confutandum. Gremio exinde Ecclesiæ redditi sunt, Baro *Comptonus*, *Thomas Tressamus*, *Guilielmus Catesbeyus* Equites Aurati; atque eius *Catesbeyi* Patruus; vir etiam Illustris Dominus *Dimocus*, & alij complures præcipuarum familiarum ductores. In quo *Catesbeyi* Patruo illud est animaduersione dignum; quod cùm plures annos in aula, atque in omni, vt fit, morum licentia triuisset, ductus vel curiositate, vel amicorum consilijs *Personium* voluerit conuenire. Hic de Deo deque salute sempiterna curanda instituit dicere: At ille, primùm, inquit, probandum est tibi Deum esse, tum cætera facilè concessero: *Personius* quæ in promptu erant argumenta profert, neque multum sibi profecisse visus est; At superueniens deinde *Campianus* hominem tantâ rationum vi oppressit, vt Dei gratiâ superante, conuictum Ecclesiæ mox reddiderit; & (qui non longo interuallo consecutus est) sancto fine diem claudere extremum docuerit. *Dimoci* etiam soror, acris ingenij & animi excelsi fœmina, inter honorarias Reginæ numerabatur; Hæc hæreticorum deliramenta auidiùs hauriendo eo dementiæ deducta erat, vt inferorum, quas dicimus, omnes pœnas ad vniuscuiusque Conscientiæ aculeum referendas esse existimaret; ignis tormentum nullum esse, cruciamenti aliud genus omnino nullum. Suadente fratre, *Personium* admittit ad colloquium. Ab illo edocta veritatem, non solum Catholicam fidem amplexa est, sed non diuturno post tempore abdicatis omnibus in Gallias transmittens in Sacrarum Virginum Cœnobio quod reliquum erat vitæ Sanctis Deo colligata votis exegit. Huiusmodi vero profanorum impiæ assertiones ansam dedere *Personio*, vt cùm librum deinde ederet, quem inscripsit *Directorium Christianum*, primùm de Deo, quod esset, probandum susciperet; de quo in loco dicetur. Quam vero viuendi atque agendi rationem, & quo fructu operis vterque tenuerit, non alibi clarius quàm in literis *Campiani* ad Societatis Præpositum Generalem *Euerardum Mercurianum* legetur: Quæ literæ quamquam integræ habeantur inter eius opera, hic non inutiliter recitabuntur.

Plures reducuntur.

Epistola Campiani ad Mercurianum de ratione viuendi in Anglia.

XII. Postquam diuinâ fretus misericordiâ quintum iam mensem in his locis dego, Reuerende Pater, putaui faciundum vt qui status rerum sit, quique videatur futurus literis exponerem. Aues enim scire, fat scio, cùm pro communi solicitudine, tum pro tuo in me amore, quid agam, quid sperem, quidue proficiam. Priora scripseram Audomaropoli; quæ deinceps consecuta sunt paucis accipe.

Dei consilio factum interpretor, vt cùm dies ipsos quatuor ventos secundos expectauissem, quinto demum, qui festus *Ioanni Baptistæ* fuit diuo Tutelari meo cui causam iterque sæpe commendaueram, vesperi nauigarem. Postridie summo mane Dorobernium appulimus homulus meus & ego. Ibi minimum

minimum abfuit quin caperemur: Coram Prætore Ciuitatis iussi comparui- 1580.
mus. Ille multa coniectat nos esse qui eramus, hostes hæreticarum partium, amantes auitæ fidei, dissimulasse nomina, Religionis causâ domo abfuisse, eius propagandæ studio redijsse: Vnum vrgebat: *Alanum* esse me; quod quidem ego iureiurando, si opus esset, interposito me negaturũ profitebar: Tandem decernit, idque crebrò repetit, cum certa custodia ad Regni proceres transmitti oportere. Neq; scio quis illi nouam mentem iniecerit, præter Deum, cui tacitus interea supplicabam, diuo *Ioanne* adhibito precatore, cuius auspicijs eò perueneram. Repentè prodit senex, cui Deus benè faxit, placet, inquit, vos dimitti, valete: Auclauimus. Hæc & his similia, quæ hic experior, cùm apud me repeto, confirmor in sententia, comprehensum iri cùm ea res ad maiorem Dei gloriam spectabit, non priùs. Londinum attigi: Duxit me bonus Angelus nescientem in eandem domum, quæ Patrem antea *Robertum* exceperat: Accurrunt nobilissimi Iuuenes; salutant, vestiunt, ornant, emittunt ex vrbe; Partem aliquam regionis obequito penè quotidiè: Ingens omnino messis est. Sedens in equo meditor conciunculam, quam ingressus in domum perpolio: deinde si qui me adeunt, colloquor, aut confitentes audio. Manè, peracto sacro, verba facio; aures afferunt sitientes: Sacramenta percipiunt frequentissimi: In his administrandis passim iuuamur à Sacerdotibus quos vbiq; reperimus. Ita fit vt & populo satisfiat, & hæc Prouincia minus laboriosa nobis reddatur. Presbyteri nostrates, ipsi doctrina & Sanctimoniâ præstantes, tantam opinionem nostri ordinis excitarunt, vt venerationem quam nobis exhibent Catholici non nisi timidè cõmemorandam existimem: Quò magis videndum est vt subsidiarij, quibus nunc maximè indigemus, eiusmodi sint qui hæc omnia probè sustentent: Ante omnia Concionibus habendis exerceantur; diu euadere manus Hæreticorum non possumus; tot oculi, tot ora, tot hostiũ insidiæ. Habitu dementissimo sum, quem sæpe cõmuto, itemque nomina. Lego ipse literas in quarum prima pagella scribitur, *Campianus* captus est. Hoc tam ita decantatum circumsonat aures meas quocunque venio, vt mihi timor ipse timorem excusserit: *Anima mea in manibus meis semper*: hoc afferant meditatum, qui supplimenti gratiâ mittentur. Verùm, quæ solatia in hoc negotio miscentur ea non solum formidinem pœnæ, sed & pœnas quaslibet infinita dulcedine compensant. Conscientia pura, robur inuictum, ardor incredibilis, opera insignis, numerus innumerabilis, summi, medij, infimi, omni ætate, & sexu. Hic inter ipsos hæreticos, si qui paulo æquiores, Prouerbium inoleuit: Catholicos esse qui argentum resoluunt quod debent, adeoque si qui Catholici iniuriosius quempiam tractant, exposulatur eo nomine, quod à talibus minimè isthoc fieri conueniat. In summa; Hæresis pessimè audit apud omnes, nec vllum genus hominum vilius aut putidius est ipsorum ministris. Meritò indignamur in tam perdita causa homines tam indoctos, tam sceleratos, tam dissectos, tam abiectos cultissimis ingenijs dominari.

1580. Circumferuntur in nos Edicta minacia: Cautione, & bonorum precibus & quod caput est, diuino munere, incolumes bonam Insulæ partem peruasimus. Plerosque video oblitos sui de nobis esse solicitos. Quiddam ijs diebus acciderat quod non speraram, Dei voluntate. Posueram in scripto articulatè causas & postulata quædam æquissima. Fassus me Presbyterum Societatis hoc animo venisse vt amplificarem fidem Catholicam, docerem Euangelium, administrarem Sacramenta; petebam à Regina & Regni Principibus audientiam, & aduersarios ad certamen prouocabam: decreueram penes me vnum exemplar tenere, vt mecum ad Iudices raperetur: Alterum amico commiseram, vt si me meumque prenderent, illud continuò spargeretur: Amicus non celauit; edidit, teritur, aduersarij insaniunt: Pro suggestu respondent, se quidem cupere; Reginam nolle rebus iam constitutis amplius disputari: Nos lacerant maledictis, seditiosos, hypocritas, etiam hæreticos appellant, quod maximè ridetur: Mirificè nobis hoc erratum profuit: si iubemur fide publica, dabimus non in Curiam; sed nihil minus cogitant.

Omnes custodiæ nostræ refertæ sunt Catholicis, nouæ parantur. Nunc demum apertè pronunciant satius esse paucos internecioni dedere proditores, quàm tot animas prodere. De suis Martyribus iam tacent; superamus etiam causâ, numero, dignitate, opinione omnium: Afferimus pro aliquot Apostatis aut sartoribus exustis, Episcopos, Regulos, Equites, Antiquissimam Nobilitatem, spectacula doctrinæ, probitatis, prudentiæ, lectissimam Iuuentutem, Matronas illustres, reliquos fortunæ mediocris planè extra numerum, omnes aut semel aut quotidie consumptos: Dum hæc scribo immanissima sæuit persecutio: Mæsta domus; nam aut mortem suorum prædicant, aut latebras, aut vincula, aut rapinam bonorum; tamen pergunt animosè. Etiam nunc plurimi restituuntur Ecclesiæ; nouitij milites dant nomina; veterani sanguinem profundunt. Hoc sacro cruore ijsque hostijs promerebitur Deus, & sine dubio breui vincemus. Vides ergo Reuerende Pater, quantopere vestris sacrificiis & precibus, & cælesti auxilio egeamus. Eruntin Anglia qui curent salutem suam, erunt qui prouehant alienam; Irascatur homo, sæuiat dæmon. Tamdiu hæc Ecclesia consistet, dum Pastores ouibus non deerunt. Impedior præsentissimi rumore periculi nè plura hoc tempore. *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius.*

XIV. Celebris autem fuit in Septentrione *Campiani* memoria ad nostram vlque ætatem: tenebantur etiam tunc recordatione Conciones in salutationem Angelicam, de decem leprosis, de Rege peregrè proficiscente, de extremo Iudicio, & plures aliæ: ad has tanta auiditate currebatur, vt non obscuræ familiæ viri quamplurimi noctes integras in vicinis horreis ducerent, quò interesse possent opportunè; Capiebantur non eloquentiâ, aut pronuntiatione, (quæ erant in illo vtraque admiranda) quantùm ardore dicendi, & occultâ quadam sermonis vi, quæ non aliunde quàm à Spiritu Sancto proficisci existimabatur. Concionabatur verò quotidie, nisi cum ad scribendum à concur-

Campiani celebris memoria.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cursantium tumultu se aliquantisper abstraxit. Scribendi necessitatem imposuit Amicorum festinatio in vulgandis literis ad Senatum Regium exaratis: Tantam enim vnius hominis fiduciam, quanta ijs literis significabatur, stultam audaciam & superbam temeritatem interpretabantur ij qui sibi de doctrina & scientia plus abblandiabantur quam sustentare potuissent. Quibus reipublicæ quies, aut verius hæresis confirmandæ, retinendæque morum licentiæ amor erat, hi commouendi ad tumultum populi, ac perturbandarum rerum studio conscriptas asserebant. Cathedræ vbique *Campiani* impudentiam, Iesuitatum in quantalibet mentis aperta significatione occultas fraudes personabant, & *Papæ* haud dubiè, principibusque externis inuadendo armis regno his sterni viam clamitabant. Hanmerus & Charcus calamum etiam stringunt, eduntque libellos, non argumentis, sed calumnijs fætos; Authorem, originem, doctrinam Societatis dicterijs onerant; omnia præter eum qui petebatur congressum concrepant. *Campianus* neglectis calumnijs (quoniam ad Regni, & Academiarum Principes ei sermo fuerat non ad vnum aliquem, aut duos de triuio ministellos) nè in ventos verba dedisse, aut se de nihilo iactasse cèlaretur, in breue commentarium digerit rationes quibus ea quam conceperat fiducia nitibatur. Eæ omnino decem sunt ad Academicos inscriptæ, quibus præcipua Orthodoxæ fidei firmamenta elegantî, succinctâ, neruosâ, graui dictione complectens, & doctrinam Ecclesiæ Catholicæ plurimùm illustrat, & quàm nihil firmi, nihil solidi, nihil veri nouorum dogmatum sententiæ habeant luculenter demonstrat: Ducto argumento à Majestate sacrorum bibliorum ab heterodoxis fædissimè violata. A sacrarum literarum sententiâ, vel solâ, vel collatis inter se locis, & cum antiquitate comparata, atque pro nobis pronunciante. A naturâ Ecclesiæ, quam illi dimotam à sensibus, secretis obtutibus hominum perpaucorum subijciunt, sacræ literæ vbique diffusam atque spectabilem deprædicant. Ab Oecumenicis Consilijs, quæ omnia nostra sunt, primum, vltimum, media. A Patribus, qui noua hæc somnia tantâ consensione insectantur, vt nullus qui pariter eos legat, ijsque credat, hæreticarum partium esse possit. A firmamentis Patrum, atque omni illo apparatu biblico quo celeberrimi auctores procedunt armati, & frequentes quidem ab auctoritate maiorum, ab Ecclesiæ praxi, & Apostolicis Traditionibus argumentantur; omnium tamen maximè atq; libentissimè sanctarum literarum testimonia densa conglobant, hæc premunt, in his habitant. Ab veteri historia, quæ nostrorum laudes, progressus, vicissitudinem, hostes narrat. Ab hæreticorum paradoxis atque inuisis insulsisque commentis. A perpetuis sophismatis atque inter argumentandum fallacijs, quas in Academia maluit quàm in triuio retexere: denique ab omni genere Testium, & ipso vniuersitatis theatro; quidquid enim est vspiam si peragremus, omnia Catholicæ fidei argumenta suppeditant: Cælum, Tartara, disiunctissimæ terræ: Ethnici, Turcæ, Principes Christiani; Academiæ florentissimæ, legum tabulæ, Cæsarum inauguratio, Regum inunctio, Equitum ordines, ipsæque chlamydes; feneſtræ, nummi, portæ, domusque Ciuicæ; res omnes

1580. Scribendi occasio.

Fundamenta Fidei decem rationibus comprehensa.

1586. omnes & reculæ nullam in orbe Religionem nisi nostram imis vnquam radicibus insedisse testantur.

Inter summas difficultates temporum, insidias priuatorum, Magistratuum minacia Edicta, commutata frequenter hospitia, regiones integras peragratas, scribitur, cuditur, vulgatur, laudatur, extollitur libellus verè aureus: Catholici triumphant, hæretici frendent & obganniunt. *Veritas inter Lucifugas tenebriones quò clarius lucet, offendit magis*; & rectè *Campianus* tormenta non scholas parari augurabatur.

Personius scribit de non adeundis templis hæreticorum & aduersus Charcum.

XV. *Personius* neque industria in lucrandis animis, neque scribendo posterior, edidit his mensibus Rationes cur non essent adeunda hæreticorum sacra, ad firmandos Catholicorum animos aduersus atrocia quæ parabantur edicta & mulctas pecuniarias graues nisi reuerenter interessent. Tum datâ breui in Hanmerum & Charcum Censura vtrumque vehementer exagitauit; nam quoniam auctorem Societatis *Iesu Ignatium*, & doctrinam hominum eruditissimorum canino dente lacerarant; Principes hæreticorum huius temporis, Lutherus & Caluinus, quales fuerint discripsit, sumptis coloribus ex ipsorum commentarijs; & fædissimo in fide naufragio, constantiam, sacrilegæ votorum infractioni, castitatem, sceleratæ in Deum diuosque doctrinæ, pietatem, execrando fini exitum sanctum *Ignatij* & Sociorum opponens, quàm dissimili origine, progressu, fructu hæresis pietasque prodierit luce meridiana clarius ostendit. Exceptus Catholicorum plausu liber mole exiguus, veritate illustris, hæreticos in auctorem exacuit, quem vt prehenderent susque deque omnia commouerunt; euasit tamen Dei ope subdolorum laqueos, & plures auctorum dogmatumque fæditate pudefactos in Ecclesiam restituit. Quæ autem fuerint ea tempora, quis Catholicorum inter persequentium furores sensus pietatis, ipsum narrantem audire libet, in Epistola ad Patres Romæ habitantes quinto decimo calendas Decembris Anni octogesimi. "Sæuitur toto regno in Catholicos acerbissimè; carceribus coercentur nobiles æque ac plebei, viri & mulieres, magni & parui: Bona diripiuntur; fama proscinditur; Proditores ac rebelles pro cõcione, pro Tribunalibus & in compitis audiunt omnes Orthodoxi. Tot illustres viri fæminæque atque apud suos potentes detinentur, vt antiquis carceribus noui addendi fuerint, neque cessatur ab quotidie conquirendis: Vincit tamen numerus diligentiam insectantium: Intelligo ab vno mense in tabulas relata esse quinquaginta millia eorum qui fana hæreticorum adire recusant, inde vulgo dicti *Recusantes*; vnde colligas quanta sit vniuersim multitudo Catholicorum, cum tanta sit eorum copia qui palam vitam fortunasque suas libidini insequentium atque discrimini offerunt. Mirum est quanto iam ardore atq; constantia hæc noua sacra plerique detestantur, vt nè ad limen quidem comparere velint. Optatio fuit nuper Nobilibus quibusdam vt semel saltem in anno reuerenter adessent, vel factâ etiam protestatione non approbandorum sacrorum gratiâ venisse, sed vt Reginæ obedientes se præberent; conscientiæ tamen illibatam Religionem libertati quæ promitte-

Epistola Personij de re Catholica Ao. 80.

Ribadeneral. 2. a. 2.

Recusantes qui & quam multi.

promittebatur prætulêre. Decenni puerulo suaserant vt nouæ nuptæ ad templum progredienti honoris causâ anteiret; Inde ab æqualibus Schismaticis cùm audiret, tantâ comploratione expiauit culpam, vt nullum admitteret consolatorem, donec post dies aliquot in me incidens, prouolutus ad genua rogaret delicti veniam, sanctè promittens nullis in futurum tormentis adducendum se vt simili se polluceret scelere: atque infinita sunt huiusmodi quæ prætereo. Ea verò nostra est conditio vt licet Edictis publicis omnes à congressu nostro arceantur, in omnium tamen simus desiderio; quacunque incedimus cupidissimè excipimur: Complures itinera longinqua suscipiunt vt paucarum horarum sermone fruantur; tum se totos in nostra potestate futuros profitentur. Vbique ministrant necessaria; etiam rogant vt de suo in nos ipsos liberales simus: Sacerdotes habemus vbique consentientes; quid dico consentientes? obsequentes potius plurima cum amoris significatione, atque vt verbo absoluam, tanta est de Societate apud omnes existimatio, vt non parum solicitos nos reddat vti eam præstemus; præsertim cum tam magno interuallo absimus ab ea quam in nobis venerantur perfectione, quò magis vestrarum egemus ope orationum. 1580.

Shervvini constantia.

Nuperi dum alium insequuntur, casu incidunt in *Shervinum*, præclarum is de fide testimonium præbuit coram Londinensi pseudo Antistite; onerarunt illum ferro copioso; fert magna cum lætitia, & quemadmodum ad me scribit, dum se pro Christo detineri videt vix tenet risum. Vexatores nostros plurimùm cruciat quòd nullo crudelitatis genere vel vnum Catholicum ab instituto reuocare possunt, nè puellas quidem. Nobilis inter illas interrogata à Londinensi quidpiam de Pontifice, cùm constanter respondisset quod res erat, iussa est ab immemore humanitatis viro duci ad carcerem in quo meretriciæ puniuntur; Ibat vociferans (& hoc vno læta) quòd non pro crimine, sed pro fide & Conscientia duceretur. A prima luce in multam noctem, postquam ea quæ ad Dei cultum spectant peregero, postque duplicem quandoque vno die habitam concionem, distrahor continuis negotijs: Præcipua sunt, vt de Conscientiæ quæstionibus respondeam; vt Sacerdotes ad opportuna loca transmittam, vt ad Ecclesiam redeuntes accipiam; vt scriptis literis in fide vacillantes corroborem; vt Eleemosynis Carcere detentos subleuem; quotidie enim solicitor, & solicito. Tam multa deniq; sunt quæ agenda superueniunt, vt animo desponderem nisi clarum esset è Dei gloria ista esse omnia quæcunq; agimus. Maiusque est solatium videre quanta lætitia nostrum vbique adgratulantur aduentum in has Prouincias, quâm potest aut animi aut corporis esse labor. Peto vt nos orationibus iuuetis quò tantam possimus sustinere omnium expectationem. Valete.) Neque abs re erit nostri hominis fidem, Sacerdotis sub idem tempus scribentis testimonio confirmare. Ita enim ad Rectorem Seminarij. " Negotium nostrum perbelle promouetur. Merces quas ferimus, etsi plures contemnunt atque etiam auersantur, sunt tamen qui coëmant; plurimi etiam qui admirentur.

Nostrorum occupationes.

De nostris qui Sermones.

1580. tur : Omnis sermo per Angliam est de Patribus Societatis, quos hic Iesuitas vocant; finguntur de illis plures fabulæ quàm olim à Poëtis de suis monstris; De origine, de instituto, de ratione viuendi, de consuetudinibus & doctrina, de actionibus & propositis tam multa dicuntur, tamque male sibi cohærentia, vt cuiuis appareat inanium capitum esse deliramenta potius, quàm recta rei alicuius narratio. Hæc tamen publicè, hæc priuatim, hæc pro concione, hæc scriptis libris vulgantur. Caput est; venisse illos omnesque nos à Pontifice exploratores, Proditores, & publicæ quietis interturbatores. Caluinistæ aliqui scripserunt contra *Campianum*, & aduersus vniuersum ordinem Iesuitarum, vitam ipsam *Ignatij* Fundatoris perstringentes: Non tulere impunè: Intra decem dies prodijt responsio quæ perpetuum fronti ipsorum inscripsit ruborem: finem non facerem narrandi, si zelum ardoremque Catholicorum hic velim per singula depingere.)

XVI. Quò se magis Patrum Sacerdotumque intendebat industria ad fidem Orthodoxam inter hostium quotidianos incursus tuendam, eò atrocior hæresis insurgebat in omnium ordinum Catholicos, ad constantiam subuertendam. Recentibus Regni Comitijs ad diem decimum sextum Ianuarij 1581. indictis, sancitum est, vt quicunque decimum sextum ætatis annum explesset, nisi templa hæreticorum frequentaret, viginti libras pecuniæ Anglicanæ, hoc est, octoginta aureos, in singulos menses Reginæ penderet; collectisque diebus qui in mensibus præter vnum Februarium omnibus viginti octo excedunt, numerarunt in anno menses tredecim; Tum lætæ Majestatis dicebatur reus, qui absolutionem ab hæresi vel à peccatis aut suauisset aut accepisset à Sacerdote Catholicè initiato: nimirum id omne auocationem ab debita Reginæ obedientia interpretabantur. Sacrosancto Missæ Sacrificio interfuisse culpa erat ducentis sexaginta sex aureis eluenda, & vnius anni custodiâ. Qui celebrasset in duplum mulctabatur. Quo in genere accidit nuper ridiculum quidpiam, atque ad ludicum nostrorum in huiusmodi causis ingenium perquam aptum: Cum secularis Sacerdos accusaretur de ordinibus sacris trans mare susceptis, neque id duodecim viris (quorum est de facto iudicare) satis probaretur, atque ea propter dixissent illi insontem: quia tamen obscurus Apostata iureiurando confirmabat audiuisse se eundem missam celebrantem ante annos triginta, absolutus Sacerdotij, damnatus eius quod nisi Sacerdos esset facere non posset (cum tantæ mulctæ soluendæ non esset) hospitium ei perpetuum carcer factus est. Sed quod rem nostram attinet propius; harum legum occasione dati sunt in custodiam sub hoc tempus Comes Southamptonius; Barones Pagettus, Comptonus, Vauxius; Equites Aurati, Thomas Tressamus, Guilielmus Catesbeyus, Ioannes Arundelius, Nicolaus Pointz; viri illustres & copiosi Rudolphus Sheldonus, Thomas Throckmortonus, & complures alii: atque inter cæteros Catholicarum partium præstantissimos cultores curatoresque, *Georgium*

Aucta per secutio.

Georgium Gilberti tenebriones nequissimi acerrimè sunt insectati, seu quod Nobilis Iuuenis virtus inter suos eminebat altius, seu quod subodorati erant eum à *Personij* latere vix discedere; missaque manu in omnes possessiones eius & facultates, atque per fraudem interceptâ pecuniâ non exiguâ quam ex agris diuenditis confecerat, cùm nullo posset loco per inquisitores consistere, suasit ei *Personius* vt solum vertens in Gallias primùm tum in Italiam Romamque se conferret. Hic prauis à puero opinionibus imbutus, Romam pridem honestæ curiositatis gratiâ cùm veniisset, sermone consuetudineque *Personij* commutatâ sententiâ rectam Fidem, legesque sanctè in Patria viuendi complexus fuerat; atque in Angliam reuersus ætate iam maturus, suæ stirpis vnicus, & amplarum possessionum hæres, ad nuptias animum adiecerat, cùm forte sub id tempus quo tabulæ erant conficiendæ *Personij* in Insulam aduentus nunciatur. Igitur Matrimonij negotio posthabito conuolat ad *Personium*: cuius rursus familiaritate mutuisque de rebus diuinis colloquiis tam vehementer est accensus, vt desertis nuptiis castimoniam Deo non ita multò post promiserit perpetuò colendam. Inde rei Catholicæ promouendæ studio non *Personium* modò rebus omnibus ad cultum, ad habitationem, ad itinera atque ad sacra ministeria necessarijs liberaliter instruxit, sed earum rerum curam erga *Campianum* & cæteros Socios sibi vni demandari summis precibus impetrauit, non magis ad promissa promptus, quàm in facto munificus. Ad quod studium cùm paris nobilitatis Iuuenes cõplures exemplo & cohortatione inflammasset, ipse *Personio* individuus adhæsit; neque tamen ad Societatis tantum homines optimi Iuuenis beneficientia pertinuit, alios etiam Sacerdotes & Catholicos præclarâ Cælestis fœnoris spe complexa est; vsque dum hostium fidei assiduâ vexatione atque insectatione migrare compulsus, ad Collegium Anglorum de vrbe se recepit. De quo iuuat audire illustre *Alani*, tum Rhemẽsis Præsidis, deinde Cardinalis testimonium, in quadam sua hoc tẽpore scripta Epistola, " Est apud me hoc tempore summus Patrum & Presbiterorum in Anglia Patronus & Comes, Dominus *Georgius Gilbertus*, quique ipsorum causa passus est rapinam penè omnium bonorum & possessionum: Et quia hæretici ipsum personaliter persecuti sunt præ cæteris, cùm eius opera conseruari & sustentari Patres Societatis ipsi scirent, concessit huc in Galliam Patris *Roberti* & aliorum consilio, vt se seruaret ad aliud tempus. Veniet Romam volente Deo in autumno, atque de se disponet secundum consilium Reuerendi Patris Generalis & Vestrum. In discessu reliquit Patri *Roberto* septem equos ad necessaria Sacerdotum & Patrum itinera & negotia obeunda, magnamque impendit vim pecuniæ ad necessariarum rerum apparatum, nempe Chartæ, Præli, Characterum, atramenti, & similium, ita magnæ res non possunt fieri nisi magnis subsidijs, oportetq; esse homines pecuniarum summè contẽptores, pariterque diuites, qui talia opera insigniter promoueant.) Hæc Alanus. Romam cùm peruenisset, in Seminario non induit vestẽ cæteris communem vt liberiùs per vrbem communibus vacaret negotijs quibus perquam erat vtilis:

1580. Georgii Gilberti elogium.

Alani de Gilberto opinio 13. Iunij 1582.

1580. Vitam verò induit penitus Religioſam, ieiunijs, vigilijs, acriq́ue corporis afflictatione, atque imprimis indefeſſo precandi ſtudio compendioſam ſibi ad Cæleſtem Patriam muniens viam. Quinque de die horas impendebat orationi, plures etiam cùm egrediendum non eſſet ad negotia. Peragrabat frequenter cogitatione Cæleſtium varios ordines, & modò hunc modò illum ex Sanctis familiari alloquio ſalutans rogabat, quanam is ratione, cuiuſue virtutis exercitatione ad tantam aſcendiſſet gloriam; & quaſi reſpondentem auſcultans accendebat ſe ad huiuſcemodi ſtudium: Exempli gratia. Tu Sancte *Stephane*, vnde video te ornatum tot ſplendidorum lapidum coronâ? & reſpondet *Stephanus*; hi ſunt lapides quos, cùm à Iudæis obruerer, Chriſti mihi ſanguis perpoliuit. Et tu *Bartholomæe*, veſtis illa purpurea in quâ triumphas vnde tibi parta eſt? Ex eo quod pellem exui libentiſſimè pro Chriſto meo. Et tu *Franciſce*, quâ arte ad Thronum tam ſublimem, tamq́uam diuitem peruenisti? hic eſt fructus paupertatis, quam omnibus mundi diuitijs delitijſq́ue prætuli. Idque genus orationis commendabat Alumnis Seminarij, aptiſſimum ad laborum cum iucunditate tolerantiam incitamentum. De nocte vero adrepebat latenter ad Odæum, vt dulciſſimo Chriſti *Ieſu* conſortio in venerabili, nullo interſtrepente frueretur. Contigitq́ue vt in ea, quæ fuit illi extrema anno exacto infirmitate, dum ad commodiorem ſtationem illâc eſſet vehendus, ab tam optata præſentia, niſi ſuperueniente domus miniſtro qui pro poteſtate iuberet, non poſſet auelli. Tantâ vero obſeruantiâ colebat ſuperiores, vt ad nomen ipſum obedientiæ q̃libet in morbi medicinis ingratiſſima hauriret alacriter; quod cum quadam vice promptè feciſſet, cui dam Patri familiariter, "Quanta, inquit, exulto lætitiâ, mi Pater?) Rogatus quid id eſſet quod eum tam magno gaudio cumulaſſet', "Beatiſſima (inquit) Virgo propter iſtam obedientiam oſtendit ſe mihi vultu ad ſerenitatem ac beneuolentiam compoſito, cùm paulò antè ſeueriore aſpectu me fuiſſet intuita, eo quod quadam in re nimium proprio iudicio adhæſiſſem.) Solituſq́ue erat dicere, duo eſſe quæ amorem in ſe reuerentiamq́ue erga Societatem conciliarant, primum; quod hoc genus vitæ proxime exprimeret modum viuendi quem Chriſtus cùm eſſet in terris dignatus eſt amplecti: Alterum. Quod in obedientiæ virtute in primis Societas tota excelleret Quanto vero teneretur Martyrij ſeu deſiderio ſeu æſtimatione tum declarauit cùm ad adſtantes præcipiti hoc & præmaturo tam præclari iuuenis morbo cõmotos, "Me, inquit, flere deceret magis qui ſine ſanguine eripior; vos quibus Martyrij ſpes magna ſupereſt quid ploratis?) dataq́ue cùm illi eſſet in manus Crux lignea quam ad acuendam pro Chriſto moriendi deſiderium *Alexander Briantus* ſibi ante martyrium formauerat, "O Lignum (inquit) ô funes, ô gladij, ô mors deſideratiſſima! Cur ego miſer dignus non eram vobis frui & ſanguinem pro ſanguine fundere? Quis mihi daret eo modo tractari quo hi Sancti Martyres? O amantiſſime colendiſſimeq́ue *Campiane*, ô *Sherwine*! ô *Briante*! veſtris me precibus iuuate, vt peccatorum meorum conſequar veniam quibus hac tam magnâ

Eius vitæ ratio in ſeminario de vrbe.

Ex literis Agazzarij Rectoris ad Generalem

Obedientiæ Laus.

Martyrij deſiderium

magnâ gratiâ exclusus hîc otiosus morior. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? &c.) Tum cùm Christo Domino obtulisset suæ merita sanctissimæ passionis, Beatissimæ Virgini dulcissimum filium, dolores etiam quæ viuens passa, & gaudia quibus moriens cumulata decessit, Angelo Custodi & Patronis gratias & preces pro tutela, se totum in holocaustum donans Deo, impetrata ab admodum Reuerendo Patre Generali votorum Societatis nuncupatione, & ad Sanctum Andream sepulturâ, vocem affectus intercluſit ijs in verbis " Insuper ego peccator voueo tibi Deo meo coram Beatissima Matre Virgine *Maria*, & omnibus Sanctis, Paupertatem, Castitatem & obedientiam in Societate *Iesu*) Sanctissimaque *Iesu* & *Mariæ* nomina reiterans, oculis velut ad quiescendum clausis animam sanctam Deo reddidit Creatori, pridie nonas Octobris, anno supra quingentesimũ octogesimo tertio. Tyronum Domui cùm ducentas nostræ monetæ libras ex legato reliquisset, eam omnem pecuniam Pater Generalis voluit ad *Alanum* in Rhemensis Collegij vlus transmitti, affirmans suorum (e etiam Collegiorum impensâ, si liceret, tantam causam & tam magnâ dignam commiseratione subleuaturum. Eius inter cætera benignitate (inquit Bombinus) Anglici Collegij templum illustribus Martyrum Anglorum tabulis vndequaque vestitum hodieque visitur: Nimirum, hic sumptum fecerit; rei autem totius inuentio, propositio, ordo, ad Patrem *Guilielmum Good* refertur, qui id temporis eo in Collegio Confessarij munere fungebatur.

1580.

Mors Sancta.

c. 22. vitæ Campiani.

XVIII. Inter Sacerdotes verò, (præter eum quem nominauimus *Sherwinum*, & quos alia dabitur occasio nominandi.) *Rishtonius* eiusque frater comprehensi sunt cum aliquibus è Lancastria celebribus Catholicis, ad Rubræ Rolæ hospitium in veteri, vt vocant, Olborni colle. Quò cùm *Personius* properaret ad colloquium, oblitus repentè plateæ domorumque positionem, oberrans, Walsinghamij Satellites in hospitio operientes fefellit, atque aliò diuertens tum primùm didicit quo è periculo diuinitus fuisset ereptus cùm inscius euasisset. Et erant ista quotidiana; de die, deque nocte, in ædibus quibuscunque, vbique insidiæ, vt modò se fæno condere, modò ante lucem migrare, modò suâ industriâ variè vt sibi consuleret necesse fuerit: repletisque Carceribus, nouæ inquisitiones instituebantur corripiendis Sacerdotibus, multo primùm ferro, tum exquisitissimis tormentis vexandis, denique aut morte aut exilio tollendis; vt mirum sit quâ fronte, & quo ore in Hispanos quæsitores debacchentur ij, qui non vt antiqua iura tueantur, sed vt noua portenta in Ecclesiam, & in mores inuehant, omnemque Dei timorem à cogitatione hominum, inani, quam fingunt, fiduciâ depellant, omnem seueriorem disciplinam eliminent, haud paulo acrius connituntur, quàm quæsitores Catholici in irrumpentes nouos homines vsp iam animaduerterint. Quid enim si *Mariæ* hæresis manifestos vsitato in omni ætate ignis supplicio, obstinatos complures sustulit? An mitior *Ezabetha*, quæ nullius criminis reis insueto primùm tormentorum genere excarnificatis (vt membro vix hæreat, membrum) tum de

Pericula nostrorum in Anglia

Vel Leonis rubri nam sub disiunctione ponitur in notis Personij

1580. ligno suspensis, viuentibus, spirantibusque rimata est ferro viscera? Idque eo solo nomine, quod Sacerdotes ritè (ipsiusmet iudicio) consecrati in Patriam reduces eam tuerentur fidem quam à maioribus acceptam, omnibus sæculis probatam, negare ipsa non poterat? At hi rebelles, scilicet, edictis, legibus inobedientes perierunt: At quibus legibus? quàm legitimis? quàm antiquis? Illi verò quo iure à perduellione liberi, qui omnium à Christo sæculorum iuribus moribusque proculcatis, nulli præterquam suo cerebro obedire decreuere? Denique incidit in manus perquirentium Prælum, quod ante menses aliquot *Personij* industriâ comparatum fuerat ad excudendos qui scribendi veniebant libros, cum omni instrumento & operis. *Campianus* diu tutus esse nō potuit: cuius viri carcerem mortemque pro Christo obitam (etsi accurate à Bombino illa narrentur) paucis hic vt complectamur historiæ ratio postulat; & esse non potest legenti non gratum; præsertim cùm quædam inserenda venient quæ Bombinum effugere.

Prælum detectum capitur.

Campianus secundò migrat Londino.

XIX. Iam Comitia finem acceperant, iam liber *Campiani* decem Rationum feliciter ex prælo, antequam intercideretur, emerserat, sparsusque per Academicorum manus cupidissimè terebatur; iam ad sua se quisque domum referebat, terminatis, quibus Londinum de more curritur, iudiciorum diebus. Et multa quidem in *Campianum* iactabantur ab Heterodoxis opprobria, quòd vnus omnes quot haberet Anglia doctos homines in disputationem de Religione prouocasset: De die verò, de paratis ad arguendum audiendumúe viris, nullum vspiam apud omnes verbum, versis omnium ordinum cogitationibus ad intercipiendum, si quo modo possent, eum quem ratione superandum cùm non sperarent vinculis coërcerent. Vt itaque à periculo quàm longissimè amoueretur, indixerat ei *Personius* notum ab altero anno iter in partes Septentrionales primùm, vt quò longinquius Londino aberat, eò artes inuidorum ægrius ad perniciem operarentur, aut famâ ipsâ viri aliò auersâ languescerent: quanquam deinde Norfolciæ destinabatur. De itinere ex vicinia Oxonienſi, (vndeà *Personio* ineunte Augusto discesserat,) ad Yatæi Lifordianas ædes diuertit. Isthic dum diebus aliquot moram trahit, texitur nescienti laqueus quem sola pro Christo gloriosa mors obita solueret.

Hæret Lifordiæ Ita notæ Personialij ad Idus Iulij.

Perfidi Eliotti nequitia.

Georgius Eliottus (hactenus Catholicus) scelerum conscientiâ ad immane facinus incitatus, VValsingamio qui erat Reginæ ab Epistolis operam addicit complures Sacerdotes ab antiqua inter Catholicos commoratione notissimos prodendos constringendosque: VValsinghamio nil gratius accidere potuit: erat enim Cambdeno teste, purioris Religionis (hoc est hæresis Caluinianæ) assertor acerrimus; quo nomine Guilielmi Cecilij, qui plurimum apud Reginam poterat, cæterorumque eius sectæ Aulicorum captabat gratiam Prima præda Eliotti fuit & velut futuræ insaniæ pignus *Ioannes Paijnus*; quem quia negauerat raptam nuper ab Eliotto ex Domini Roperi ædibus Virginem posse se legitimo ei Matrimonio nisi loco & libertati restitutam coniungere, inopinantem oppressit, Iudicibusque (adficto crimine quæsitæ ad cædem Reginæ) tradidit immanissimè excar-

Camdenus Ao. 33. Elizabethæ.

mè excarnificandum. Tum maioribus agitatus furijs (vt qui proditoris nomen notamque nullis iam temporibus eluendam contraxisset, & patrati præterea in latrocinio homicidij suspicionem non is apud optimates officijs obruere meditaretur) petit ab Walsinghamio literas regias quibus fiat potestas quærendi vinciendiq; sacrificantes Papistas; Iesuitam haud dubiè aliquem propediem exhibituro. Walsinghamius qui non vires ingenij tantum, sed & rem familiarem in huiusmodi pestе alenda, incitanda, remuneranda triuisset, collaudato Reginæ seruiendi studio, cum spe immunitatis amplissimam ei facultatem confestim obsignatis tabulis transcribit. Ille iuncto non minus rapaci audaciq; veteratore, Londinum fugitans, nuperæ perfidiæ conscium, per agros velitat furibundus. Et siue à Walsinghamio (rerum occultarum indagatore solertissimo) id in mandatis acceperat; siue secutum suas Rationes *Campianum*, & *Personium*, atque non procul Oxonio delitescere somniarat; siue quia Lifordiæ notum habebat hominem per quem violatæ fidei inscium, tuto in familiam Catholicam irrepere posse confideret; Lifordiam non plus milliaribus octo Oxonio dissitam matutino tempore ingreditur, idibus sextilibus (& erat is dies Dominicus à Pentecoste nonus) Coquum, è domo Roperi (cui vnà famulati fuerant) huc translatum euocat; narrat iter quidem se necessarium habere atque festinatum; hâc verò transisse, vt si quo modo posset, debito diei festi obsequio, sacrosancto sacrificio Religiosè venerando satis faceret. Coquus ægrè impetrato heræ consensu (herus enim Londini tenebatur in vinculis) felicem eo die Eliottum prædicat, qui non quemlibet, sed *Campianum* esset dicentem auditurus. Is ad *Campiani* nomen lætitiam haud fictam prodens, sed causam callidè tegens, in interiora admissus, vniuersæ eius diei ceremoniæ non indiligens pietatis simulator interfuit. Peractis sacris maturat gradum; & quanquam premeret coquus nè abiret impransus, suâ tamen, socijq; quem expectare iusserat, importunitate, omnem detinentis industriam eludens, ad meditatum scelus adiutores vocaturus auolat. Hera, quæ initio difficulter concesserat homini externo aditum, & aliud ex alio voluebat metuendi argumentum, tantam nuperi hospitis festinationem boni nullius euentus prælagam interpretans, quamquam vultus modestiâ turbatam mentem celabat, iussit è specula obseruari vias publicas, nè quis inopinatus casus inaduertentes opprimeret. Horæ non multæ abierant, accurrit qui nunciet vias ab confusa multitudine insideri, viderique; oculis, gestu, vestigijs domum petere. Tum serò intellectum *quanti periculi mater sit festinata credulitas*, quâ damnare quidem promptum, malum vti auertas neutiquâ procliue. Erant quos Regia auctoritate adesse è vicino iusserat Eliottus, Berchiensis Prouinciæ cum Centurione milites. Antequam admitterentur, *Campianus* se potissimum quæri præfatus, abire vt permittatur domo flagitat, Deo duce aut quærentium diligentiam elusurus, aut suo periculo, si incideret, graui molestiâ hominumque truculentorum immani importunitate familiam vniuersam liberaturus. Sed frustra fuere preces vbi & viri reuerentia & sociorum sacer-

1581.

Camdenus supra.

1581. dotum eandem cum illo aleam tentandi cupidô, spem acuebat amplioris per occultas domi latebras securitatis.

Catholicorum domestica perfugia.

XX. A primis afflictæ Religionis temporibus, quoniam carere Sacerdotum auxilio Catholici in summis ponebant malis, sæuientum verò hostium furor neque noctem neque diem ab incursionis metu liberum concedebat, quò suæ ipsorumque indemnitati aduersus quantamcunque insectantium diligentiam. quibus possent artibus, prouiderent, ingeniosa necessitas famulans pietati domestica latibula subitis euentibus opportuna singulis penè in ædibus docuit fabrefieri. His inter parietum commissuras, aut tectorum vacuitates, aut scalarum obscuritates, cauearumue densitatem, ab fidis nocturnisque operis, vix quoquam domesticorum conscio, fabricatis, & sacra supellex conditur, & sacris operantium salus tutò plerumque committitur, dum in ampla domo quo quaûe ad indagandum eatur acutissimus quisque inquisitor ignarus est. Hic igitur *Campianus*, cum duobus quos domi inuenerat Sacerdotibus, quoniam fugæ non patebat via, perfugium quærere coactus est. Admissis dein cum Eliotto militibus, susque deque curritur; pertentantur hinc inde parietes; conclauia lustrantur; euoluuntur lecti; si quid in tabulato malè cohærens, si quid in tecto insolentius appareat discerpitur: anguli omnes, omnes ad occasum vsque solis meatus frustra perue stigantur. Tum fessis circumcurrendo militibus, fessus magis ductoris Eliotti truculentiâ Centurio, damnare suam ipsius-met diligentiam, quòd homini nouo ignotoque, quanquam literis Regijs munito, tam facilem se præbuisset; excusare apud dominam importunitatem, veniam facto rogare, imperare discessum. Eliottus contra, indulgentiam militum incusare, quorum seu socordiâ, seu incuriâ ij, quos ipse conspexisset oculis, manibus tetigisset, Papistici Sacerdotes sinerentur elabi: statutum sibi esse domum funditus euertere, quò latentes ostendat, vel opprimat ruinâ: literas denuò recitare, adiurare Centurionem, minari, nisi noctem diei iungat inquirendo, Senatum Regium haud è re ipsius interpretaturum, cùm fuerit totius peracti negotij series Londini exposita: sæpè nocturnum silentium prodere quod dici strepitus occuluit; sæpè lucernam soli prælucere: Quid multa? vicit furiosi hominis immanitas humanitatem Centurionis, & locum induciarum heræ abstulit atrocitas proditoris: redeunt ad excubias milites: Illa, quod præsidij reliquum spes fecerat, lautè exceptos somni quàm vigiliarum amantiores reddidit; neque tamen voti compos, Deo secus disponente, fieri potuit. Noctem habuit indemnem: at matutino tempore, cum rursus Centurio cum suis pararet abire, Eliottus nouis agitatus furijs huc illuc amentis instar decurrens, & modò hunc, modò illum parietem tundens, fortè in auersum incidit, & toto corporis nisu malleum fabrilem impingens, locum latebrarum aperuit, vbi tres Christi pugiles Dei voluntatem silentissimè præstolabantur: Oritur repentè clamor; mirantur omnes inopinatum insperatumque euentum, & pro suo quisque ingenio interpretantur. Re ad Berchiensis Prouinciæ præsidem (in qua Lifordia) delatâ, is per literas à Senatu regio admonitus captiuos Londinum idoneâ cum militum

Campianus Capitur.

custodiâ

custodiâ mittit. Eius Præsidis inprimis humanitate, concursantiumque ad 1581.
spectandum colloquendumque populorum varietate iucundum initio iter fuit: At vbi Colbrucum peruenere (quindecim milliaribus Londino disiunctum) nouis à Senatu mandatis iubetur vti vinctis omnes post tergũ manibus, pedibusq; sub equorum lateribus ligatis vehantur in vrbem; *Campiani* præterea pileo figatur inscriptio *Edmundus Campianus, Iesuita Seditiosus*. Præluere vt delicet cà pompâ Consiliarij Regij, non argumentis deinde sed tormentis esse de Religione dimicandum. Londinum (vrbs Tamesi fluuio incumbens) lõgo tractu ad bis mille passus protenditur à via Berchiensi ad arcẽ, in citeriori ripa ad Orientem solem sitam: In eam arcem ducti tres vincti per vrbis præcipuas plateas (cùm alijs signis non possent) vultu ad hilaritatem facto animi æquitatem celsitudinemque, populo ad spectandum effuso, testati sunt. Inde in diuersas custodias diuiduntur.

XXI. *Campianum* Odoënus Hoptonus Arcis præfectus initiò liberalitatem habitum, sermonum promissionumque blandimentis à directo itinere in suam sectam rationemque vitæ auertere adlaborauit: Multa de Reginæ benignitate, multa de honorum præmijs quæ consequi posset, de rei familiaris amplitudine, deque ipsa sedis Archiepiscopalis obtinendæ spe, & operosè iactabat, & spondebat magnificè. Tantamque vel in Aulicæ vi eloquentiæ firmitatem, vel in splendidorum argumentorum opibus fiduciam posuerat, vt cùm apud suos victum iam prope esse *Campianum* familiari mendacio sparsisset, omnes per vrbem perque Regnum conciones, non vnius hominis inani spe, sed tanquam peracta re personarent, *Campianum* à suis ad alienos defecisse. At vanam fuisse hanc omnem fabulam non ita multo post perpessa ab eo summâ constantiâ grauissima tormenta demonstrarunt Tertiò enim in equuleo stratus, manibus pedibusque in diuersa distractis, & corporis totius compage alternantium trochlearum vi luxatâ, non alio se mortis genere animam editurum existimauit, quàm hac neruorum artuumque immani laceratione conuulsione q; , sustinentis debilitate magis quàm torquentium miseratione quandoque intermissa: vt prodigij simile sit potuisse homines tam magnæ audaciæ reperiri, qui Reginæ ea de re queritanti, & tam inhumanam quæstionum crudelitatem tanquam honoris sui labem damnanti interdicentique responderent, *Campianum* nequaquam tam grauiter tortum, quin & ingredi confestim potuerit, & interrogationibus subscribere: Et suaderi id fortasse potuisset, nisi post dierum complurium cessationem, in oculis totius vrbis confluentis ad tribunalia, cùm iudicium de capite diceretur, tam fractus afflictusque apparuisset, vt ne manum quidem de more attollere quiuerit, nisi à vicino Sacerdote adiutus; qui osculo reuerenter salutatam suâ erexit firmauitque. Atque tam vera illa torquentium miseratio ipsi Reginæ visa est, quàm commentum aliud quod eidem responsioni inseruerunt, nullam de religione, sed de vi omnem deq; noxijs in Regnum Regnique Principem studijs quæstionem fuisse: neq; enim illa vnquã putauit Sacerdotes huiusmodi tam immanis

Tentatur Campiani constantia primum promissis.

Deinde tormentis.

Cambdenus Ao 27. Elizabetha

Idem Ao 24.

 sceleris

1581. sceleris reos vt in Principis sui perniciem flagitiosè conspirarent. Victa tamen Senatorum suorum frequentatis suggestionibus, concessit importunitati, quod prudentiæ fuisset negatura; occinentibus istis è re publica esse vt è viuis hi homines tollerentur; nè videlicet plebs per horum in regno priuatum perq́ue Catholicorum Principum publicum commercium, in religione quidpiam mutandum arbitraretur, ferretq́ue graviter: Per id enim tempus *Alenfonius*, Galliæ Regis frater, Elizabethæ nuptias ambiens in Anglia diuersabatur. Senatoribus igitur dum res permittitur, & hi ad tollendos è medio doctrina vitæque genere conspicuos viros causam Religionis & turpem & infirmam esse sapienter decernunt, fictis criminibus implicatisque interrogationibus ad tantum nefas muniendam sibi viam existimauêre, quò *populo placerent* (vt ait ille) *quas fecissent fabulas*.

Dies disputationi dicitur iniquis conditionibus.

XXII. Nè vero *Campiano* iam in manibus versante abhorrere à congressu viderentur docti illi omnes atque eruditi viri quos scriptis primùm literis tum decem rationibus in lucem editis ad certamen euocarat, diem disceptationi dicûr, ijs conditionibus quę neminì præterquam causæ aut facultati suæ diffidenti decorę, aut tolerabiles videri potuissent. Primùm enim in arenam non ante descendere statuerunt, quàm inediâ debilitato corpore atque torsionibus prope confecto, futurum in aduersario plus doloris ad animum infringẽdum, quam virium ad disputandi contentionem arbitrati sunt. Tum quantâ potuerunt diligentiâ caucrunt nè de decreto certamine quidquã ad aures *Campiani* sociorumúe dimanaret, quò imparatos, non libris modò, sed ab omni cogitatione dimicandi aggrederentur: Iudices deinde Exceptoresq́ue non alios quàm suæ sectæ homines habuere. In ipso autem certamine cùm auctorum testimonio probanda reijciendaúe essent ea quæ afferebantur in medium, vitiatos codices obtrusere. Eâ causâ noui Testamenti Græcum volumen intactum abiecit *Campianus*, Basilij vero locum integrum auditoribus copiosè explicauit, ostenditque non se Græci Sermonis (vti illi interpretabantur) insciliâ, priore exemplari abstinuisse, sed ab impuritate (à Beza fortasse corrupti) codicis abhorruisse: Lutheri autem opera, quæ prolata sunt, melioris farinæ non fuisse pari felicitate commonstrauit. *Ita error non nisi falsitate roboratur.* Toto triduo, ternis ante meridiem, totidem ad vesperam horis decertatum est, eâ Heterodoxorum gloriâ, quàm altero congressus die occultatam potiùs quàm pluribus accurrentibus testatam esse maluere. Nam cùm pridiè Calendas Septembris in Templo intra arcem, loco amplo, frequenti auditorio consedissent, sequentibus diebus in Odoëni Hoptoni conclaue, raris auditoribus (plures enim arcebat locus) compressi sunt. Mutatietiam oppugnatores non modicam dedere parum fidentis animi suspicionem: Noëllo & Darjo, Fulkus & Godius succesſere, euentu non magis felici quàm quem primi experti sunt. Quamuis enim pro eâ quam victi omnes sumunt libertate simulandi, in vulgus propediem sparsum fuerit, malè Catholicis propugnatoribus cessisse;

Vepes l. 4. c. 8. 8. 5.

Alij VVhitakerum addunt & Bealum.

quòd

quòd tamen nullum est apud eius temporis scriptores triumphi vestigium atque communi consilio statutum esse dicitur Iesuitas in futurum disputando numquam lacessendos, non adeptæ profecto sed perditæ victoriæ signum non potest esse non luculentissimum. Neque enim *Cambdenus* in Elizabetha, neque *Stous* in sua contractiori, vel *Hollinshedi* prolixiore historia, nec denique post illos nouissimus *Spedus* quidquam de victoria meminere: Quanquam de antiquiore, Anno primo Elizabethæ, inter Catholicos Doctores & Religionis (vt vocant) reformatæ homines constituta Collatione, sat copiosè *Stous* suorum describat laudetque velitationem. Certè Philippus Comes de Arondel (quem Angliæ atque deinde Hispaniarum Rex Philippus ex sacro fonte susceperat anno eius sæculi quinquagesimo septimo) maturæ iam ætatis præstantisque ingenij vir, cùm huic disceptationi interfuisset, facilè vidit quò rationum auctoritatumque momentis audientes ducerentur: & quanquam Aulæ magis quàm Religionis studiosus vix quidquam de Dei cultu aut animæ salute pluribus annis cogitasset, extulit inde fidei pietatisque semina, quæ vno alteroue post anno ad constantissimam Catholicæ veritatis Professionem maturuere. 1581. Ribadeneira l. 2. c. 32. Yepes l. 2. c. 43. n. 8.

XXIII. Inuictus itaque *Campiani* animus cùm neque blanditijs emolliri, neque tormentis frangi, neque disceptando prosterni potuisset, mentis ægritudinem atque probrum quod è triplici prælio victi retulere, non alio medicamine delendum, aut aliquâ saltem ex parte leniendum, quàm eiusdem sanguine existimauere. Quibus verò id machinis moliti sunt, eædem & Senatus in Catholicos odium, & Iudiciorum huiusmodi in causis iniquitatem, & reorum innocentiam tam perspicuam tamque testatam reddidere, vti an maius aliquid ad illorum opprobrium, horum autem ad gloriam illustrandam afferri potuerit meritò dubitandũ veniat. Dies nouembris vigesimus præstituitur quo die de summa rei decernatur: In Aulam Westmonasterienſem conueniunt coram Iudice Christophoro Wraye Actores, testes, duodecimviri; ducuntur & rei *Campianus* cum sex alijs Sacerdotibus dicturis de capite. Accusantur, Rhemis in Campiana Galliæ & Romæ de interficienda Regina conspirasse; de Religione etiam quam nunc profitetur Anglia extirpanda, deque euertendo Regno deliberasse, Principum externorum comparato auxilio; eâ de causâ in Angliam transfretauisse vt quos possent ab Reginę debita obedientiâ ad *Pontificis Romani* partes obsequiumq; transferrent. Hæc cùm in omnes dicerentur, pro se quisque elatâ de more dexterâ, negat quidquam vnquam conspirationum in cogitationem venisse, multò minùs de tollenda Regina, deue turbando Regni statu consilia agitasse. Testes innocentiæ nominatim *Campianus* Deum & Angelos, Cælum & terram vocat, atque tremendum illud Tribunal quod omnes verentur atque exhorrescunt. Quo id euentu testati sunt posterius videbitur: nunc quibus argumentis Accusationem firmare aggressi sunt Procuratores Regij tres, Andersonus, Popparus, Egertonus, ostendendum erit; vt quàm nullo fundamento innoxius sanguis Iudicium fit de capite. Accusationis capita.

1581. aberrore aut odio occupatis hominibus petatur (non in ista modò, sed in eiusmodi causis omnibus) luce meridiana clarius demonstretur.

XXIV. Sex reperio criminum capita ad firmandam accusationem allata fuisse, in quibus *Campianum* in primis versatum, verbis sanè peracerbis vehementibusque asseuerarunt, eorum nullum certâ ratione confirmare, aut coniectura probabili vestire potuerunt. Primum crimen seu conspirantis in Majestatem animi Indicium fuit, Colloquium ante decennium cum Cardinale Sanctæ Ceciliæ *de Bulla Pij* quinti Reginam excommunicantis, atque ab omni obsequio subditos absoluentis: Cuius congressus alia, videlicet, causa esse non potuit, aliaue ratio, quàm vt ea, quam ijs in literis Pontifex decreuerat, Regni atque Reginæ ruina opere perficeretur: quam deinde ruinam cùm idem *Pontifex* armis Regis Hispaniæ & magni Ducis Hetruriæ adiutus meditaretur, tibi, *Campiane* quânam id ratione ignotum esset, qui cùm Pragæ versaretur, Romam es vocatus, & confestim sumptu Pontificio huc remissus? Quâ mente aliâ quàm vt Exercitui præcursor, Interpres Pontificis, & Catholicis tuis esses rebellionis inflammator? sermo autem de via cum *Alano*, Hibernicarum turbarum laudatore, quò spectabat nisi ad similes domi cùm huc transnauigauisses excitandas? Quas vt facilius tectiusque incenderes, nomine fuisti & habitu diuersissimo, modò nobilis, modò militis, modò in lucrum intenti mercatoris: Quid Sacerdoti cum gladio? Quid Christi præconi (quem te vis) cum plumis & holosericis? Quid luci Euangelij cum iis quas semper sectatus es tenebris? si te Patriæ caritas, si te boni quidpiam reduxisset in Angliam, non erat quod lateres; qui malè agunt ij tecum lucem oderunt ac fugiunt, non qui sancta & iusta meditantur. Nam vt ex tuis ad *Thomam Pondum* literis te arguam, non solùm apud notos tuos Papistas perpetuas quæsisti latebras, sed quæ ab eis arcana didicisti nunquam te enuntiaturum scripsisti, quantauis te vi aut equuleo, aut fune distenderent. Itane vero? Quænam hæ res tam arcanæ, vt vi nulla exprimi possint, præterquam illæ quas ijs omnibus notas esse permagni refert quibus Regni salus cordi esse debet? Cùm enim de Religione nulla esset quæstio, quid tam arcanum esse debuit vt cùm personam quâ de agebatur nominauisses, rem taceres? Quid quod in domibus quas tu frequentasti, schedæ repertæ sunt in quibus erat de iureiurando scriptum, quo Reginæ suprema potestas abiuratur, negatur obedientia. Hoc te iusiurandū proposuisse quis dubitet? cùm ad *Pontificis* auctoritatem stabiliendam te missum fateare? Quid autem ad rebellionem promptius, aut ad subditorum alienandos animos fortius vel cogitari potest? neque est quod obijcias ab alio aliquo schedas has esse relictas: Nam quemadmodum in ea domo in quam diues & pauper ingressi sunt si reperiatur thesaurus, nulli dubium esse potest quin ab opulento potius quàm ab inope derelictus sit; ita à te has schedas esse sparsas, qui Pontificis es Alumnus, præsumi omnino debet. Iurare autem in Reginæ supremam auctoritatem omninò non vis: Rogatusque quid esset in *Bulla Pij Quinti* nunc roboris? Tenerétne excommunicatio? tergiversatus tacuisti: Tum

Accusationis firmamenta. Ex Actis vvestmonasterien-sibus.

etiam

etiam præfectos examini comparasti Pharisæis necem Christo machinantibus, 1581.
cum interrogarent an censum liceret dare Cæsari, an non? veritas angulos non quærit; nisi te conscientia reum pronuntiaret, profectò quid intus sentires silentio non texisses. Audisti Cradocum narrantem interfuisse se, cùm sermo esset de fœdere sancto inter Pontificem & Anglos Sacerdotes pro Religione in Angliam reuocanda; cui fœderi ducenti Sacerdotes nomen dedissent; ducendo autem exercitui electum esse Richardum Shellæum, quem Angliæ Priorem nominant; quanquam is cum Demosthene prius se venenum hausurum affirmabat quàm in Patriam arma moueret. Attamen de fœdere constat; numerus Sacerdotum recensetur; in quibus te fuisse nemini obscurum esse potest: Audisti denique Eliottum sanctè asseuerantem (cum tibi in Yateano concionanti adstaret) dolore te quidem de sceleribus (atque de hæresi in primis) in Anglia dominantibus; sperare autem breui diem Catholicis optandum, hæreticis formidandum: Quis ille dies esse potuit nisi qualem nobiles illi Septentrionales speranere? Qui vt Religioni vestræ commodarent, nostram si possent euerterent, arma sumpsere in Reginam, quietem Regni funditus euersam cupiuere. Quæ quies atque felicitas cùm Dei benignitate tanta sit quanta nunquam alias fuisse memoratur, atque ea propter grati animi significationem oportuerit apud subditos omnes excitari, fuere tamen & *Feltoni* & *Storæi*, & quos recensui magni nominis complures alij, qui perdendo potius quàm seruando Regno nomen sibi ac famam quæsiuere. Quos inter quis non arbitretur *Campianum* hunc esse numerandum? Cùm enim neque nobiles illi, nisi Pontifice instigante, mouissent arma; neque *Feltonus* alia de causa quam vt Pontifici gratificaretur cruentam ad valuas Bullam fixisset; neque *Storæus* se Hispano addixisset nisi vt eiusdem Pontificis atque Regis consilijs huic Regno perniciosis interesset; qui fieri potest vt *Campianus* eiusdem Pontificis Alumnus, ab eodem in hoc Regnum missus, perampla ab eo munitus potestate, donatus pecuniâ, ab huiusmodi turbulētis cogitationibus immunis existimetur? Semper fuit Pontifex huic Coronæ infensus, hostis Religionis, huius incrementi impatiens, illius inuidus tranquillitati, quem non lapidem moturū arbitramini vt vtriq; & regno & Religioni officiat? Neq; alium potuit suis magis vicinum votis mouere, quàm eum quem in huiusmodi viris subornandis excogitauit. Nam Hispanos si misisset, latere non potuissent: si Gallos, erant suspecti; si Italos, vti subdolos malorum artifices reiecisse mus: Domesticis est res tradita, domi nostræ natis, domi educatis, Academiarum nostrarum lacte nutritis, doctis linguæ. Hi in nostram ipsorum perniciem armantur: quibus artibus? Occultè vt in Regnum irrepant; fictâ sub veste, fictâ sub nominis nuncupatione, vitæ ratione quam Professi sunt vt abditam habeant, vt vagentur incogniti; quo proposito? vt populum auertant ab debita Principi obedientia; vt omnis conditionis homines *Papæ* concilient; vt suam stabiliant, hoc est, Romanam fidem, disciplinam nostram si quo modo possint, reddant aut demonstrent instabilem. Quibus medijs? Missam scilicet celebrando, ministrando

1581. Sacramenta, confessiones excipiendo; Ita quidem; sed præcipuè laudando Septentrionalium Nobilium feruorem, *Storæi* atque *Feltoni* constantiam deprædicando, *Sanderi* rationes in Hybernia extollendo. Atque vt verbo complectar, quam obsecro gratiam potest hoc regnum ab inimicissimo rebus nostris *Pontifice* vllo vnquam tẽpore expectare? Quam fidem ab ijs qui huius se *Pontificis* obsequio totos deuouere? quam securitatẽ à transfugis qui omnem Patriæ caritatem fugiendo exuere? Quis denique eorum reditus sine periculo esse queat, quorum discessus esse non potuit sine magno scelere? Animũ obsecro aduertite ad has omnes circumstantias: comparate argumenta; nullum omnino est qui od huiusmodi homines non arguat reos nefariæ perduellionis. Quæ cùm ita sint, atque ratio postulet læsæ Majestatis crimini obnoxios secundum leges castigari, Sereniſſimæ Reginæ nomine obtestamur, vt secundum ea quæ dicta sunt vos duodecim viri pronuntietis, & Tu pro tua præstanti prudentia censeas, Ornatissime Iudex.

XXV. Hæc magna contentione dicta, vultu seuero, gestu ad austeritatem facto, cùm astantes cõmouissent, tum *Campianum*, post fidem suam atq; obseruantiam testatam erga Reginam, atque in Regnum vniuersum caritatem, à qua nullo vnquam tempore deuiasset, ad hanc sui defensionem detulere.

Campiani defensio. Leges nostræ, vti accepi, eâ prudentiâ atque cautione latæ sunt, vt nullius vitam coniecturis tolli, vel Oratoris cuiuslibet, actorisue vehementis eloquentiæ obnoxiam esse velint. Res agi debet aut certâ probatione, aut hominum integrorum indubitato testimonio. Quò igitur hæc omnis Procuratorum Regiorum acerbitas spectet non video. Quid enim si *Pontifex* Religioni, quam nunc profitetur Anglia, sit infensus? si Rex Hispaniæ, si magnus Dux Hetruriæ in Angliæ perniciem sunt quidpiam meditati; si Septentrionales Nobiles arma mouere inconsultò; si Feltonus, si Storæus, aut etiam Sanderus, & Alanus quidpiam peccauere in Majestatem? Suâ stant illi aut cadunt Conscientiâ: Egóne ea propter aut quia cum illis Catholicus, aut etiam Sacerdos sim, audiam Proditor? non magis sanè quàm vt ouilis aut caulæ dicar expilator quòd ouilla delector, habuerimùe parentes aut etiam socios furti quondam suspectos. Sunt ista ad inuidiam odiumque conflandum tela comparata, certum autem neminem feriunt, dum in nullum quemquam certò deriuantur. At subditos ab Reginæ obedientia abduximus: vnde constat? reconciliauimus *Pontifici*; Deo reconciliantur homines, atque in Ecclesiæ gremium restituuntur, à Reginæ obedientia non abstrahuntur. Turbando euertendoque Regno seruiuimus; quo teste? quoúe argumento? Nam quod de Colloquio cum Cardinale Santę Ceciliæ objicitur, fateor equidem ante decẽnium, non ita multo postquam primùm Romam accessi (quibus laudatoribus nescio) non meis certè meritis, in eius conspectum admissus, summaque cum humanitate acceptus sum: Pollicebatur tum ille mihi liberalissimè, si in cuiusquam obsequium me dare vellem, omnem suam operam: Gratijs demississime actis respondi, meæ mentis non esse hominũ cuicunque seruire; Deo

in Societate

in Societate Nominis *Iesu* obsequium meum consecrare decreuisse. Quæ- 1581.
siuit à me de *Bulla Pij Quinti* quid sentirem ? Reginæ, inquam, manum in Catholicos grauem prouocauit multamq́ue expressit seueritatem. Neque plura Cardinalis, præterquam quod mitigandam diceret, ita vt Catholici sine periculo censuræ eam possent Reginam agnoscere, eiq́ue obedire; qui sermo quâ ratione possit in crimen vocari non intelligo; præsertim cùm ea Bulla aliquot ante annis quàm ego Romam venirem publica fuerit, totiq́, Regno notissima. Quod enim de exercitu *Pontificis*, seu Regis, & Ducis Hetruriæ dicitur, cùm Pragæ mihi esset habitatio longissimè ab omni huiusmodi rerum cogitatione abiunctus fui; præscriptis muneribus literarijs totus incubui. Romam vocatus, octo diebus in vrbe cùm hęsissem Superioris mei præcepta operiens, accepi non de exercitu aliquid, sed de profectione in Angliam mandatum; cui confestim obsecundans dedi me in istud iter, non vt proditor, aut ad Patriæ euersionem adiutor, sed vt Sacerdos, ad Sacramenta administranda legatus. Cuiusmodi legationem (Deo teste loquor) æque promptè, atque pari alacritate suscepissem in remotissimas Indiarum Regiones, vt inter Barbaras nationes eandem quam vbique profitentur Catholici fidem docerem. si ita visum fuisset Superioribus meis: At amplâ munitus facultate, sumptu *Pontificis* huc aduolaui: Quâ facultate munitus? Non aliâ sanè, quàm eâ quam ipsi vos commemorastis, Sacramenta administrandi; sumptum autem si fecit *Pontifex*, id liberalitati eius donandum, quæ aliam causam non habuit quàm vt itineri pro Religione suscepto benignè succurreret. Cænasse me de itinere cum *Alano* non inficior, tempusq́ue aliquod dedisse veteri consuetudini recolendæ; de Reginæ Regniq́ue negotijs nè verbum quidem intercessit, aut de rebus in Hybernia turbatis. Quo vero colore dici possum *Pontificis* in ijs quæ regni ruinam spectant interpres, aut *Alani* adiutor, cùm illius quidem auctoritate, quæ summa est, ab omni huiusmodi tractatione seuerè prohibear; huic verò in me nulla sit omnino potestas? *Alanum* colo propter doctrinæ Religionisq́ue firmitatem; ab instituto meo neque Imperio ipsius quod nullum est, neque suasione dimoueri me vnquam patiar. Habitus deinde quem obijcitis, variumq́ue nomen, non tegendæ proditioni seruiuit, sed primorum Christi præconum mori imitando. Nam gentium Apostolus, modò Saulus, modò dictus est Paulus: Ipse se clam subduxit in sporta, & insequentium eluit insidias. Artes istæ non licere solum sed prodesse existimatæ sunt semper. Non fugiebat ille lucem, sed luci Euangelij inferendæ congruum tempus & locum obseruabat: non defuit eidem animus vnquam pro fide Christi vitam profundendi, appellauit tamen Cæsarem, nè à Iudæis insidiantibus necaretur. Quæ in illo probantur, mihi in pari causâ non licebunt? si quid in holosericis peccaui, nunc in ea quam videtis Hybernica veste, habituq́ue corporis obsoleto persoluo.

XXVI. Scripsi ad *Pontum* nihil me eorum quæ secreta esse oportuit propalasse; nullâ me vi adigendum vt arcana huiusmodi enuntiarem. At quænam illa

Vide Yepes. l. 4. c. 8. de hac calumnia.

1581 illa tam arcana? Ea sanè quæ Sacerdoti à pœnitentibus in Sacramento traduntur expianda: Sacerdos enim cùm sim, ijs omnibus officiis teneri me sentio quæ huic insunt ordini à prima sui institutione; quorum illud est inuiolabile, vt nihil eorum quæ ad conscientiâ expurgandam sedandamq; inter confitendum dicuntur cuiquam alteri aperiatur. Hoc lex diuina imperat; hanc legem qui transgreditur grauissimi criminis atque æterni supplicij reum se facit. Maleuolorum hominum inuidentiâ de hoc crimine infamatus purgaui me per eas literas quoquo modo potui. Cùm de his quæritur, existimare quæstionem de Religione non esse, hominum est qui Religionis nomine quid notetur ignorant.

Quod autem tertio loco ponitur de schedis iureiurando inscripris perfacilem habet exitum; neque enim in me potestas vnquam vlla fuit iusiurandum à quopiam exigendi; neque si fuisset probari potest schedarum aliquam ad me pertinuisse; neque enim manu mea scripta est aliqua, neque signo aliquo meo notata, quo à me profecta dignoscatur: Id verò quod affertur de diuite & paupere eandem domum ingressis, quid habet vero simile? Enim verò euinci debuisset neminem præter me diuitem, hoc est, meæ Professionis nullum hominem eandem domum illo tempore subijsse.

At iurare in Reginæ supremam potestatem nolui; de *Bulla Pij* rogatus tacui; & iure merito tacuisse me arbitror. Non sunt multi dies ex quo Regina pro sua insigni clementia me videre volens, quæsiuit an in illa agnoscerem Regiam dignitatem potestatemque? Respondi me agnoscere, & venerari, eamque colere vt Reginam meam, legitimamque Gubernatricem. At potestne *Pontifex* è numero fidelium me communioneque depellere? Non sum, inquam, inter Majestatem tuam, summumque *Pontificem* idoneus Interpres, aut tantæ Controuersiæ doctus satis arbiter: Quanquam si id ageret, dubitari posset an teneret: In rebus enim purè, vt loquuntur docti, spiritualibus, quemadmodum in docenda publicè Ecclesia ea quæ ad fidem spectant errare non potest *Pontifex*, in iudicando potest. Eadem à me petiuere ij qui examini fuere præfecti; sed verbis atque sententijs magis implicatis, quàm vt certò quidquam affirmare possem: Quapropter non immeritò eas dixi sanguinarias Pharisaicasq; quæstiones. Agnoui in Regina Regiam dignitatem, iustamque potestatem; eadem nunc agnosco. Fassus sum deberi illi à me subditisque omnibus obedientiam; idem nunc fateor; libenter reddo ea quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Vrserunt Commissarij, quid si *Pontifex* legitimâ potestate munitus Reginam consortio fidelium abiungeret? Respondi qui ista quærunt, non quærunt fidem sed sanguinem: Ex admissis & concessis quid non sequetur? Itaque quid admittendum, quidue reijciendum in ista re sit, supersedeo dicere; Neque iure huiusmodi à me peti possunt. Hæc ad scholas pertinent, non ad Tribunalia: nullum factum includunt, quod solum duodecim virorum cognitioni iuxta leges subest. Venio ad testes.

Cradocus affirmat de fœdere sancto, de Sacerdotibus ducentis, de exercitu,

Quid

Quid affirmat? interfuisse se sermoni: quorumnam? otiosorum opinor hominum quorum est quidlibet fingere. Audiuit de fa dere pro Religione reuocanda: vbi proditio? Et de exercitu: Quem exercitum vir militaris Richardus Shellæus ducere noluit, in eum ducenti Sacerdotes conspirarint? Atque vt conspirarint, egóne de ducentis? Hoc testis ipse qualiscunque is est non affirmat: At nemini obscurum esse potest: Vnde hæc obsecro tanta lux, quæ cùm illam is qui se ait interfuisse sermoni testis non viderit, in Angliam vsque lucere potuit? Nam quod Eliottus vltimo loco adfert de die hæreticis formidando. Testem inuoco Deum, non alium menti diem obuersatum fuisse, quàm vltimum illum Iudicij diem, qui omnibus, etsi non æque omnibus, formidandus est. Etenim quemadmodum nulla respublica tam Sancta est in qua multa mala non dominentur, & vestrorum Ministrorum nullus est qui diem formidandum diuinæ legis transgressoribus quandoque non intonet, eundem ego diem auditoribus meis in memoriam reuocaui, non in quo terrenus quispiam Princeps arma Regnum turbaturus inferret, sed in quo supremus omnium Iudex Christus Dominus vnicuique pro meritis præmia digna redderet, vel supplicia. Hic magnus est ille dies quem credentibus salutarem pronuntiaui & solatij plenum, heterodoxis futurum formidandum. 1581.

XXVII. Et quoniam ea quæ obijcebantur cuncta (si me non fallit memoria) complexus sum; & ad vos nunc Duodecimuiri res spectat, vt de facto nostro decernatis, vtrum de Reginæ nece, déue turbando Regno quidpiam meditati videamur; velim vt hunc, quem dixi, cunctis formidandum diem vos in primis præ oculis habeatis, quo die de hoc ipso Iudicio reddituri estis aliquando rationem. Vestrum neminem latet, quàm carus sit Deo innocentium sanguis; noster hic petitur: Vita nostra, vel mors in vestra sententia est: Conscientias vestras appellamus: in ijs patronum nos nullum arbitrum ue reperimus, nisi eam quam cuique vestrum Deus donauit discernendi facultatem. Animum obsecro ad rem aduertite: Non vos à vero auocent verborum phaleræ, aut eorum quæ splendidè prolata sunt ornamenta dictorum. Integritati vestræ ingenijsue non diffidimus. Criminatio tota tribus nititur fundamentis: Primum coniecturis, deinde testibus, tum ipsis rebus; quæ quidem res in hac causa omnes ad Religionis nostræ exercitium pertinent. Facilè videtis quam vim habere debeant coniecturæ, cùm præsertim de vita cuiuspiam atque de capite agitur; quâ in quæstione leges facti postulant certitudinem. At in coniecturis totus penè hic abijt dies, ijsque quàm tenuibus quamque sibi non hærentibus non potest vobis non esse perspicuum. Testes audiuistis: At quales homines? quàm nullius fidei? dum palam est omnibus nullius esse Religionis: Modò fingunt Catholicam, modò profitentur à Catholicis alienam, vt odio aut lucro duci necesse sit. Quàm deinde timidè? Quàm parum fidenter iurauere? Quàm nihil certi de certo quolibèt affirmare

Peroratio ad Duodecimuiros.

1581. firmare potuerunt ? An eorum quisquam iurauit, aut me, aut cæterorum aliquem in perniciem Reginæ, aut in Regni subuersionem quidquam feciſſe ? aut etiam dixiſſe ? Non iurarunt. At Miſſas celebrauimus, confitentibus aures præbuimus, abſoluimus : Hi noſtri muneris actus ſunt fateor ; ſed in nullius patrantur perniciem ; eam ſpectant quam omnes optant animi tranquillitatem. Atque vt noueritis de his potius, hoc eſt, de Religione, non de Majeſtate quæſtionem hanc omnem in nos motam eſſe, ſcire profecto debetis, oblatam nobis non ſemel eſſe libertatem immunitatemque, ſi noſtra hæc abiurare, ſi veſtra, quæ vocatis, ſacra frequentare non abnueremus. Abſit autem vt ab ijs recedamus quę vos ipſi non poteſtis non probare cùm moderatè iudicatis, ijs autem quæ orbi Chriſtiano vniuerſo non probantur adhæreamus. At quæſtionibus de *Pontificis* poteſtate, de *Bulla Pij Quinti*, de incurſione ſi quæ fieret iuſſu *Pontificis* quid ſentiremus nihil certi reſpondimus, quia ſanè & apud viros doctiſſimos, vt res propoſita eſt, exitum certum non reperimus : Iſta ad ſcholas, vti diximus, non ad veſtram Duodecimuiri cognitionem pertinent, qui vt docti, vt ſapientes, vt conſiderati ſitis, facti tamen non incertæ doctrinæ cognitores conſtituti eſtis. Si quod malum factum, dictumúe in Majeſtatem à nobis profectum cognoueritis, pronuntiate ; non recuſamus Iudicium. Si facti nihil inueneritis, parcite vitæ noſtrę, parcite famæ veſtræ atque conſcientiæ.

XXVIII. Hæc cùm vultu animoque conſtanti peroraſſet *Campianus*, ex ijs qui aderant Iudici vnus Duodecimviros monet, rem vniuerſam in eo verſari vtrum reis credendum ſit de ſe affirmantibus, deque vita ſua decertantibus, an teſtibus qui nullo cogente, liberè ſcilicet, iuratique dixerunt. Id Duodecimviris in quam libræ lancem cauſa inclinanda eſſet indicium ſat manifeſtum fuit ; cumque ad horam ſemoti deliberaſſent, pronuntiarunt, ſontes videri cunctos, qui eo die de capite dixiſſent. Aduocati Regij confeſtim Iudicis ſententiam poſtulant, vti ſecundum id quod Duodecimuiri pronuntiaſſent decerneret. Iudex nihil profuturam reis clementiam oſtentans, petit an quidpiam præterea afferre poſſint cur mortis decretum non ſequatur ? Tum *Campianus* ; mortem inquit, ſi metuendam duxiſſemus, nequaquam hoc vitæ genus fuiſſemus amplexi, in quo mortem quotidiè ob oculos verſari neceſſe eſt ; Attamen cùm officij noſtri eſſe arbitraremur ; vitam (cuius Domini non ſumus) obiecta diluendo, quamdiu licuit, ſeruare, his refutandis operam quam potuimus dedimus : Quantum id profuerit videtis. Et quidem omnibus manifeſtum eſſe exiſtimo, non causâ Majeſtatis offenſæ, ſed Religionis nomine ſontes nos eſſe pronuntiatos : Nam neque teſtes certi quidquam dixerunt quod non ad Religionem pertinuerit ; neque coniecturæ ſat validæ allatæ ſunt, ſi coniecturis agendum omnino eſſet ; neque ſi omnia vera eſſent quæ aduerſum nos dicta ſunt, tam magnum id omne crimen exiſtimatum eſt, vt non potuerit vno Templorum veſtrorum

Et ad Iudicem.

ingreſſu

ingressu expiari: Religionis igitur nomine morimur: hoc autem nomine cùm apud Deum, aut apud homines, honorificentius nullum esse possit, non video cur quisquam recuset mori: Per me itaq; licet vt secundum conscientias vestras de me decernatis; neque de cætero quidquam est quod defensioni meæ adijciendum existimem) Iudex verbis solemnibus sic Censuit; Majestatis conuicti reducantur in carcerem vnde ducti, inde ad furcas trahantur, suspensique semianimes eviscerentur &c. 1581. Iudicis sententia.

Campianus solemni etiam Ecclesiæ carmine gratias Deo offerens, *Te Deum*, inquit, *Laudamus, te Dominum confitemur*; Alacriq́ue vultu ac voce accipiens mortis decretum, ostendit quâ facilitate honores & commoda fluxasq́ue spes contemnerent, quas Odoënus Hoptonus carcerem ingredienti pridem obtulisset, eadem vitam hanc breuem caducamq́ue contemni, nihilq́ue esse quod non pro Christi fide amplianda paratus sit perpeti. Decem diebus deliberatum est quo die, quoúe numero, atque an omnino horum aliqui tollendi essent. Palam enim erat Iudicium iniquum fuisse; doctos homines, atque in literis à teneris enutritos, non de sanguine fundendo, sed de Religione fundanda cogitasse: Argumenta è longinquo quæsita, fallacibus vestita circumstantijs, ab nullius fidei testibus prolata, venenatæ eloquentiæ fucata præstigijs, quo acerbius visa sunt premi, eo momenti minus ad crimen euincendum afferebant: Ipsa supplicij insolita dilatio expectationem supplicij iam prope extinxerat, cùm ij qui non id spectabant quod pauci prudentiores sedatioresq́ue sentirent, sed quod ad odium Religionis concitandum spargi in vulgus imperitum videretur vtile, quiq́ue famam, si qua esset iniquioris iudicij, ipsa iniustæ sententiæ executione opprimendam arbitrabantur, ex ijs sex Sacerdotibus qui vna cum *Campiano* damnati fuerant, atque ex alijs septem qui eandem biduo post sententiæ indignitatem subiere, duos seligentes quos adderent *Campiano*, (*Rudolphum Sherwinum* Romani, *Alexandrum Briantum* Rhemensis Seminarij Alumnos) Calendas Decembres ferali spectaculo dedicauere: Id in hac ipsa paucitate spectantes, non vt cæteris parcerent, sed vt alijs diebus aliisq́ue vrbis locis, alios & alios producentes ad supplicium, aures animosq́ue populi continuata proditionum commemoratione fatigarent, & ad extirpandam vna cum Antistitibus Religionem incitarent.

XXIX. Non fuit is dies sitientibus quàm profuturis sanguinem lætior. E diuersis carceribus in mutuum conspectum dati, ruêre in amplexus exultantis animi indices; voce etiam & toto corpore ad incunditatem composito gratulantes adamatam felicemq́ue sortem. *Campianus* super crate viminea humi posita supinus constringitur; *Sherwinus* & *Briantus* in altera consimili collocati: trahuntur tres victimæ versis ad equi talos pedibus, per vias lapide stratas subsultantes, per sordium lacunas conspurcatæ, insultantis plebeculæ clamoribus laceræ, corruptiue ministrorum ad defectionem sollicitantium importunitate fessæ: Campiani Mors.

1581. Neque tamen inter hæc defuit summa consolatio, tum diuinitus communicata, tum ab comitantium Catholicorum pietate accepta. In his enim Christi pugilum victorijs nusquam deficit Catholicis diligentia & firmitas, vltrò se audent ostendere; palam profitentur necis huiusmodi causam venerari se & eos in summo pretio habere qui in tam præclaræ causæ defensione vitam & sanguinem constanter profuderint; Accurrunt, alloquuntur, consilium auxiliumque supplices petunt, & si qua in re necesse sit ministrant; non metuunt lictorum feroces vultus, non terrentur minis, non arcentur pudore, non timent vt nè conscij socijue aut laudatores proditionum audiant: Iam illa calumnia, quam qui intulerant nece corrobari optabant, ante necem vniuersa euanuit; ipsi fatentur non conspirasse qui in morte eorum quos conspirasse dixerant plausum hunc intuentur, nec reprehendunt. Ab arce ad locum supplicij (quem Tyburnum nominant) via est bis mille passuum: Isthuc vt peuenere, in plaustrum primus *Campianus* sub ligno illo triangulari sublatus est, colloque in laqueum immisso, cæpit ad circumfusum vndequaq; populum verba quasi de suggesto facere, illud Apostoli præfatus, *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus:* Aliquousque sermone progressus, hæc in se isto tempore docturus conuenire, iubetur ista prætermittere, Crimen de quo damnatus agnoscere, veniam à Regina supplex petere. Tum ille, "Nullum in me est, inquit, aduersus Reginam crimen, si ea quam profiteor Religio crimen non est: Hanc ego propagandam suscepi Sacerdos; huius sustinendæ causâ Angliam repetij; in hanc totus incubui; pro hac quandoquidem moriendum est libenter morior. Rationem intima prospicienti Deo reddituro, in hac suprema vitæ hora, fidem haberi postulo, quæ si negatur, patienter vt feram necesse est, dies tamen verum tandem demonstrabit id quod de meo hoc instituto nunc dico; nullius arcana inter confitendum tradita patefeci, quod malè mihi quidam meæque Religioni iniquè volentes sparsere: Vt Reginam Regiosque Deus velit esse incolumes supplex precor: Duodecimuiris, cæterisque qui in me inique egerunt ex animo condono iniuriam. Morior Catholicus: Eos qui mecum de Religione consentiunt rogo vti Symbolum Apostolorum vnà, si videbitur, decurrant. Eo pronuntiato; dum apud se tacitè Deum aliquantisper orat, subducto in quo stabat curru, atque intercluso premente reste, spiritu, animam innocentem Deo restituit cælestibus sedibus inserendam. Corpus de more in partes dissectum, atque in constituta vrbis loca dispertitum est.

Campiani vltima verba.

Campianus qualis fuerit. Cambdemus & Pitzius.

XXX. Hoc triumpho finem hîc viuendi fecit *Campianus*, cùm annos ætatis vnum supra quadraginta, in Societate vt plurimùm nouem complesset; in hominum memoriâ æternum viuet. Vir à natura suauis, & ad omnem humanitatem factus, vitæ integerrimæ, modestus, humilis, mansuetus; ingenio verò promptus, quod cùm omnium bonarum artium disciplinis ab ineunte ætate excoluisset, Orator disertus, acutus Philosophus, Theologus grauis euasit. Quantum scientiæ thesaurum collegerit (eius præsertim quæ ad contro-

controuersias cum huius temporis hæreticis pertinet) tanquam loquentes te- 1581.
stes planum faciunt decem illæ rationes quas diximus Academicis redditas. Etenim cùm illæ scriberentur nulla erat ei certa habitatio; modò in his modò in illis Catholicorum ædibus latitabat; procul Londino, procul à libris, procul ab reliquo ad scribendum adiumento: Impleuit tamen non rationes ipsas solummodò summa & dictionis & argumenti accuratione, sed & Chartæ margines omnes plurimorum scriptorum adnotatis auctoritatibus; Quæ cùm ex *Personij* sententia ad fontes originesque exigerentur, repertæ sunt singulæ congruere libro, capiti, membroque adscripto; vt mirum sit potuisse hominem alijs nunc curis implicitum, tam varia tamque dissita Patrum hæreticorumque dicta complecti memoriâ, aut sine errore reddere. Virtutem verò quàm altè imbiberit, & quàm magno eius in se conseruandæ, augendęque, in alios propagandæ ardore flagrauerit, & omnis eius vita testis est, & paucæ, quæ lucem aspexere, Epistolæ fidem amplam faciunt. Nouitios Brunæ agentes, (vbi ante annos aliquot posuerat ipse tyrocinium) sic alloquitur: Epistola 6.
"Scio quanta sit libertas in obedientia, quanta iucunditas in labore, quantæ in oratione delicię, quanta in humilitate dignitas, quanta in conflictatione pax, quanta nobilitas in patientia, quanta in infirmitate perfectio; sed has virtutes in vsum & actionem reducere, hoc opus est, & hoc vestrum est, qui glorioſis curriculis Paradisi quædam spatia conficitis in terris: Ego, vt ille dicit, quâ potero sequor, non passibus æquis. Omnino Fratres mei, vita nobis ac vobis non sufficit, quâ Christo gratias agamus, qui tanta nobis mysteria patefecit. Quis nostrum credidisset, nisi ab illo vocatus in hanc scholam & institutus fuisset, tot spinas, tot fæces, tot miserias, tot tragædias in hoc mundo sub falsis nominibus bonorum ac voluptatum delitescere? vna vestra diecula dignior est illorum ætate vniuersa. Currite quò cæpistis, & diuinam erga vos bonitatem, vestræ conditionis dignitatem, recognoscite &c. *Gregorium* verò *Martinum* veterem amicum adhortans," Roma, inquit, fruere: viden' Epistola 6.
illius vrbis Cadauera? Quid potest esse glorioſum in vita, si tantæ opes, tantum decus euanuit? At, qui in hac miserabili varietate temporum durarunt? Quæ? Reliquiæ diuorum; Et Cathedra Piscatoris: O, Prónian! Cur Cælum negligitur præ terrena gloria, cùm cernamus oculis terrarum Principes ne in terris quidem hęc monumenta vanitatis & stultitiæ trophęa conseruasse? Iste fumus quantulus apparebit in æthere si dissipatus est in aëre, quomodo videbitur ab Angelis, si ab hominibus despectus est &c.) Et Epistola octaua ad eundē: " Valde te amo de martyrio *Cuthberti*, vel amamus potius; Epistola 8.
multis enim illa narratio diuinam attulit voluptatē: Me miserum! Quem ille nouitius tam longè à tergo reliquerit: sit propitius amico veteri & Præceptori; horum enim nominum gloriola perfruat nunc ambitioſius quàm vnquàm antea.) Quid quod Eliottum tum beneuolentissimè acceperit, cùm (necis atrocitate immanitatem sceleris quo innoxium prodiderat aperiente) *Campianum* post dictam mortis sententiam in Arce conueniens, impij facinoris veniam

Eiusque erga Eliottum caritas.

1581. veniam deprecaretur, diceretque nunquam sibi in mentem venisse perduellionis, aut rei cuiuluis capitalis accusandum; moturum certè nihil fuisse si vltra vincula vim processuram diuinasset. Cui amantissimè *Campianus :* " Admissi ergo sceleris apud lachrymis exorabilem Dei bonitatem, te oro pæniteat, Eliotte; id si facies, Deigloriæ seruiet quidquid hactenus factum est, aut deinceps fiet) Cùm verò proditor (hominum iras præ Dei in sceleratos vindicta habens præ oculis) metuere se diceret, ne Catholici, mali quidpiam aduersum se machinarentur. " Nihil est, inquit, cur isthoc vereare; nam neque ea Catholicis mens est, sat scio, & ego si me audis periculum omne præstabo; nam meis literis munitus proficiscеris in Germaniam ad magni nominis & fidei virum, cuius patrocinio securam, si voles, vitam deges.) Et Eliottus quidem, quem propriùs charitatis illa flamma petebat, nil vltra confusæ signa mentis ostendit, vanâ (Iudæ exemplo) contentus vmbra pœnitentiæ. At Atrienſi (quo annuente aditus ad *Campianum* proditori patuerat) his Cœlestis Charitatis facibus illustrato persuasum est, Deum ab ijs stare qui tam amicâ vindictâ grauissimas vlciscerentur iniurias, & illis qui omnibus pœnis mulctandi essent, viam vniuersas euadendi tam benevolè aperirent. Et hic fortè erat carceris *Campiani* in turri Londinensi ille Custos qui Anno octogesimo tertio memoratur Romam ad Anglicanum venisse studiorum causa meliorum.

Quales sint Sacerdotũ in Anglia conspirationes.

XXXI. Non sunt hi ignes ad proditiones seditionesúe inflammandas concepti, accensi, enutriti, aliis ex fontibus hauriuntur quàm quos per Germaniam Galliamque sparserunt his temporibus hæretici: Non spectant illi ciuitatum expilationes, Regionum templorumque spolia, qui vt nudum Christum terrenis omnibus nudi sequantur rebus se omnibus expoliauere. Occinant heterodoxi conspirationes quantum volent, atque vt in inuidiam vocent Catholicos Sacerdotes, harum istos vociferentur transactores esse atque administros. Quod genus id omne sit Conspirationum quod agitant Sacerdotes in conspicuo omnibus est; ad animos ex hæresum tenebris eripiendos conspirant: vt doctrinæ consensionem indeab Apostolis diriuatam, atque ad nos vsque traductam Sanctam illibatamque tueantur, conspirant: Medijs consuetis probatisque Sacramentorum conspirant: mortem alijs non machinantur, sed sibi optant potiùs quàm vt cæteri in æternum pereant. Illi neque in calumnia, quam vigere per omnia volunt, tam constantes esse possunt, vt non fateantur calumniam esse quam pro veritate obstinatissimè venditant. *Et certè* (inquit Cambdenus cum de conspirarionibus loquitur Catholicis Elizabetha viuente impositis) *ad explorandos hominum animos, subdolæ artes fuerunt adhibitæ; literæ ementitæ sub profugorum nominibus sulmissæ, & in Pontificiorum ædibus relictæ; Emissarij vbique ad colligendos rumores, & verba captanda dispersi & vana deferentes admissi &c.* Quid his artibus obtinentibus tutum? Quid à calumnia liberum esse potuit? vt meritò *Campianus* exceperit (cùm de schedis accusaretur repertis in ædibus ad quas

Cambdenus Ao. 27. Elizabetha

ipse

ipse diuerterat) probandum fuisse à se illas esse relictas, si aduersum se quidquam 1581.
concludi posse arbitrarentur; Meritò etiam sermonem de fœdere Sancto, & ducentis Sacerdotibus (cui se interfuisse Cradocus memorabat) ad rumores ab huiusmodi hominibus collectos reiecit. His tamen artibus luditur apud hæreticos, & Politicos, in innocentum sanguine & vita. Et erat, is qui Eliottum subornarat, Walsinghamus, harum instructor artium diligentissimus. *Purioris Religionis* (teste Cambdeno) *assertor acerrimus, rerum occultarum indagator solertissimus; qui animos hominum ad res suas adiungere apprimè calluit*; qua in re cùm nullis sumptibus parceret, quò & animo suo aduersus Catholicos infestissimo satisfaceret, & apud Reginam, potentioresq; e aulicos gratiam aucuparetur, *tantis impensis rem priuatam extenuauit, Vt ære alieno oppressus, in tenebris, sine funebri celebritate ad Sancti Pauli Londini inhumaretur*. Ita qui malis artibus fluxam mundi gloriam insectantur, cùm omnium scelerum improbitate excelluerint, moriuntur inglorij. *Campiani* virtus, eruditio, industria, constantia, mors atrox Christi causâ fortiter obita, viuet omnium gentium nobilitata præconijs, & laureâ redimita immortali. Camdenus Elizabetha 33.

XXXII. Cuius immortalitatis consortes, *Sherwinum*, & *Briantum*, fas non est silentio præterire; quando ille, non solùm collega Martyrij, sed & itineris in Angliam, & in disceptatione cum heterodoxis in Arce socius, causam Religionis inuicto animi robore, rationum iusto pondere, & magna dicendi libertate sustinuerit: *Briantus* duobus annis antequam ex virtute peractam vitam beato fine coronaret, Societatem optarit, & tandem voto se adstrinxerit ingrediendi. *Sherwinus* gradum in Philosophia adeptus Oxonij, & inter Seniores (vt vocant) adscriptus, quò attentius hæresis Schismatisq; e firmamenta introspiciebat, eò fluxa magis, atque malè sibi hærentia detegens, Duacum se primùm, ruinam fugiens, deinde Romam recepit, ædificium solidum in Petra locaturus, & Latinarum, Græcarumque ac Hebraicarum literarum ornamentis, quibus erat insignis, Philosophorum ac Theologorum grauitatem adiuncturus. Anno octogesimo comes itineris additus *Campiano* & *Personio*, hæsit aliquamdiu Rhemis, Thomæ Goldwelli Episcopi Assaphensis, qui & ipse traiectionem in Angliam meditabatur, rationes secutus: Illo deinde ægritudine ac senio præpedito, euasit hic quidem in Angliam, sed non diu indignantium hæreticorum vitauit diligentiam: Paucos post menses captus, annum integrum acerbitate carcerum tentatus est: Neque enim dicere possum afflictum aut vexatum, quem in ipsius met literis lego tam magnâ perfusum lætitiâ, vt risum vix teneret quando vinculorum suorum audiebat strepitum, omni musico concentu gratiorem. Non multis verò ante supplicium diebus scribens ad amicos, "Diu est (inquit) ex quo mortali hoc corpore exui, & Sancta & gloriosa Christi vulnera sedentis in dextera Patris exoculari sperans, tam magnam animi tranquillitatem experior, vt minimum me mortis sententia nuper pronuntiata commouerit, aut vitæ huius indicta breuitas:) Sherwinus qualis. Ribadeneira. l. 2c. 33.

1581. breuitas: : morti denique proximus, lictoris sanguinolentæ à *Campiani* carnificina manui osculum impressit, & *Iesu* Saluatoris nomen pientissimè repetens, beatam animam reddidit Creatori.

Brianti studia, & Constantia.

XXXIII. *Alexander Briantus* Somersetanus, post studia inferiora domi decursa, Philosophicis Oxonij, in Aula, quam à Cerui signo, Ceruinam vocant, operam dedit, *Richardo Holtbæo* eo temporis Professore; qui cùm discipulos ad fidem Catholicam, quam intus colebat, adhortaretur, hunc Rhemos præmisit; vbi cæteris imbutus, in patriam reuertit anno eius sæculi septuagesimo nono. Vtebatur deinde *Personio* familiarissimè, vt qui *Personij* Patrem ciuem suum in Ecclesiæ gremium reposuerat. Captus in Aprili anni octogesimi primi, in Computorium primùm traditus est fame cruciandus: Nam commentariensi in mandatis datum est, nihil vt ei cibi aut potus præberetur: inijceret verò manus in quemcunque qui ad eum salutandum alicunde accederet: Dierum itaque plurium inediam passus, mucidi tandem panis frustulum & paucum casei conc ecutus, sitim aquâ de tecto decidente, vel acida neglectaque ceruisia tolerabat. Nimirum diræ crudelitatis administris id erat propositum, vt non mentis tantum robur, si quo modo possent, infringerent, sed oris vultusque speciem corrumperent, quam iuuenis viginti octo annorum habebat perelegantem, indicem innocentis animi, atque ad mansuetudinem conciliandamque hilaritate gratiam conformatam. Cùm verò frustra id fieri persentiscerent, amotum ad arcem Londinensem, iam non fame solùm ac siti, sed adactis acubus sub manuum pedumque vnguibus excarnificant: Tum quoniam nihil hoc tormenti genere commotior, animo in Cælum suspenso, alacri vultu, Psalmum quinquagesimum pronuntiarat, neque quidquam de se fateretur, quicum, aut cuius sumptu vixisset? cuius excepisset confessiones? apud quem sacrosanctum sacrificium celebrasset? Aut de *Personio* (cui notum conijciebant ex loco in quo captus) vbi ageret? vbi prælum? vbi libri? qui venditi? qui vendendi superessent? Extensum in equuleo tantâ contentione conuellerunt, vt luxatis artuum compagibus omnibus, sine sensu, sine motu, mortuus iaceret. Sequenti tamen die rursus eidem admotum cruciamento atrocius lacerauere: Quo de præclaro facinore Nortonus quæstioni præfectus, cùm se iactaret in aula, aiebat, pede à se longiorem factum esse *Briantum* quàm eum Deus fecisset. Depositum deinde de equuleo, & vix hærentem neruis, demissum in foueam, quindecim diebus solitarium, sine lumine, in nuda humo reliquerunt; stupentibus ipsis tortoribus tantam inter acerbissimos cruciatus constantiam, tantam animi vultusque serenitatem; quanquam id etiam dæmonis artibus quàm virtuti diuinitus acceptæ tribuere maluere, antiquo Ethnicorum more.

Concertatio Ecclesiæ Anglicanæ.

Brianti literæ ad pp. Societatis.

XXXIV. At vnde illa omnis alacritas atque robur profluxerit ipsum præstat audire narrantem ijs in literis quas ad Patres Societatis dedit è carcere paulò ante mortem. Nam posteaquam explicuisset quibus tenemur omnes vinculis ad Deum quærendum, illique nos offerendum in holocaustum; inueniri autem Deum vbi duo vel tres congregati essent in eius nomine; atque in huiusmodi congre-

congregationibus viam sterni ad cælum planam, securam, munitam salu- 1581.
taribus legibus, Sanctorum vestigiis tritam, in qua stultus errare non possit;
omnia vero disponi, tanquam in sede sapientiæ, in numero, & pondere,
& mensura; vigere etiam suauissimam cælestemque, vt inter fratres, correp-
tionem, motuum animi inordinatorum moderationem, & Charitatis præcla-
ra incitamenta, quæ nulla oratione laudari satis queant." His, inquit, de
causis duo sunt anni, ex quo firmissimè statui hoc genus vitæ (si Deo vi-
deretur) amplecti; communicatoque consilio cum viro prudente & do-
cto, confessario meo, vehementius sum incitatus, ac frequenter hoc ani-
mi mei institutum nouo decreto corroboraui. Distuli id quidem ha-
ctenus, sperans non inutilem operam præstare me Deo in hac messe a-
nimarum: Nunc vero illo disponente vinctus, etiam addito voto firma-
ui; neque id temerè & inconsulto, sed cùm Dei vnius obsequium habe-
rem præ oculis, & quanta futurum id esset cum maiori securitate mea,
& ampliori cum victoria inimicorum spiritualium. Quod votum Deo
fuisse acceptum nulla ratione dubitare possum: Ita enim accidit. Die
illo in quo primùm fui quæstioni admouendus, cùm inter orandum me
meaque omnia Deo commendarem & Beatissimæ Virgini, cuius Rosa-
rium recitabam, delibutum me sensi cælesti quadam spiritus dulcedine,
præsertim dum suauissima *Iesu* & *Mariæ* nomina pronuntiarem; læto
eram & prompto animo ad ea quæ expectabam subeunda tormenta:
Perseueranti venit in mentem propositi mei de ineunda Societate, simul-
que cogitatio de illo firmando proposito voti adiunctione: finitâ prece,
reuoluens id quod animo inter orandum occurrisset, & quâ potui diligen-
tiâ vniuersa considerans, voui in hæc verba." Quandocunque Deo pla- Et votum.
cuerit me libertate donare (si id ei vnquam placebit) tum ego intra an-
num me tradam integrè in manus Patrum Societatis *Iesu*, atq; si me, Deo in-
spirante, admiserint, libenter magnaque cum lætitia omnem voluntatem
meam diuino obsequio perpetuò addicam.) Fuit id votum magno mi-
hi solatio in maximis meis angustijs & tribulationibus, eoque maiori cum
fiducia & spe obtinendæ constantiæ & patientiæ accessi ad Thronum Diui-
næ Majestatis, Beatissimæ Virginis & Sanctorum omnium auxilio
munitus: Ostenditque Deus confestim (meo quidem iudicio) hoc gra-
tum fuisse; nam infinita sua bonitate adfuit mihi in omnibus cruciamen-
tis ac doloribus, corroborans cùm summopere egerem, & liberans me à labijs
iniquis, & à lingua dolosa, atque à Leonibus rugientibus præparatis ad escam.
Etenim in vltima contorsione membrorum, cùm maximè sæuirent inimici,
ingentique violentiâ distenderentur brachia & crura (non mira fortasse, at Et voti via
certè vera Deo teste narro) nihil fere demum sensi doloris, sed recreari
potius videbar ab ea tormentorum acerbitate quam ante subieram; Ani-
mo eram quieto, & tranquillo: Quod cum viderent Commissarij, discedentes
iusserunt in crastinum eidem me seruari cruciamento: Audiui, &

1581. quidem plenus spe futurum vt, Deo iuuante, id omne patienter ferrem. Recolebam vt potui Christi patientis acerbissimos cruciatus, videbarque sentire quasi vulnus in vola sinistræ manus, & copiosum sanguinem inde fluentem. Nullum in ea deinde vulnus apparuit, at eo tempore alium dolorem nullum habui. Sed vt ad id quod propositum mihi erat reuertar: Quoniam nulla iam aut perexigua spes superest vos, Patres mei, eâ libertate quâ olim conueniendi, Ego me interim vobis trado, rogoque; demississimè vt de me statuatis quemadmodum in Domino iudicaueritis. Si quidem absentem admittere fas est, totâ mentis contentione flagito admitti, vt cum humilibus de me humiliter sentiam, & cum pijs enuntiem laudes Dei, & gratias agam perpetuas de acceptis beneficiis, adiutusque deniquè multorum votis maiori cum certitudine brauium persequar. Noui fraudes inimici infinitas esse, callidus serpens in omnem se versat partem vt simplicium animos deprauet, cùm sine duce progredi contendunt, tranffigurans se etiam in Angelum lucis; vnde rectè docemur probandos esse spiritus vtrum sint à Deo. Vobis itaque spiritualibus, atque in huiusmodi certaminibus versatis vniuersum hoc negotium committo; per viscera misericordiæ Dei nostri obtestans, vti me dignemini vestris consiliis, vestrâ prudentiâ regere: Atque si ex Dei gloria, si ex Ecclesiæ bono, si ex sempiterna salute mea esse iudicatis me ad hanc minimam Societatem nominis *Iesu* promouere, his ipsis literis promitto Obedientiam coram Deo & coram Tribunali conscientiæ meæ, omnibus & singulis Prælatis seu superioribus iam constitutis, vel in posterum constituendis, omnibus etiam Regulis ac Legibus in eadem Societate receptis, quantum mea me facultas & Dei gratia iuuabit: Diem istum, & hanc meam scriptionem testem habebitis in extremo Iudicij tempore. Si de corporis valetudine agetur, nulla videtur ambigendi causa: Restitutæ enim mihi sunt penè vires pristinæ, & quotidie euado valentior; ego me vestris precibus commendo, anxiè expectans quid de me vos decreturi estis. Valete.)

Felix exitus

Antequam produceretur ad dicendum de capite, curauerat sibi aperiri coronam in vertice, vt palam ostenderet quantam ordinis sacri haberet existimationem, & quam non essent eius ordinis indicia erubescenda. Crucem etiam paruam concinnarat ex ligno, inductâ carbone Christi affixi effigie: hanc manu gestabat tesseram militis Christiani: Atque hæretico conante eam eripere, " Poteris fortasse, inquit, è manu istam extorquere, at ex animo nunquam illum quem hæc Crux ostendit; eius enim retinendi causâ sanguinem vitamque profundam, quoniam pro me ipse suam in Cruce misericorditer profudit.) Hac animi inconcussa firmitate tertius post *Campianum* & *Sherwinum*, glorioſa morte clausit diem; merito inter Societatis Patres numerandus quorum se consortio atque instituto voti adeo solemnis Religione obstrinxerat. Horum autem triumphum quoniam *Personius* ipse describit, literis ad Alphon-

Alphonsum Agazzarium Seminarij de vibe Rectorem, decimo Calendas Ianuarij huius anni datis eas hic recitare operæ pretium erit vt tanti viri testimonio res per se testata illustretur, sunt autem huiusmodi. 1581.

XXXV. Admodum Reuerende Domine: Oblatâ mihi hac commoditate mittendi literas, quam auidè experij (per aliquot enim iam dies copia omnis obstructa fuit) non potui ad te non scribere pauca de rebus nostris, de quibus haud dubiè breui habituri estis longiorem narrationem. Post omnes disputationes nostras in controuersijs, de quibus audistis, die 20. & vigesimo primo Nouemb. producti fuere ad tribunal & læsæ Majestatis damnati tredecim Sacerdotes, nimirum, *Edmundus Campianus* Societatis *Iesu*, *Rodulphus Sherwinus*, *Iacobus Bosgrauius*, *Thomas Fordus*, *Thomas Cottamus*, *Edwardus Kissonus*, *Robertus Ionsonus*, *Lucas Kyrbæus*, *Alexander Briantus*, *Ioannes Harius*, *Georgius Shirtus*, *Guilielmus Filbæus*, *Laurentius Richarsonus*, & quartusdecimus Iurisprudentiæ studiosus, *Henricus Ortonus*. Horum opinor plus minus octo in Romano Seminario aliquando fuerunt. Obijciebantur illis multa cùm ad tribunal starent, sed præcipuè quod conspirassent cum summo *Pontifice* Rege Catholico & Duce Florentino de inuadenda Anglia, quod nunquam illis in mentem neque per somnium quidem venit; nam optimè se defendebant in omnibus; Accusatores eorum præcipui erant tres iuuenes qui aliquando Romæ fuerant, Mindæus, Sleddus, & Caddæus, qui neque propter ætatem nec propter conditionem infimam aliquid huiusmodi scire potuissent si factum fuisset, multo minus cùm clarissimè appareret ex aliorum responsionibus & factis & ipso rerum euentu nunquam tale aliquid cogitatum fuisse; & reuera isti sycophantas prorsus agere videbantur; obijciendo solum res communes, & quod nihil commune haberet cum huiusmodi crimine: Quod verbi causa, *Pontifex* illis fauisset; quod cum Cardinalibus quidam illorum locuti fuissent, & similia, quæ planè ostenderent vel metu vel mercede conductos ad accusandum. Videbatur tamen iam antea constitutum vt omnes condemnarentur; Itaq; nulla prævaluit defensio quin post aliquot horas altercando consumptas sententia mortis in omnes proferretur, quam illi lætissimè admiserunt, & vnusquisque protestatione prius factâ coram Deo, Angelis, Cælo & terra de sua innocentia quoad obiecta scelera, ostendit singularem quandam consolationem de hac sorte, idque testatus est aliqua scripturæ sacræ sententiâ. *Pater Campianus* altâ voce recitauit, *Te Deum Laudamus*. Pater *Sherwinus*, *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in illa*; Alij alia plenissima consolationis spiritualis proferebant, cum admiratione & commotione omnium qui aderant, ij autem pæne infiniti erant.

Literæ Personij de morte Campiani & Sociorum.

Hos habuere occultos delatores testes fuerunt alij publice.

XXXVI. Certè, Domine mi, res erat miranda, & quæ omnibus fere stuporem adferebat, videre tot iuuenes post maxima & plurima tormenta Christi causa perlata tam constanter & alacriter mortis sæuissimæ iudicium accipere; vnde liberare se minima quadam cessione potuissent;

1581. Referebat enim Pater *Campianus* eodem in loco audientibus omnibus, non solum vitam & libertatem, verum etiam gratiam summam Reginæ, & promotionem oblatam fuisse cuique eorum, si tantum Ecclesias Protestantium adire voluissent, quod penitus recusarunt. Nominabat etiam Pater *Campianus* Præfectum Castri Londinensis præsentem, qui inter alios hoc illis obtulisset; addens vlterius nisi hoc facerent præter cætera tormenta, digitorum etiam vngues insertis acutissimis acubus auellendos. Quàm miserè verò Patrem *Campianum* varijs & exquisitis tormentis exagitassent, apparuit eo die cum prodijt toto corpore concussus, manibus propter vulnera in cruciatu accepta linteis obuolutis, quas nec ori admouere posset; animo tamen permansit inuicto? & respondit voce firma & alacri & vultu læto per tres fere horas continuas quibus coram tribunali stetit: Et certè ipsi inimici miris laudibus constantiam prudentiam & modestiam eius extollunt; Innocentiam verò nemo audet illi tribuere propter minacissima edicta quibus omnes iubentur eum existimare proditorem Patriæ.

Die primo huius mensis Decembris P. *Campianus* P. *Sherwinus*, & P. *Briantus* tracti fuerunt supini per terram à Castro Londinensi ad Locum supplicij, qui ad tria fere milliaria distat; & dum per plateas Londinenses traherentur multi Ministri illis insultabant; illi verò nihil respondentes hymnos & Psalmos cãtabant. Cùm verò ventum est ad locum supplicij, vbi infinita hominum multitudo conuenerat; Pater *Campianus* primus scalam ascendit, & incipiebat aliquid dicere ad populum in illa verba, *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis & hominibus*: Sed Vice-Comes Londinensis qui executioni præerat, abrupit statim sermonem prohibuitque loqui; pararet se ad mortem, veniamque rogaret à Regina & Populo de suis in Patriam delictis. Ille respondit se nullius rei esse conscium, nihil vnquam in Patriam cogitasse; idque satis esse Deo & hominibus notum, mori se tantum ob fidem Catholicam. Confestim prodijt in medium Heraldus quidam ad eam rem paratus, & legit alta voce scriptum quoddam Reginæ nomine, quo illa declarari volebat omnibus hos homines non propter Religionem sed propter læsæ Majestatis crimina morti tradi; At populus parum ea re moueri visus est, potius suspicari fraudem ex hoc nouo & inusitato artificio. Pater *Campianus* breuissimè rem refutauit; & adijciens pauca sed efficacissima verba ad populum, de fidei Catholicæ veritate, & dignitate, mortem lætus obijt; deiecerunt enim eum de scala, & strangulatum in quatuor partes diuiserunt, inspectantibus alijs duobus ad terrorem; sed illi nihil sunt territi: Cùm enim expedito Patre *Campiano* Carnifex cruentis manibus & brachijs ad Patrem *Sherwinum* venisset, ad eum terrendum injciens illi manus, & dicens, veni *Sherwine*, accipe & tu partem tuam; ille vultu læto amplexus est Carnificem, & cruorem manuum est osculatus; quâ re valde commotus est populus, & magno murmure extorsit viceComiti veniam vt hic loqueretur quæ vellet: Itaque ascendit scalam, & habuit efficacissimam exhortationem; quâ finitâ, inseruit collum laqueo, clamante multitudine, Bone *Sherwine*, Dominus Deus recipiat animam tuam: Durauitque diu ille clamor, nec compesci potuit etiam cùm iam esset

Artificium insolitum.

mortuus

mortuus. Tertius *Briantus* pauca dixit, præter breuem confessionem fidei, & protestationem de innocentia, non solum facti, sed & cogitati aduersus Reginam: Vultu tamen verè innocenti & Angelico (fuit enim iuuenis pulcherrimus, annorum non amplius viginti octo) spectatores omnes valde commouit, præsertim cùm diceret ingenti se gaudio efferri quod Deus eum elegisset, & dignum fecisset qui mortem subiret ob fidem Catholicam; idque in Societate Patris *Campiani*, quem toto animo reuerebatur. Et reuera hunc Iuuenem aduersarij oderant maximè propter Patres Societatis quibus erat intimus, de quibus tamen nihil fateri voluit in summis tormentis, sed missis clam ex carcere literis petijt ardentissimè in Societatem recipi, narrans miraculum quo Deus illi in medijs cruciatibus adfuit; quarum literarum exemplar credo vos iam recepisse. 1581.

XXXIV. Dum hi martyres in partes dissecarentur, omni industriâ Catholici nitebantur vt aliquas saltem particulas furarentur: sed aduersarij hoc præcauentes diligentiam magnam adhibebant. Vnus tamen Iuuenis nobilis ingerẽs se inter alios permisit sudariolum suum in terram cadere vt imbutum sanguine P. *Campiani*, vel sic aliquid sanguinis acciperet; sed res statim animaduersa fuit & ille comprehensus est, & in custodiam traditus: Dum tamen ille prehenderetur, in tumultu alter nactus opportunitatem abscidit digitum eiusdem *Campiani* & abscondit. Cumque illud etiam animaduerteretur, licet magna facta sit inquisitio, inueniri tamen non potuit qui fecerat: Alter iuuenis cùm videret nihil furtum auferri posse, obtulit secretò octoginta aureos, seu viginti libras nostrates, carnifici pro vno solo articulo digiti Patris *Campiani*; sed non est aulus dare; Vestes eorum valde quæruntur à Catholicis vt pecuniâ redimantur, sed hactenus nihil potuit obtineri. Existimatur aduersarios velle omnes comburere, nè aliquid in manus Catholicorum veniat. Catholicorum pietas.

Statim ab horum morte aliud nouum Edictum typis excusum, & publicatum est, ne quis existimaret illos ob Religionem interijsse; quod nunquam antea factum est in Anglia hominibus Iudicio publico damnatis: Alij vndecim nondum plexi sunt, sed seruantur, vt dicitur, vt varijs in locis, maximè verò in vniuersitatibus & oppidis maritimis moriantur, ad maiorem horrorem cæteris incutiendum. Pater *Personius* valde quæritur ab aduersarijs, & iam constans rumor est illum esse captum; vnde magnæ gratiæ aguntur à ministris. Quatuor viri nobiles quorum in ædibus Pater *Campianus* fuisse creditur (licet res probari non possit) in nouem millibus aureorum damnati sunt, & in alios inquiritur apud quos fuisse suspicio est. Inquirunt etiam diligentissimè in omnes qui reculant adire Ecclesias protestantium, & secundum nuperam legem soluere debent octoginta aureos in singulos menses; multos etiam bonis fere omnibus exuerunt; vergitque sanè res ad maximas angustias. Catholici tamen per Dei gratiam constantissimi sunt cælesti consolatione imbuti. Et afflictio.

Ex his videre est quâ animi præparatione ad nos venire debeant fratres

1581. nostri; quâ humilitate, quâ patientia, quàm firma resolutione, & supra omnia quàm feruenti erga Deum & proximum, & se inuicem Charitate; vt alter alterum iuuet in portando hoc iugo Domini. Deus nobis iam exhibuit glorioſa exẽpla in Socijs noſtris Martyribus, nobiſq; non deerit ſi nobis nos non defuerimus. Veniant ergo læti, veniant hilares quicunque hanc ſingularem Martyrij palmam cupiunt, hic Deo donante voti fient compotes.

De cæteris nihil occurrit quod ſcribam *Gaſpar, Guilielmus*, & *Robertus*, ſani ſunt corpore, licet *Guilielmus* grauiter ſatis his diebus ægrotauerit. Creditores eorũ valde eos perſequuntur. Hactenus Deus eos eſt tutatus, licet ſæpe occaſionem habeant meditandi illa verba, *Non habet vbi reclinet caput.* Mementote noſtri, ô Chariſſimi, & omnium hominum dilectiſſimi amici. Valete; iterum dico valete in Chriſto *Ieſu*. Decimo Calendas Ianuarij. 1581.

Veſtrum omnium Euſebius.

XXXVIII. De prodigijs quæ Bombinus prolixè deducit nihil adfero, nè actum agam; illud non videtur omittendum quod noſter *Guilielmus Wrightus*, per Germaniam ſuperiorem Auſtriamq́ notiſſimus, narrare ſolebat de Barone Manſuander *Campiani* olim diſcipulo. Hic cum diſcedenti in Angliam *Wrighto* Imperiales duodecim in honorem duodecim Apoſtolorum eleemoſynæ loco largitus eſſet, rogabat vt ſui memor eſſe vellet ſub patibulo quo *Campianus* ad ſupplicium raptus eſt. Erat enim eius viri memoria non iucunda illi modò, ſed Religione ſancta. Vnde vxore in difficili puerperio laborante, orans Deum Sanctoſq́ue vt periclitanti venirent ſubſidio, inter cæteros *Campianum* implorabat, voto ſe obſtringens, ſi filium pareret *Edmundi* nomen impoſiturum. Dum orat nuntiatur peperiſſe filium. Id cùm Græcij accidiſſet, Ferdinandus Archidux (is qui eius nominis ſecundus dictus eſt Imperator) cum coniuge, infantem de ſacro fonte ſuſcepturi, nomen ei dare ſtatuerant Ferdinandi, cùm Parens ſerò id eſſe diceret, quòd iam ex voto nomen haberet *Edmundi*: Vtrumque ſortitus eſt, & *Edmundus Ferdinandus Manſuander* vocitatus; optimis Principibus primas Sancto & Martyri cedentibus. Omni tamen prodigio maior haud dubiè fuit ipſius *Campiani* inuicta conſtantia; quam ſi ex ore aduerſariorum confirmare liceat, habemus Baronem Hunſdon, qui cùm torqueretur interfuit; & ad incredibilem patientiam, vel indignabundus vel admirans: " Citius, inquit, è præcordijs cor euellas, quàm quidquam, quod huic Religio eſt dicere, exprimamus.) Hæc eſt Chriſtianæ fortitudinis excellentia, vt nulla vel doloris acerbitate, mortiſue formidine à recto deuiet; quam Martyres, Dei beneficio, perpetuò retinentes, & militantem hic Eccleſiam domeſticis augent animantq́ue exemplis, & Cæleſtem Hieruſalem fulgentiſſimis illuſtrant coronis.

Baro Manſ. ſuander de Campiano.

Et Baro Hunſdon.

HIS-

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER QVARTVS.

POstquam *Campiano* in vincula coniecto spes nulla supererat libertatis, *Personius* (cui missionis huius cura tradita fuerat) consulendos existimauit inter Sacerdotes qui primi habebantur, ad negotium Religionis inceptum prosequendum quid optimum esset? Iam præter *Iacobum Bosgrauium* & *Thomam Cottamum* (qui vnà cum *Campiano* de Majestate damnati dissimilem causæ exitum sortiti sunt, quemadmodum dicetur certo loco, *Gaspar Haywodus*, & *Guilielmus Holtus* in subsidium venerant; Ipse *Personius* plures habebat libros præ manibus ad Religionis pietatisque firmamentum, quos in Anglia nemo in lucem edere, foris edendos suscipere, nisi ipso præsente, nemo vellet; Cum *Alano* multa aue bat conferre ad vsum Seminariorum, quæ nisi coram agerentur frustra agi videri possent; tum etiam promouere Commentaria in nouum Testamentum (quæ accepto loci nomine vocantur Rhemensia) ad quod opus ipse ab amicis collegerat nostræ pecuniæ trecentas libras; perpenderat in Sacerdotum Catholicorumque viuendi ratione plura de quibus doctorum hominum sententia videbatur exquirēda; Tum considerandum quid opis esse posset ad Scotiam in fide retinendam, quò Sacerdotem primùm secularem, deinde *Guilielmum Holtum* misisset; Multi denique magni nominis atque auctoritatis viri Catholici rogarant, vt quoniam Philosophicis Theologicisque studijs adiumenta Romæ ac Rhemis conquisita erant, primæ vero ætatis adolescentes educandi instituendique in literis nulla esset in Anglia ratio

1582. Personius cru in Gallias profectus.

1582. glia ratio seiuncta ab ingenti periculo inficiendorum animorum, apud exteras nationes aliquam exoriaret constitueretque. Hæc vsa sunt cunctis momenti plurimum habere ad rem Catholicam promouendam; tum *Personium* commouerunt vt sublato *Campiano* iter in vicinas Gallias susciperet, non diuturnæ moræ tempus (vt rebatur) habiturum. Rhotomagum vt tetigit, cõfestim in prælum dedit Epistolam consolatoriam ad Catholicos, Anglicè scriptam de persecutione: Defensionem etiam Censuræ aduersus Charcum; & librum qui inscribitur Directorium Christiannm, seu de *Resolutione*: Qui liber post principia Christianæ Religionis, de Deo, deque Christo homine, de bonorum & malorum post hanc vitam præmijs aut suppliciis luculenter exposita, virtutum incitamenta reliqua cùm proponat, & quâ ratione quæ impediunt sint tollenda demonstret, dictione graui, & ad suadendum erecta, dici haud facilè potest quanta acceptus fuerit auiditate, quanto cum animorum motu tritus, quanto cum fructu ab omni conditione & sexu ad hunc vsque diem perlegatur, quam denique multi huic vni libro acceptam referant suam in Ecclesiæ gremium reductionem. Etsi enim obiter tantum atque parcissimè perpaucas quæstiones in controuersiam vocatas tangat, quia tamen in luce clarissima ponit vita Christiana qualis esse debeat, & quam nihili pendenda sint ea quæ illi amplectendæ aduersantur, considerationum hominum mentes tanta rationum vi impellit ad id quod rectum est, vt (nisi peruersissimo sit quispiam ingenio) victas manus dare cogantur. Et sanè si aliud nihil egisset in omni vita *Personius* hoc vno opere æternam meritus fuisset apud suos gloriam, & vnus plus multis dicendus laborasse. De quo extat Patris *Gulielmi Bathæi* Hyberni hoc testimonium.

Et quid egerit,

Primò: nunquam audiui de libro cuius sola lectio in nostrâ ætate, in hoc genere tot peperit fructus in Anglia, & Hybernia.

Testimonium Guilielmi Bathęi de libro inscripto, de Resolutione,

II. Inter plures hic radicaliter conuersos, multi erant homines durissimi cordis, vtpote vel hæretici, vel pessimæ contra conscientiam vitæ. III. Inter hæreticos hic ad lumen gratię reductos casu incidi in vnum tunc in suo itinere ab Anglia in Belgium, qui vehementi cordis compunctione mihi retulit, quomodo lectione huius libri impulsus venit ab Anglia ad inquirendam veram Religionem. IV. Magnus quidam Reginæ consiliarius in Hybernia mihi familiaris, honoribus & deliciis mundi multis annis immersus audiendo lectionem huius libri, solet erumpere invoces insolitæ admirationis, dicendo sibi videri quasi impossibile hominem potuisse cum tanta energia scribere sine singulari adiutorio; & erat magni ingenij & iudicij; tantamque ex illa lectione audita concepit compunctionem, vt vix quiescere potuerit donec cum consensu vxoris, ad magnam totius Regni admirationem, & ædificationem, publicè repudiatis suis in Republica dignitatibus, ad vitam segregatam se contulit in loco solitario; ubi gratia lachrymarum redundans durante vita mirabilem egit pœnitentiam. V. In alio loco vidi quendam nobilem supra modum & mentiuram nugis facetijsque ineptis deditum,

qui

qui exigua huius libri lectione mutatus, ostium circumstantiæ labijs suis posuit, donec alij silentium eius à iocis ægrè ferentes violenter librum è manibus eius eriperent. 1582.

VI. Audio frequens esse in Anglia in concursu multorum qui recenter ad fidem conuersi sunt, dum modum conuersionis suæ mutuo narrant, originem tribuere lectioni illius libri; ex quo ingens eius fructus ex parte colligi potest.

VII. Ipsi etiam hæretici tantam perceperunt compunctionem cordis in lectione huius libri, vt paucis mutatis eundem Londini imprimi curarint.

VIII. Multi etiam viri ingenio & doctrina pollentes ex singulari fructu quem ipsi experientia perceperunt, librum supra omnes eius generis quoad proprium libri institutum laudarunt. Hæc Bathæus.

Epistolæ Consolatoriæ causa & argumentū

Consolatoriæ vero Epistolæ hæc est ratio. Latæ fuerant Anno octogesimo primo ineunte, aduersus Catholicos leges binæ, Vnæ de menstruâ pendenda pecunia si hæreticorum conuentibus abstinerent; Alteræ de Capite, si pœnitentiæ sacramento vterentur; atque de altera pecunia, si Missæ sacrificio interessent. Aperit igitur inprimis quàm nobili de causa ea mulcta subeatur; Ne, videlicet, contra quàm ipsimet in animo sentiunt faciant: Ne Deo illudant cultu erroneo & Ecclesiæ vsibus aduerso: Ne scandalum proximo patiant atq; exemplo parent ruinam: Ne fidem Deo datam infringant: Ne schismatici audiant: Ne de Religione dissimulent: Ne peccatis aliorum communicent: Ne omnium Gentium Catholicis moribus se opponant. De mulcta deinde quæ nasci videntur incommoda remouet, ostensis fallacium diuitiarum periculis, vsu difficili, inconstantia, vanitate; anxietate etiam quam viuentibus afferunt, & morituris; solutisq; quæ obijci possent rationum momentis, vtriusque vitæ præmia commemorat. Ac sacramentorum denique cùm explicasset quàm necessarius sit frequens vsus, quamq; honorificus cultus, moribus antiquis suadet viuendū, contemptis legum iniquarum minis, quas Deus pro cuiusque bono, tanquam ferocientis equi impetus moderatur. Hæc vacuis horis meditabatur, publicisq; vtilitatibus felici partu edebat.

II. Quâ vero diligentiâ & quàm magna industria ad fidem Catholicam in Anglia promouendam contenderit, & vt ea ferebant tempora Scotiæ etiam spiritualibus emolumentis studuerit, eius literæ ad Generalem præpositum docent: Quæ sunt huiusmodi.

Pax Christi. Admodum Reuerende Pater.

Eius industria ad scotiam iuuandam.

Copiosè ad vestram Paternitatem scripsi de rebus nostris mense superiore, nunc quoniam alia maioris longè momenti occurrunt, significanda quoq; sine mora existimaui. Pater *Campianus* post tormenta bis illi exhibita, quatuor habuit in carcere cum aduersarijs disputationes, magno sanè fructu communis causæ, & multarum animarum lucro, vt posthac forsan magis in particulari audietis; ego vt ante significaui, nactus exeundi commoditatem, in Galliam transmisi, vt expedirem quædam necessaria negotia quæ absente me per literas

1582. fieri non poterant? Quorum primum erat, vt conferrem cum Domino *Alano* de multis, imo plurimis ad opus nostrum & vineam pertinentibus, quæ sanè literis committi non poterant. II. Vt prælum aliquod in aliquo loco vicino compararem, quo libri pro occasione data à nostratibus Anglicè scripti imprimi possent; quia nihil tam iuuat, nec iuuit, nec tuebitur in posterum & propagabit nostram causam quàm impressio librorum Catholicorum, tam de controuersijs quàm de deuotione. III. Erat vt colloquerer Parisijs cum Archiepiscopo Glasconiensi, Reginæ Scotiæ Oratore de iuuanda Scotia, ex qua conuersio Angliæ maximè dependet; & vt excitarem illum meis rationibus & cohortatione ad feruentem zelum de mittendis in Scotiam idoneis hominibus, maximè hoc tempore, cùm præsertim ex nece Mortoni, & Principis indole, spes non exigua elucescat; & illi etiam impertirer secreta nonnulla consilia hæreticorú ad euertendam penitus Scotiam, quomodo illis obuiare posset. Quartum erat vt inuenirem aliqua media quibus excitari Rex Galliæ posset ad intercedendum pro Catholicis apud Reginam, saltem de alleuiatione illius grauissimæ pœnæ pecuniariæ quam nuper lege quadam imposuerunt recusantibus frequentare Ecclesias protestantium, quod omnes Catholici facere recusant. Hæc fuerunt præcipua negocia quæ me in has partes impulerunt; quorum priora tria iuuante Deo optimè expedita sunt, ad magnam spero totius causæ vtilitatem; postremum verò penitus hæret. Rex enim rogatus à Nuncio Apostolico, suæ Sanctitatis nomine, vt pro afflictis Angliæ Catholicis ad Reginã scriberet, respondit se non posse propter quædam secreta consideratione digna. Nos tamen non desistimus, sed in confractione cum Moyse stare nitimur, & in spem contra spem progredimur. Modò sum Rhotomagi occupatissimus & expecto reditum famuli ex Anglia, quem multis cum literis ad Catholicos consolandos tanquam ex septentrionali parte misi. Nullus enim ex ijs in Anglia nouerat meum egressum; nec vllis in his partibus innotesco, nisi Domino *Alano* Rhemis, & Archiepiscopo Glasconiensi Parisijs; & hic Rhotomagi D. Michaeli de Monsi Nepoti illustrissimi Cardinalis, Senonensi Archidiacono, & Parlamenti huius Ciuitatis Consiliario, viro certe Dei & causæ Catholicæ zelosissimo, & nostræ Societatis plusquam amantissimo, cuius ope & opera in omnibus vtor; & se suaq; omnia libentissimè ex animo mihi obtulit & præstat. Hodie duos magnos literarum fasciculos ex Anglia per famulum huc missos recepi, ex quibus intelligo (præter ea quæ supra posui) me illic valde à Catholicis requiri; vnde cogor reditum festinare, maximè quia Patres *Gasparus* & *Guilielmus*, qui vltimo ingressi sunt, absunt longè Londino, & in alijs Regionibus versantur, vbi plurimum dicuntur lucri animarum facere. Catholici vrgentur in dies nouis & acerbis persecutionibus, sed dante Deo fortitudinem & internam consolationem nunquam fuerunt lætiores; tamen aduersarij quò magis sibi timent, eò magis sæuiunt; sed quæ sequuntur maximi sanè sunt momenti. In primo meo ingressu in Angliam dispiciebam animo quantum poteram quæ pars totius

Regni

Regni magis egeret nostra opera, & quæ posset magis causæ successu tem- 1582.
poris prodesse. Videbam tres esse Regiones in quas sacerdotes nondum penetrauerant. Prima erat Wallia, Regio spaciosa & ampla, & Religioni Catholicæ non tam inimica, sed tamen inopiâ laborantium in spissam ignorantiã & hæresis etiam nonnullam approbationem vlu quodam prolapsam: Huc igitur misi aliquos sacerdotes, unita cum nobili quadam conditione vt eos reciperet; ex qua re magna sanè porta aperta est, & multi quotidie acquiruntur Ecclesiæ. Altera Regio erat Cantabrigiensis Comitatus, quam vniuersitas Cantabrigiæ, quæ tota hæretica est, penitus infecerat; multis igitur remedijs frustra quæsitis, tandem Deo iuuante insinuaui sacerdotẽ quendam in si vniuersitati, sub nomine scholaris, aut nobilis studiosi; & procuraui illi quædam subsidia non longè à Ciuitate; cui rei Deus tantum dedit successum vt paucis mensibus septem iuuenes optimæ spei & indolis lucrifecerit, iam iam ad seminarium Rhemense mittendos. Hoc enim hodie intelligo ex vno eorum qui iam huc peruenit, & maior ibi messis quotidie expectatur. Tertia Prouincia erat omnium maxima, quæ iuxta fines Angliæ & Scotiæ posita, quatuor aut quinq; comitatus continet (comitatus, siue Diœceses, aut Prouinciæ, non magnæ intelliguntur) ad hos ergo Comitatus nullus fere sacerdotum peruenerat. Hæc tamen Regio maximi momenti est ad nostram causam, tum propter Scotiæ vicinitatem, tum propter hominũ dispositionem liberam & generosam; huc ergo diuersos operarios direxi, sed vnum maximè qui prudentia, vnitate, & cognitione cæteris præcellere videbatur, qui posteaquam decem circiter menses ijs in locis consumpsisset, rediit ad me initio huius præcedentis æstatis, & retulit multa speranda esse ex illius Regionis cultura, licet persecutio eo tempore sic ibi ferueret vt difficillimè quis posset subsistere. Retulit etiam (quod ego illi præcipuè commendaram exquirendum) non difficilem esse ex ijs partibus in Scotiam transitum: quo intellecto, & communicato cum quibusdam è prudentioribus Catholicis consilio, remisimus eum in ipsam Scotiam explorandæ viæ causa. Nam maxima spei nostræ pars in Scotia est, à qua etiam dependet non solũ Angliæ, verum etiam aliarum septentrionis partium conuersio. Quia ius Anglicani Regni ad Reginam Scotiæ eiusq; filium (extincta ista quæ nunc regnat) pertinet, Et de filio isto nunc aliqua spes cæpta est concipi post interfectionem maximè Comitis Mortonij, si satis cum eo tractaretur dum adhuc obedientiam præferet magnam suæ matri, & priusquam in hæresi confirmetur, & dum etiam recenter offensus ab hæreticis est: Quas occasiones nobis non esse negligendas putabamus, & valdè dolebamus rem non fuisse hactenus ardentius attentatam ab ijs quorum maximè intererat, hoc est, à Scotis ipsis; quanquam certè multis de rationibus causa æque nostra est ac eorum. Collecta ergo quadam eleemosyna à Catholicis, & coëmptis hinc sacerdoti rebus ad iter necessarijs, misi eum vnà cum famulo in Scotiã, præscriptis quibusdam rerum capitibus quæ Regi aperiret si adeundi facultas

1582. daretur; aut eitã nobilibus si Regi non liceret. Quorũ primũ illud erat, vt patrociniũ susciperet afflictorũ Catholicorũ maximè si qui in Scotiã confugerẽt, eo quod Catholici soli erunt qui illi fauebunt in iure Regni Angliæ hæreditario tuendo. Secundũ erat exponere rationes multas & magnas quæ Regem mouere debebant ad fauendum Catholicis & eorũ Religioni, & ad detestandos Hæreticos; quales erant, securitas in Regno suo, successio in Regnum Angliæ, quam solum per Catholicos obtinere poterat; amicitia vicinorum Principum Catholicorum, respectus matris tam innocenter repulsæ & carcere detentæ; Occisus Pater ob hæreticis; Insidiæ Vitæ suæ sæpissimè ab hæreticis positæ, discoopertæ & auxilio Catholicorum per Dei bonitatem vitatæ. Denique offerret Regi tam suorum quam nostrorum Catholicorum auxilium, maximè vero nostrum qui sacerdotio fungebamur, ad reducendũ Regnum Scotiæ ad fidem Catholicam, cum quocunq; etiam vitæ nostræ dispendio. His acceptis instructionibus discessit: Ingressus est Scotiam, & per Dei gratiam felicem admodum successum habuit, vt ex sequentibus eius literis apparebit. Quæ erant tamen præcipua & maxime secreta non audebat literis committere, sed famulo suo mandauit vt mihi soli narraret, & nulli alteri mortalium præterea; famulus autem cùm Londinum venisset, & me non reperisset, non ausus est hominibus à me meo loco relictis sibi à Domino commissa narrare; Reliquit tamen sui Domini literas quæ mihi statim transmissę fuerunt, & vlterius adiecit (quod etiam ex sequentibus literis patet) Dominum suum optimè à Scotis acceptum, & illos omnia mihi, & à me mittendis promittere: Et diem esse constitutum quo ego cum multis nobilibus Scotiæ colloquium haberem, scilicet diem vigesimum sextum septembris præsentis, quod nullo modo iam à me expleri potest, quia hodie agitur is dies. Literarum autem exemplar hoc est in quibus animaduertendum, quod vbi nomen est Domini Redman, me intelligit.

III. Cùm primum Scotiam ingressus sum, necessitate quadam coactus, nè in pericula maiora inciderem, contuli me ad habitationem Guardiani Scotiæ, qui Caluinista est; Locus autem habitationis Seiford appellatur; ibi rogatus quâ de causa veneram, respondi refugij causa, vtpote ob conscientiã patriâ expulsus; quod refugium ipsis etiam malefactoribus non negabatur, & multo minus negari debeat Religionis causa exulantibus. Respondit Guardianus non posse esse maius maleficium aut peccatum quàm malæ esse Religionis, & Ecclesiæ Christi inimicum. Hoc verissimum est, inquam ego, sed tota controuersia in eo est, qui sint inimici Ecclesię. At illud, inquit ille, extra controuersiam est, Papistas esse; quo audito subridens, dixi, à cœna, si placet, illud viderimus: Finita cœna factum fuit capitulum, vt appellant, hoc est, vnus ex Ministris (nam aderant tres) lecto primum Psalmo, concionculâ habuit, quâ durante, tam Guardianus ipse cum vxore, quàm multi alij nobiles & perhonorati viri apertis capitibus reuerenter auscultabant: Ego solus tecto capite sedebam, cum multorum admiratione; finita tamen concione

concione exhibitaq́; à me omni debita reuerentia Nobilibus viris qui aderãt, 1582.
Rationem reddidi quare caput detegere in ministri concione nolueram: At inquit Guardianus saltem verbo Dei reuerentiam debebas.

Ego vero, scriptura, inquam, perperam exposita non est verbum Dei, quia falsum continet, quod abest longè à verbo Dei. Hoc audito aduocauit ille Ministrum vt se tueretur. Minister audito hoc principio sermonem omnem detrectabat; at vrgebat eum Guardianus: Tandem venimus in eam controuersiam, an solius Ecclesiæ sit de sensu scripturarum iudicare; in qua discutienda tantùm morati sumus, vt tandem Guardianus diceret sibi tantum displicere opinionem & argumentationem ministrorum, vt in posterum non tam facilè condemnaturus esset Papistas: Addidit tamen, postero die, qui fuit dominicus, & vigesimus septimus Augusti, insignem quendam Concionatorem affuturum, qui mihi in omnibus satisfaceret; Dixi, mihi iam esse satisfactum à meis, & me cupere satisfacere alijs de veritate Catholicæ Religionis, maximè vero Illustrissimæ suæ Dominationi, eaque de causa libenter cum illo collaturum; postero ergo die summo mane venit minister; antequam ego adhuc horas meas canonicas absoluissem; Quidam autem ex famulis mihi nunciauit me iamà Guardiano & reliquo consessu (erant enim plusquam centum) expectari: Festinaui; veni in aulam, & post reuerentiam præsentibus exhibitam, petij à ministro vt proponeret quod vellet, aut mihi facultatem proponendi concederet. At ille Concionatorem se, non disputatorem esse, neque velle mecum ad lites & cauillas descendere; neque mihi, inquam, propositum est litigiosum aut cauillatorem agere; sed pacatè & sobriè veritatem disputando manifestam reddere, idque vel latino vel vulgari sermone; imò vulgari, inquit Guardianus, vt nos omnes intelligamus; sed nullo modo, nullâ exhortatione, nullâ Guardiani obiurgatione poterat adduci minister vt argumentandi legibus consentiret; quo permotus Guardianus, verè, inquit, video, nos posse decipi & in errore versari, imo quidam generosus Scotus, gratiæ sunt inquit agendæ Deo quod adhuc supersint aliqui qui possunt veterem fidem nostram eruditione tueri: Post hæc coram omnibus promisit mihi saluum conductum per totum Regnũ Scotiæ, quod statim scripto præstandum imperauit, tam mihi quàm etiam famulo meo, hoc item addens se cupere longiorem alio tempore de his rebus collationẽ, aut mecum, aut cum alio quocunq́, à me ad eum transmisso, cui omnem humanitatem & securitatem promittebat. Ab hoc discessi ad Dominum Baronem de Grencknols, qui animo fauet Religioni Catholicæ, eâ frigiditate quâ hic solent; cui cùm animum meum aperuissem, & desiderium sacerdotum Anglorum adeundi quæuis pericula, & vitas expendendi pro salute Scotorum, & pro reductione eorum ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ, cùm etiam significassem aliquibus iam esse in animo coniungere sua studia suoq́; conatus cum sacerdotibus Scotis ad illum finem, & tentare per Dei gratiam quid in ea re fieri possit, exultans gratias egit Deo de tam

1582. sanctis cogitationibus, & rogatus à me postea vt haberet curam suæ animæ rediretq; ad vnitatem Ecclesiæ, promptiorem se præbuit ad præstandũ quàm ego esse poteram in rogando. Initio tamen (quod oblitus eram dicere) requirebat â me valde, aliquam cõmendationem ad Reginam Scotiæ, ex quo D. Redman poterit conijcere quo ei opus sit si in hac partes veniat. Hinc transiui per alium Baronẽ è familia Setonensi hæreticũ valde in cuius mensa infinitas & horrendas Blasphemias audiui, sed nè verbum quidem dixi, donec finitâ cænâ per horam opinor & dimidiam sermonem cum illo habui contra huiusmodi blasphemandi ferociam, multis vtrimque habitis argumentis, quibus absolutis mihi egit humanissimè gratias promittens se inposterum minori vehementia vsurum in Catholicos, & domum suam tam mihi quàm cæteris Catholicis Anglis semper fore paratissimum hospitium. Tandem Edenburgum deueni vbi erat Aula Regis; sermonem habui cum diuersis nobilibus, vt cum D. Setono Patre, & D. Priore filio eius, alijsq; quibus causam mei aduentus significaui, & desiderium nostrum in salutem ipsorum: illi benignè me tractarunt, & ad Regem ipsum me duxerunt, cum quo quid locutus sim aut egerim non debeo his literis committere. Ab aula recessi ad Palatium Rusticanum D. Baronis Geronis, vbi non pauci Scoti nobiles cõuenerant, qui vno ore mihi promittebant, & per me Domino Redman renuntiari volebant, quod quandocunq; nobis venire placeret (quod illi nos breui facere suadebant) se velle securitatem summam præstare, eo quod essemus Angli, nec eorum legibus obnoxij. Plura etiam promittebant de Rege ipso quę hic omitto; nec solum nobis protectionem promittebant, verum etiam alijs à nobis missis per secreta signa quæ alijs literis aperiam. Nomina eorum qui fauent Religioni Catholicæ & qui possunt facillimè iuuante Deo boni fieri si diligentia adhiberetur, sunt hæc, licet adhuc longè sint à statu gratię: Dux D'Aubenius, Comes Huntleius, Comes Eglintonus, Comes Cathnacius; D. Baro Setonus, D. Baro Oglebi, D. Baro Grey, D. Baro Farnhurst, & quidam alij quibus noster labor nec inutilis erit nec ingratus, modò oneri illis non simus; hoc enim summoperè Domino Redman prouidendum est, vt habeat vnde sustentet eos quos huc direxerit, saltem ad aliquod tempus, alioquin difficillimè quicquam efficiet, imo puto quod nihil efficiet. Prouidendum etiam illi est, vt non nisi selectissimi huc mittantur, tam ob virtutem, quam eruditionem; si hos modo non habeat, expectandum erit donec habeat. Melius est enim nullos mittere quàm inidoneos; poterunt enim tales valde obesse, his maximè principijs, vbi tota auctoritas & existimatio causæ Catholicæ ab eruditione eorum qui eam tuentur dependet. Procuret D. Redman orationes multas pro hoc opere; est enim maximum, & ad totius Europæ commodum non parum vt vides pertinens; si vnquam orandum aut laborandum fuit nunc est maximè. Vale.

IV Has literas recepi 15. Septembris. Et quia temporis angustijs & aliorũ negotiorum multitudine prohibebar ne illis satisfacerem, & ad diem præscriptum

scriptum in Scotia essem, feci id quod potui, hoc est, scripsi statim ad D. 1582.
Setonum, significans causas moræ, & cohortans illum quibus poteram rationibus vt desiderium illud suum tueretur de sua & aliorum salute; adijciens eum breui plura à me recepturũ de toto negotio. Scripsi etiam in Angliã vt quibus modis posset cum Regina Scotiæ tractaretur de articulis suprascriptis, promittens me breui affuturum ad cætera prosequenda, sicut intelligo vehementer me requiri; ad sacerdotem etiam hunc scripsi vt subsisteret ad tempus in locis vicinis Scotiæ, donec aliud à me responsum acciperet. Misi illi etiam quæ poteram in sustentationem: Iam ergo pendeo totus in hoc negotio à Vestra responsione. Primũ, An prosequi debeam hoc negotiũ necne, quod omnes Angli Catholici vehementissimè supra omnem modum me vrgent vt prosequar, quia à conuersione Scotiæ dependet tota spes humana conuersionis Angliæ; & si Rex iste semel confirmatus fuerit in Hæresi (quâ sine dubio periculosissimè infectus est) nihil auxilij aut refugij relinquetur miseris Anglis; si Scotia illis pateat vt in eam fugiant infinita consolatio est; & nunc facilis est aditus ad Regem ipsum, & ipse satis flexibilis est; postea forsan non ita. Deinde etiam erit optimum nobis vt vitandæ sæuissimæ alicuius tempestatis causâ mensem aliquem in Scotia consumamus: Scoti ipsi licet aliquot habeant viros valde idoneos (quos omnes mittendos cupimus) tamen pauci sunt, nec ullo modo sufficiunt tantæ vineæ, præsertim hoc tẽpore quo maximè requiruntur. Nam hoc biennium quod sequitur vnicum videtur tempus lucrandi Scotiam, dum illi gubernant multis in locis qui nobis non multum (præsertim exteris) resistunt; Nullæ enim leges contra nos factæ sunt, & idioma nobis commune est cum Scotis. Procuraui etiam vt libri Catholici impressi in posterum transferantur in Scotiam æque atque in Angliam; libros intelligo idiomate vulgari tam de controuersijs quàm de rebus deuotionis conscribendos, quales adhuc vel nulli vel pauciissimi in Scotia visi fuerunt, quia Scotia nullum prælum habet, & hæretici libros suos in Anglia impimunt. Horum autem librorum defectus fecit vt Scotia multo magis laboret hæresi quàm Anglia.

Si videbitur V. P. vt hoc negotium sequar, tunc præter instructiones quas à vobis peto, necessarium etiam est vt proponatur suæ Sanctitati nostrarũ necessitatum consideratio aliqua saltem ad aliquod tempus. Nam hæc res confici non potest sine pecunijs, vt ex superioribus literis videri potest. Nam Scoti ipsi præterquam quod pauperes sunt & egentissimi non habent adhuc eum causæ Catholicæ zelum vt velint aliquas expensas facere. Multum se nostri causâ facere existimant si equos nobis præstant & aliquam protectionem porrigunt. Angliæ autem Catholici sic vndiq; sunt exhausti vt sibi & suis incarceratis (qui plurimi & afflictissimi sunt) sufficere non valeant. Ego tamen plusquam mille aureos in has res ab illis donatos expendi; quia tamen non ignoro suam Sanctitatem plurimarũ expensarum vrgeri oneribus valde sanè me piget aliquid ab eo petere. Si tamen ex sua sũma benignitate

1582. vellet nobis quadringentos aureos annuos ad duos vel tres annos cõcedere, non dubitaremus multum poſſe in hoc negotio proficiad magnam ſuæ Sanctitatis conſolationem & Reipublicæ Chriſtianæ commodum. Nam hac pecunia potero ſaltem veſtitum aliquem, equos, cæterumque apparatum Sacerdotibus in Scotiam mittendis parare, licet non tantum quantus itineri tanto trecentorum circiter milliarium neceſſarius eſſet, ſed valde contenderem ex quo tantum boni pendere videmus. Itaque ſummopere S. P. rogo, & rogant te vehementer omnes hic Catholici, vt hoc negotium apud ſuam Sanctitatem promoueas, & vt quàm citiſſimè fieri poteſt reſpondeatur de eo quod ſtatutum erit. Videt enim V. P. quibus in anguſtiis verſamur. Si lucrifacere poterimus hunc iuuenem Principem Scotiæ maxima nobis eſſet conſolatio; ſi placuerit ſuæ Sanctitati hanc miſericordiam nobis facere, quàm ſperamus certè, & fere de ſua bonitate præſumimus, tunc aſſignari debet hæc pecunia ſoluenda Nuncio Apoſtolico Pariſijs, vt quater in anno, hoc eſt vnoquoque trimeſtri, ſoluat centum aureos illi de quo ſignificabitur per Euſebium Eugenium, qui forſan erit hic Rothomagenſis Archidiaconus: Ante feſtum natalis Domini expectamus certiſſimam veſtram reſponſionem, ad primam ſolutionem pro anno ſequenti, hoc eſt, centum aureorum. Et ſi ſuæ Sanctitati videbitur, vt hac prima ſola vice poſſemus ducentos aureos recipere (quia multa paranda ſunt) eſſet nobis gratiſſimum, deinceps non expectabimus niſi centũ aureos ſingulis tribus menſibus. Sed de pecunia nimium, niſi pro neceſſitate; & certè perdolet nos ſæpiſſimè, quod ſpiritualia non poſſunt his locis fieri niſi his viliſſimis pecunijs. De Italo quem petunt, V. P. videat quid ſtatuendum ſit; vir mediocris his rebus ſatisfacere non poteſt, & ſcio aptiſſimos vobis veſtriſque ibi rebus tam neceſſarios eſſe vt non poſſint nobis concedi. Quid ergo faciendum erit vobis relinquimus cogitandum: præſtat ſanè non mittere, quàm non idoneum, quia lædet plurimum tum totius cauſæ tum maximè Societatis exiſtimationem: Plura enim multò ab eis expectabunt quàm à nobis qui Angli ſumus; ſi Pater Achilles venire poſſet eſſet, opinor, commodiſſimus. P. Bellarminum non audeo poſtulare: P. Ferdinandus non mihi diſplicet propter alia quę in illo ſunt præter eruditionem. Hiſpanus qui mittendus dicebatur ab omnibus valdè inidoneus iudicatur, licet ob virtutem aptiſſimus, quia nec in humanioribus literis & linguis, quarum hic ſumma ratio habetur, nec in Theologia & Controuerſijs admodum verſatus eſt. Hæc Dominus Bernardinus de Mendoza orator Regis Hiſpaniæ mihi retulit, antequam ego ſciebam illum eſſet mittendum; ſed ille rem expiſcatus fuerat: Eſt enim noſtrarum rerum & Societatis amantiſſimus: & promiſerat ſe in domum ſuam recepturum libentiſſimè Hiſpanum Societatis, ſi vir illuſtris eſſet, vt exiſtimationem cauſæ tueri poſſet; alioquin nullo modo ſe velle illius aduentui conſentire; quia difficile eſt, inquit, vobis exiſtimare quantum offenſionis & ſcandali contingere poſſet vniuerſæ cauſæ ex veſtrorum hominum defectibus vel minimis ſi publici ſint; hinc enim ad maiorem in-

uidiam

uidiam nobis concitandam incipiunt totam caulam nostro solum nomine 1582
oppugnare, & appellant Religionem Catholicam Religionem Iesuitarum: sic enim edicta fuerunt emissa nuper ad Academias Oxonienſem & Cantabrigienſem, ad inquirendum qui Iesuitarum Religioni fauerent, & omnes studiosè ad iurandū adigebant, num aliquem Iesuitis vel Iesuitarum Religioni fauentem agnoscerent vel suspicarentur. Itaque iterum atq; iterū vestrā Paternitatem rogo vt non mittantur huc nisi homines valde idonei; si loco D. Diegi, D. Petrus Ximenes, aut D. Emmanuel Vega missi fuissent (si doctiores dari non poterant) multo fuisset melius, quia illi in humanioribus sunt literis exercitati. Ius autem Canonicum, cuius D. Diegus Professor erat, nullius apud hæreticos est momenti. Hæc præsumpsi simpliciter & perspicuè. T. P. exponere, omnia tamen suo iudicio statuenda referens. Pro negotijs nostris meliūs expediendis & adiuuando vtroque Regno magis, designaui iam duos mercatores Iuuenes ad hoc electos; sunt tamen docti, qui prætextu quorumdam mercatorum magnorum quibus inseruire dicuntur, alter in Angliam, alter in Scotiam ibunt, & redibunt in has partes summa cum libertate & securitate. Illi autem vna à secum merces quasdam habebunt quas statim à catholicis coëmi procurabimus; Ita enim horum mercatorum sumptus aliquo modo supportari poterunt, ac præterea nostris rebus incumbent, præcipuè verò importandis libris, literis, alijsque rebus necessarijs, quamuis & merces quasdam habeant ob meliorem prætextum: Hodie alias literas ex Anglia recepi, quibus intelligo me valde desiderari, maximè ab incarceratis, vt de eleemosynis prouideam: Alij potentiores & prudentiores vrgent vt in negotio Scotiæ aliquid præstem antequam iterum Anglię periculis me committam. Addunt, posse me per literas, & per *D. Gaſparem* cæteris rebus ad tempus subuenire, quod non omitto. *P. Gaſpar* hebdomada præterita venit Londinum ex Prouincia quæ illi incumbit cum bona eleemosyna ad incarceratos subleuandos; quo tempore etiam ad me scripsit, significans summa se esse in gratia apud principes viros eius Prouinciæ; *Pater Guilielmus* ægrotauit aliquantulum post aduentum, sed conualuit, & strenuè laborat. Iterum scribunt de Italo quem apud Regem Scotiæ tanquam linguæ Italicæ præceptorem esse vellent. Si mittatur aliquis, veniat ad domum prædicti Archidiaconi Rhotomagensis, vbi omnia parata inueniet, & accuratam à me directionem. Rhemos & Parisios declinet propter suspicionem. Mihi autem scribatur sub nomine D. Rolandi Cabeli Mercatoris. Scripsit Dominus *Alanus* de auctoritate dispensandi in casibus occurrentibus committenda Nuntio Apostolico Parisijs, & de imprimendis horis Beatæ Virginis latino-Anglicis; Oblecro V. P. Vt hæc promoueat apud suam Sanctitatem, plurimis enim erunt consolationi. Vale.

1583. V. Impetrato deinde *Edmundo Hayo*, & *Guilielmo Chreytono* Scotis qui Scotiæ inuigilarent iuuandæ, hunc cum *Rodulpho Emersono* (qui fuerat *Campiano* itinerum socius) tentare iussit aditum: Is feliciter confectis negotijs Aprilis mense anni octogesimi secundi reuersus, Romam petijt ad vlteriora de ea missione captanda consilia. *Personius* dum hæret in Galliis beneficentia *Ducis Guisiæ* domum parat excipiendis adolescentibus Anglis, atque ad latini sermonis vsum instituendis *Augij*, in finibus Normandiæ quâ Angliam proximè spectat, & quò paucarum horarum non difficili traiectu possent iuuenes delabi. Centum libras nostræ monetæ, hoc est, quadringentos aureos Italicos, ex ærario suo Dux constituit quotannis persoluendos; stetitque solutio dum ille viueret ad annum octogesimum octauum. Ea domo constituta *Personius* in Hispanias profectus, Regi Philippo afflictam rei Catholici causam tanta vi, tantaque auctoritate explicuit, vt bis mille ducatos in singulos annos Rhemensi Seminario decreuerit, & vigesies, & quater mille *Iacobo* Scotiæ Regi iterato numerari iusserit, quo adolescentem Principem conciliaret, & eius matrem in Anglia iussu Elizabethæ cinctam custodibus solaretur: quod quanto studio egerit ipsius met literæ ad Chreytonum datæ testantur his verbis. Ego ab anno octogesimo, quo primùm in Angliam mandato Superiorum appuli, Regis Scotiæ commodis studere omni qua potui ratione cæpi; & statim quidem *Guilielmum VVaytes* Sacerdotem meis expensis in Scotiam ex Anglia misi. Patrem deinde *Holtum* submisi: Et cùm hæc initia non malè succederent, scripsi ad Reuerendissimum Patrem Nostrum vt aliquot viri Societatis ex gente vestra in Scotiam mitterentur: cumque statutum esset vt R. V. experiendi gratiâ præmitteretur, facilè recordabitur qua animi alacritate Rotomago ei adfui; adeo vt socium vnicum quem habebam mihi ipsi detraxerim vt Reuerẽtiam Vestram in Scotiam sequeretur. Reuertenti deinde Reuerentiæ Vestræ neque consilio, neque opere vnquam defui: Iter arduum ac difficillimum in Hispaniam, Olyssiponem vsque suscepi cum magno vitæ periculo; neque cum minori aliud deinde in Flandriam, ac tertium demum Romam vsque. Atque hæc omnia post Deum Regis Scotiæ matrisque sue in gratiam, quibus licet ad vota quæ cupiebantur non esset vtilis opera mea, duabus tamen vicibus viginti quatuor aureorum millia à Rege Hispaniæ in eorum vsum impetraui, & à summo Pontifice Gregorio decimotertio quatuor millia: Cuiusmodi nescio an alij præstiterint officia: Horum tamen cogor mentionem facere vt eis opponam qui Regi me Scotiæ aduersarium faciunt: Ad quos refutandos nemo testis locupletior esse potest quam Reuerentia Vestra, quæ hæc omnia nouit, & meminisse potest. Hæc *Personius*. Qui & *Alano* apud Catholicum Regem laudato strauit viam ad Cardinalis dignitatem; quâ deinde auctus, Societati vniuersæ, atque imprimis *Personio* acceptam eam refert hæc scribens ad eum quem sibi in Rhemensi Seminario Præsidem substituerat.

Personius impetrat domicilũ iuuenibus Anglis Augij.

Proficiscitur in Hispanias,

Literę Personij ad Chreytonum de scotia,

Promouet & Alanum ad Cardinalatum,

Læta

"Læta vobis est & iucunda mea promotio; sed ex hac quantamcunque lætitiæ causam habetis, eò magis vos omnes quibus ego tam carus sum, nouo vinculo teneminiamoris & gratitudinis erga Societatem vniuersam; nominatim verò erga antiquum nostrum & singulariter bonum Patrem, & præcipuum cooperatorem; proximè enim sub Cælo, Pater *Personius* fecit me Cardinalem.) Tum redeuntem ex Lusitania morbus oppressit in Cantabria, detinuitq; Bilbai hyberno tempore. Hyeme exacta reuersus in Gallias, Rhotomagi plerunq; consedit, atque tum Seminario Augiensi promouendo, tum libris edendis, tum aliis tractandis negotiis quæ ad fidem Religionemq amplificandam facerent, quâ poterat opera studioque incubuit. Quam vero necessaria quamque utilis fuerit eius in Galliis diuturnior commoratio ex ipsiusmet literis Parisijs (quò per interualla excurrebat) ad Rectorem Collegij Anglorum de vrbe scriptis poterit amicus lector doceri, quæ sic habent. 1583. Epistola ad Dominum Thomam Bayl. y.

VI. Iam ante intellexisse arbitror Vestram Reuerentiam, Superiorum me iussu his in locis ad tempus fuisse; cùm propter negotia quædam commodius expedienda, tum nè mea præsentia, inimicis odiosissima, amicis existeret grauioris causa pressuræ. Id enim sentiebant Catholici plerique cedendum esse aliquantulum tempori, nec tam voluntati meæ satisfaciendum proprioque desiderio, quàm re ipsa causæ vniuersalis emolumento seruiendum. Cùm ergo nuper in Anglia res essent perturbatissimæ, & furiosa quædam hæreticorum violentia tantum prævaleret vt media quædam nostra & instrumenta præcipua, quibus causa Dei promouebatur interciperentur, eoque processisset furoris æstus, vt omnia susque deque verterentur mei vnius quærendi causa, quod (præter molestiam quæ omnibus inferebatur) fuit etiam fratribus meis & compresbyteris periculosum, qui sæpissimè capiebantur dum ego quærerer; visum fuit in has me partes vicinas ad tempus recipere, vbi cùm aliis minus molestus & periculosus, tum caulæ seu æquè necessarius seu forte vtilior esse possem. Itaque eâ sum hic conditione modò vt licet in Anglia non sim Anglicana tamen cogitem tractemque quotidie; nihilque magis expecto seu expeto, quàm vt quamprimum liceat per eorum bonam veniam in Angliam reuerti quorum hic seu desiderio, iudicioque, seu imperio retineor. Interim cursum nostrum prosequimur ex his locis, nec vnquam mirabilior quàm modo prouentus. Vix est credibile quod narrant nostri de augmento Catholicorum hoc vltimo anno, posteaquam libros quosdam legerunt de rebus spiritualibus scriptos, Sacraque Scripturas Catholicè in nostrum idioma conuersas atque interpretatas. Rerum intelligentes viros prudenteque constanter affirmantes audio existimare se, Catholicos esse modò duplo plures in Anglia quàm ante annum fuerint; hoc quam sit probabile ex eo conijci poterit, quod ex duobus Sacerdotibus recèter huc ex Anglia negotiorum causa missis alter testatus sit, se quatuor Sacerdotes non esse qui in vna sola Prouincia (quæ Hamptonia dicitur) plusquam quadringentos reduxerunt ad Ecclesiæ gremium post vltimum festum Paschatis. Quam vtilis Personius in Gallijs.

1583. Hinc quamuis in dies ex Seminarijs multi in Angliam ingrediuntur Sacerdotes, adhuc tamen queruntur in Prouincijs particularibus deesse Sacerdotes, præcipuè autem plures de Societate petunt; qua de re ad Reuerendum nostrũ Patrem Generalem Dominus *Alanus* & ego iam scripsimus, & insuper rogamus Vestram Reuerentiam vt in hac petitione nostra nos adiuuet. Sex illi vltimi Martyres, hoc est, Kirkamus, Lazius, Hartus, Ionsonus, Thirkellus, & Labornius, qui Superioribus mensibus Eboraci sunt passi, mirabile dederunt fidei incrementum; postque eorum glorioſissimam mortem, non est tantopere in corpora vitaſque sæuitum; sed in bona, fortunas, possessioneſque Catholicorum multo crudelius quàm vnquam; Sacerdotes capti non torquentur equuleo aut occiduntur vt antea; tenentur solum inclusi: quo fit vt clausorum numerus vehementer sit auctus in multis carceribus, V. G. In Castro Hullensi sunt triginta: In equitis Martij Sede Londini viginti sex Sacerdotes: Qui iuuante Deo fere quotidie sacrum faciunt omnes, atque sanè Dei Prouidentia fit vt isti Sacerdotes carceribus inclusi vtiliores nobis nonnunquam sint quàm si essent liberi; ad hos enim cùm certi constanteſque in eodem loco sint, multi possunt accedere qui alios Sacerdotes reperire non possunt. Deinde etiam cùm semper Londini sint, seu in alijs magnis Ciuitatibus aptiores sunt ad transigenda negotia in illis Ciuitatibus, quàm alij qui tot amicos in illis locis non habent, aut si habent vti illis tam audacter non præsumunt, quàm iam incarceratis, nè incidant in pericula quæ incarcerati amplius non timent. Præterea cùm iuuentus Anglicana propter Hæresis licentiam in multa vitia & peccata incurrat, atque propterea non rarò à Magistratu in Carceres conijciantur, mirum est quantum boni capiunt ex consuetudine & conuersatione cum Presbyteris; plus enim sæpe ex illa schola vnius mẽsis spatio addiscunt virtutis, moderationis, atque disciplinæ quàm multis annis in libertate didicissent. His de causis, & aliis, aduersarij nostri non tam libenter modo Sacerdotes capiunt: Imo existimantur esse qui vellent omnes liberos, si honestè & cũ honore suo possent illos carceribus extrudere. Propter quam etiam causam irasci solent iam Hæretici cùm aliqui se facilè Sacerdotes fatentur; sic fuit nuper Lomaxius vester secreto reprehensus à Magistratu, quod comprehensus in portu ad primã Magistratus vocẽ simpliciter est fassus se esse Presbyterum, ex qua eius non necessaria cõfessione coacti fuerunt Carceribus illum mandare: De multitudine Iuuenum qui quotidie ad nos ex vniuersitatibus Anglicanis aliisq́, bonis scholis confugiunt, non est opus orationem longam texere; iam scio audistis ex literis Domini *Alani*, & sentietis efficacius ex illo magno numero aptissimorum scholarium qui hac missione ad vos veniunt, quorum nonnulli recenter ex Anglia venerunt, & gradus literarios in vniuersitatibus acceperunt, statumque rerum Anglicarum abundantissimè & facetissimè vobis narrabunt. Hoc tantum dicam, numerum aduentantium esse tam magnum, vt licet gaudij materiam spemque magnam præbeat quod Deus tot taleſque sua gratia ex Sodoma eijciat, tamen ita Dominum *Alanum*

sumptibus

sumptibus opprimunt partim qui Rhemis degunt, partim qui iter ad vos suscipiunt, vt nisi Deus mirabiliter iuuet nullo modo perferri tanti sumptus possint. Huc etiam accedit quod in dies fere ex Anglia nobiles quidam viri refugiũt cum vxoribus & liberis, vt crudelissimum impetum persecutionis vitent. Qui omnes ad *Alani* auxilium tanquam ad communem Patrem recurrunt; ex quo existimare Reuerentia Vestra potest, & quanto animo & quanto thesauro illi viro opus est ad tam multas & tam varias expensas sustinendas. 1583.

Puritanorum furor tantus esse iam cæpit contra Caluinistas mitiores in Anglia, vt ipsi Caluinistæ aliquando nobiscum mitius agere cogantur. Res enim plane ad arma spectare videtur, nisi quod timeamus omnem vim Caluinistarum citò transituram in factionem Puritanorum, qui nobis multo immaniores sunt hostes quam Caluinistæ. Audistis opinor de tribus libris recenter editis à Puritanis contra Reginam, & omnes Caluinistas, (quos libros hic habemus) & eorum postremus, cuius titulus est, *Postulatio Reformationis sine dilatione*, penitus rebellionem manifestam minatur. Propter quem librum strangularunt nuper in publico duos Puritanos in Prouincia Suffolciæ, cum ingenti murmuratione reliquorum omnium eiusdem sectæ. Catholici ex alia parte dimicant fortiter pro sua fide; queruntur enim cùm libris scriptis, tum etiam sermone se solos plecti & vexari, cùm boni & fideles subditi sint: Puritanos vero, qui manifestè se produnt Reginæ inimicos, liberos esse ab omni vexatione. Hoc regni consiliarij audiunt, dissimulant tamen quia maxima ex parte & ipsi Puritani sunt: Vellent nihilominus nonnullos Catholicos liberare si possent aliquo prætextu bono, saluo honore suo; maximè si Catholici vellent in re aliqua seu minima illis conformari; vnde nuperrimè obtulerunt hanc conditionem viro cuidam pernobili docto, & prudenti, quem iamdiu pessimè tractauerant, videlicet, se illum statim liberaturos carcere, omnesque pecuniarias mulctationes, quæ erant grauissimæ, remissuros, si vnam illis solam rem promitteret; quam cùm ille peteret quænam esset, non est (inquiunt illi) vt abiures Pontificem, seu ad Ecclesiam nostram venias; hæc enim scimus te non facturum; sed tantum Regina vult vt promittas te nullum Iesuitam aut Presbiterum ex recentioribus, quos Seminaria illa proditoria Pontificis huc emittunt, te esse domo tua recepturum. Quibus ille." Si aliquem, inquit, mihi ex Societate, seu ex alijs Seminarijs designaueritis, qui proditionem aliquam in Patriam fecerit, aut aliquod aliud delictum ob quod hostis Reipublicę dici aut haberi debeat, ego illum domo mea non recipiam; Sed in genere, vt ego promittam me illos omnes viros domo mea excluſurum, quos mihi mea Religio tanquam præcipuos Dei seruos proponit, facere non possum, nec audeo, etsi summum mihi mortis periculum instaret ne grauem in me Diuini iudicij iracundiam concitarem.) Quo responso licet primò irati; postea ita tamen sunt commoti, vt illum virum nobilissimum æquiori multo conditione carcere laxarint; licet omnino illum non

Hæreticorum & Catholicorũ discrepantia studia.

Memorabilis constantia viri Catholici.

1583. lum non liberarint; eiusmodi responsa multa Catholicorum prætereo. Hoc vnum tamen præterire non possum, de casu quodam conscientiæ infrà biduum ad me allato, de quodam ex vestris Romanis Sacerdotibus qui modò in Castro Londinensi detinetur; venit enim ad illum superiori hoc mense Minister quidam Hæreticus vt conferret de Controuersijs in Religione; cumque parum apud illum proficeret, petijt Minister cum magno furore an Regina esset Caput Ecclesiæ Anglicanæ? Cui Sacerdos. Quâ, inquit, auctoritate hoc à me petis? (Lege enim cautum est, vt quia responsio ad hanc petitionem capitalis est, nemo possit hoc à quoquam petere nisi ex manifesta auctoritate Reginæ scripto data) Petijt ergo Sacerdos quâ auctoritate & causa? Ad quod Minister, si tu verus esses Christi seruus, nunquàm peteres qua auctoritate, sed simpliciter profitereris Religionem tuam coram quocunque petente; Quâ voce accensus Sacerdos respondit," Tûne mihi timorem obiicis in causa Dei, Hæretice? Ego affirmo igitur Reginam non esse nec esse posse Ecclesiæ Anglicanæ Caput.) Quis ergo est Caput, inquit, Minister? Pontifex Romanus, respondit alter. Heu Proditor exclamat Minister? tu hoc dicis quia vides hic non esse idoneos testes qui te conuincât tuorum verborum; "Non ideo dico, respondet Sacerdos, sed vt à te prouocatus fidem meam profitear.) Si ita est, inquit Hæreticus, scribe hæc eadem verba; "Non est mihi charta seu atramentum, inquit, seruus Dei; sed prout scribere possum, scribam, & accepto carbone scripsit super ostium suum in præsentia Ministri & sui custodis, hæc verba, *Gregorius decimus tertius est Caput Ecclesiæ Anglicanæ & vniuersalis, cui tam Elizabetha Regina, quàm reliquus mundus vniuersus subijci debent, si saluari volunt.* His verbis scriptis & lectis discessit Minister & Custos (arceris; & Sacerdos per multos dies postea mortem expectauit, sed nunc cùm nihil fere per mensem de ea re audiuerit, nonnulli Catholici suadent vt deleat illa verba de ostio suo, nè irritare videatur sua sponte aduersarios; satis diu iam apparuisse in ostio suo fidei professionem: Ille è contra, hoc non audet facere, nec verba expungere, nè videatur hoc ex timore facere, & ne scandalizet illos qui illa verba in ostio suo legerunt, maximè vero custodem suum quem eius confessio constans meliorem facere iam cæpit: Itaque adhuc remanent ea verba discripta in ostio; & nunc Sacerdos petit consilium, An salua Conscientia delere illa possit? Hæc habui ex ipsius Sacerdotis proprio chirographo. Possem esse longior, nisi chartæ penuria me restringeret; Hic ergo sit finis. Vestra Reuerentia videt quantum indigeamus vestris precibus & auxilijs ad perseuerantiam in hoc tanto opere. Orate ergo Deum; Orate etiam suam Sanctitatem, Illustrissimumque Protectorem, cæterosque Dominos & Patronos nostros, vt nobis propitij esse velint. Deinde etiam mittite nobis idoneos operarios qui strenuè iugum Christi promoueant; certissima tandem est futura victoria licet differatur, & acquisitio eius sit laboriosa & sanguinolenta. Salutat vos omnes Birchettus vester qui nuper hic mecum fuit; & salutet quæso Vestra reuerentia amicos nostros omnes, nominatim vero Reuerendum Domi-

Et Georgij Haddock sacerdotis, Vide litteras Annuas 83.

Dominum Episcopum Assaphensem, totamque Societatem nostram, Collegi- 1583.
umque vestrum cui Dominus suam gratiam semper conseruet augeatque. Vale. Mi amantissime suauissimeque Pater. Parisijs 24. Augusti Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo tertio.

VII. In Anglia verò interim non est sine sanguine etiam à nostris decertatum. *Thomas Cottamus* inter sex Sacerdotes cum *Campiano* reus dictus Anno octogesimo primo, atque ad trigesimum Maij insequentis Anni seruatus in vinculis, producitur ad supplicium vna cum *Guilielmo Filbeyo, Luca Kirbeyo,* & *Laurentio Richardsono* Sacerdotibus secularibus. *Cottamus* origine Lancastrensis, à puero educatus ad literas, cùm adoleuisset, relictis parentibus migrans Londinum adhæsit *Thomæ Pondo*; eius industriâ Catholica fide imbutus, transtulit se Duacum, atque in ea Ciuitate pluribus annis Philosophiæ & Theologiæ diligentem nauauit operam. Ea initia accepta habens *Thomæ Pondo* nostro, scriptis hoc argumento literis gratiam refert. " Charitas tua, quemadmodum & eius causa, æterna est: Æterna autem caducis, & cum die interituris conferri quando nequeunt, hæc mea, quam debeo grati animi significatio, nec literis satis exprimi, nec lingua prædicari potest. Memini cum mihi fuisti in solitudine solatio, dux viæ, leuamen angustiato, in necessitate adiutor: Te suggerente diuina miseratio me errantem reuocauit, erexit iacentem, laborantem sustinuit, periclitantem seruauit, restituit perditum. Tanti est amicum habuisse fidelem: Et quanto vincat interuallo homo caste integreque Christianus vulgares & genio deditos, tu demonstrasti. Sapere mihi cæperat iniquitas (quod vehementer doleo) Virtutem nunc sequor; ea mirum in modum animum meum recreat, liberũ iam à curis secularibus, securum ab hostibus, Gehennam non valde metuentem. Magna sunt hæc, quæ tibi debentur omnia, sed illud longe maximum, quod Sanctus Dei Spiritus (vt cum Apostolo loquar) testimonium reddit Spiritui nostro quod sumus Filij Dei. Per hunc ego te Spiritum, per Christũ hodierna die Cælos ascendentem, per Patrem ad cuius dextram sedet, per hunc te obsecro trinum & vnum omnipotentem & immortalem Deum, memor sis semper mei, & tuis me quandoq; solare literis. Ego eundem Deum ad extremum vsque spiritum precabor vt te summa cum honoris sui & dignitatis amplificatione seruet diutissimè incolumem, & Sancto tandem coronet fine. Vale. Ipso Ascensionis Dominicæ die, Anni millesimi quingentesimi septuagesimi quinti.) Tum arctioris disciplinæ desiderio Romam profectus, Tyronibus Societatis adnumeratus est, octauo Aprilis Anni septuagesimi noni. Non multos post menses afflicta vehementer valetudine, ex medicorum consilio mittitur in patriam: de via Lugduni; incidit in Sledum nequissimum delatorem: Hic in congressu cùm odoratus fuisset tendere hominem in Angliam, diligenter notatum nomen, vultum, ac cætera quibus agnosci posset indicia tradidit Oratori Elizabethæ Parisijs commoranti; Orator ad Senatum, Senatus ad portuum custodes transfert in tempus adseruanda. *Cottamus* Rhemos progreditur: Ex Diacono fit Sacerdos. Iunctus *Ioanni Harto*, & *Edwardo*

Thomæ Cottamati & studia,

1583. *Rishtono* transmittit in Angliam. Ex præindicatis signis sistitur in portu, & Hawardo cuidam (qui vnà exscenderat) accepta cautione concreditur, Baroni Cobham Portuum summo Præfecto consignandus. Hawardus cùm primùm ex portu in apertum iter discessisset, *Cottamum* sic alloquitur. " Domine, ego Catholicus cùm sim, non possum sana conscientia te Sacerdotem tradere Magistratui; vnà igitur Londinum proficiscemur; tum ego mihi vt potero cauebo; tu tibi prouide vt voles. Londinum vt venêre; *Cottamus* recta ad carceres doctorum hominum quæsiturus sententiam, vtrum liceret sibi hac ratione elabi cum eius periculo qui cauerat? Aiunt alij, alij negant: Re ad *Personium* delatâ, is plurium collectis sententijs decernit, satiùs esse suo periculo hominis discrimini occurrere; tantam beneuolentiam fideiussori fraudi esse non debere. Non diu fuit quin res ipsa imponeret necessitatem id faciendi. Etenim qui Havvardum habebat cautionem, Londini hominem reperiens, queritur fidem non esse seruatam; se perditum, familiam omnem suam euersam; se de captiuo Sacerdote ad pœnam supplicium que conquiri. Tu itaque Havvarde, quando quidem ita accidit, hodie de captiuo responsurus es portuum procustodi. Havvardus minitantis audacia oppressus, quid (ait) si tuum ego captiuum tibi sistam? dimittes me liberum? vtique, si de te interim alius quispiam fide iubere velit. Reperto sponsore, *Cottamum* amicè appellat; " Scis quâ conditione, quâ lege viuam, quo etiam in periculo sim si in horum hominũ manus venero: Quo loco tu ipse sis nosti, atque quo in discrimine verseris; Ego in vtramuis partem nihil statuo: Tu quid facere velis elige: Nam etsi omnia me manerent tormenta nunquam committam vt vel ego te traham, aut tu vt te tradas suadeam. *Cottamus* ad Cælum erectis oculis manibusque. " Benedictus, inquit, Deus: Nunquam enim mihi tranquilla fuisset mens, si malo tuo ego euasissem:) paucas igitur post horas, suis quibusdam dispositis, hic custodiæ, ille libertati est redditus.

In Portu capitur, & liber, rursus se tradit vincien dum,

Hæreticorum insana crudelitas.

VIII. Videre nunc erit Hæreticorum hominum vafram, dementemq; ie crudelitatem; nulla adferebatur rei capitalis criminatio; nihil inerat nisi Sacerdotium quapropter iste teneretur. Inaudierant Cottamum quendam in suspicionẽ criminis cuiusdam venisse. *Thomam* igitur interrogant tanquã eius auctorẽ criminis quid nomine pœnæ sibi fuisset inter confitendum abaliquo retrò tempore impositum? Vt vim paratorum tormentorũ euaderet quædam quasi per iocũ fatetur. Petunt, propter quæ sua crimina fuerit illa pœna imposita? Tum fraudem subodoratus respondet, se Deo & Sacerdoti vicario Dei, quod peccatũ esset solere confiteri, præterea nemini. Quæstioni confestim admotum vrgent; tacentem lacerant; querentem inhumanum id esse ac barbarum, conuellunt; negantem se etiamsi tormentis necaretur quidquam de se alijsue enuntiaturum, furore perciti crudelissimè distendunt. Quæ cùm deinde pro Tribunali à sceleris suspicione se liberans palam obijceret, & Odoënus Hoptonus, solita sua mentiendi facultate, negare vellet, appellauit Commissarios

reliquos Deumque testem veritatis, atque in primis Georgium Caræum qui præsens huiusmodi quædam ipse quæsisset, & sciebat asyntheta hæc à Sacris fidei testibus pluries quæri. Tum ad solitas interrogationes delapsi (quas meritò sanguinarias appellauerat *Campianus*) quærunt, Quid de Bulla Pij Quinti? An illi sententiæ omnes in Anglia teneantur obsequi vti legitimæ? vtrum illa, aut quauis alia sententia non obstante, censenda sit Regina legitimè imperare, Angli omnes ei Reginæ teneantur obtemperare? An Papa potuerit concedere Nobilibus in Septentrione, aut Sandero in Hybernia, licentiam aduersus Reginam arma mouendi, inuadendi Regni, rebellandi? vtrum Pontifex habeat potestatem, quacunque demum de causa, absoluendi subditos Reginę, aut quorumcunque Principum, ab obedientia & fide quam iurarunt? Vtrum Sanderus in visibili sua Monarchia, & Bristous in Motiuis, de hac Bulla tractantes, doctrinam tradant veram an falsam? Denique si Pontifex declararet Reginam non legitimè imperare, subditos verò ab obedientia solutos esse, aut si quis Princeps Pontificis auctoritate motus in Angliam inferret arma quam partem tu sequerere? aut quam à bono ciue sequendam arbitrarere? Quas omnes quæstiones *Cottamus* hac vna responsione conatus est declinare; "Sentio in his omnibus quemadmodum tota sentit Ecclesia Catholicorum;) neque aliud potuere extorquere. Postremò tertium genus vexationis inuenere, quo Sacerdotes Catholicos ad suas partes sectandas si possent, inducerent. A quinto Februarij ad Pentecosten vsque iubent omnes velint nolint, trahi ad Conciones Hæreticas quæ habebantur in Arce. Hîc, Argumentis, mendacijs, conuicijs agitur audacissimè, solertissimeque ab selectis corrupti verbi Ministris. Nihil efficiunt; miles stipabat corpora, mente in veritatem intenta liberi Christi pugiles, vel inter dicendum arguebant Magistros erroris, vel cùm ex loco superiori abijssent, nequidquam prohibente Odoëno Hoptono, & consueta sibi barbarie tormenta intentante. Ioannem Nicolai Apostatam *Cottamus* in primis aggressus, illum atque adstantes omnes monuit officij: Rem agi seriam, salutem sempiternam: Hanc non quibuscunque è terra natis, aut lucro erectis hominibus committendam, sed legitimè ad eam prædicandam destinatis. Ea libertas existimata est acceleraſſe iter ad coronam.

1585. Interrogationes sanguinariæ. Trahitur cum aliis sacerdotibus ad Hæreticas conciones.

IX. Cum *Campiano* quando accusabatur quod Romæ aut Rhemis ad tollendam Reginā consensisset, leue illud solummodò atq; inane ad probandum tantum scelus allatum est, quòd sub idem cum illo tempus in Insulam transmigasset; Quod de Bulla Pij rogatus tacuisset; Quòd librū Aspilquetæ Nauarri de Casibus, cùm caperetur, habuisset in sarcina, atq; in eo notata quædam quæ ad Reginæ supremam in Ecclesiasticis potestatē infirmandam facerent. Is de libro nihil se scire affirmabat; si quis repertus esset, inscio se à quopiā intrusum nihil ad se pertinere. De Bulla respondisse quod Catholicum deceret, se cum vniuersa Ecclesia sentire: Causam verò itineris in patriā aliam non fuisse quàm fractam Romanis caloribus valetudinē; si ea stetisset, se procul Angliâ in Indias fuisse soluturū; illi itineri prīdē nomen dedisse nullade reuisenda patria reliquâ cogita-

Quam leui fundamento accusatus.

1584. cogitatione: *sed in præiudicio nequidquam calumniæ refelluntur quantumcunque sint falsæ:* Moriendum fuit quia Sacerdos Catholicus cum Catholicis consentiēs. Tertio Calendas Iunij cum tribus quos dixi Sacerdotibus ductus ad supplicium, vltimus moritur. Mira enim calliditate hominis animum tentarunt à recto auertere, & atrocitate carnificinæ, & spe potiundæ vitæ. Nam secundo tertioque iussus est socios intueri & cùm de ligno penderent & cùm disruptis cultro visceribus nudarentur intestina ventris & pectoris, & capitibus præcisis membra dissecarentur. Ille sublatis in Cælum oculis, modò se Deo, modò confligentes Martyres commendabat. " Bone *Iesu* aiebat, quale est hoc spectaculum? O Domine, dimitte illis: Domine *Iesu* da seruo tuo gratiam perseuerandi vsque in finem.) Tum laxato fune demissum de vehiculo spe lactant impunitatis. Nouimus, inquiunt, te valetudinis cupiditate huc transfretasse; apud misericordem Reginam facilè erit vitam impetrare; profitere tantum hic publicè te non eâdem de causa quâ cæteri venisse in Angliam; Pontificis verò rationes de Sacerdotibus huc submittendis tibi non probari; Reginam agnosce supremam Gubernatricem, cui vni res Angliæ commissæ sunt ac præterea nemini: Quid hæres? cur vitam atroci morti non præfers? tot emensus itinera vt saluti consulas, oblatam abijcis? At inuictus pugil foueam sibi parari intelligens, non gratiam; elata voce profitetur," non latum vnguem discessurum se à Catholica fide; mille vitas si haberet eas omnes neglecturum potius: Gratam se habere Reginæ clementiam, atque vt diu sit illa incolumis & fælix precari; aliam verò agnoscere non posse in ea potestatem quàm agnoscit Ecclesia vniuersa.) Itaque cùm nihil proficerent, euectum rursus in plaustrum vrgent vt veniam petat commissi criminis in Reginam: Tum ille: " Nullo, inquit, crimine Reginam læsi: vtramque illi salutem animi & corporis vehementer opto, atque hanc ipsam mortem, & plura libentissimè sustinerem cruciamenta quò illa in æternum salua esse possit. Deum precor vt mihi quidquid peccaui ignoscat; & si quid aliud ex eius gloria dicendum superfit, vti id mihi ipse velit subijcere. Rogo vt mihi cæteri omnes ignoscant quemadmodum ego omnibus ex animo ignosco. Et quanquam peccata huius regni seueram Dei euocent vltionem, precor vti auertere velit hanc suam iustam iram, & cunctis tribuere meliores de Religione cogitationes.) Apprehensa deinde Carnificis manu," Deus, ait, tibi ignoscat, & faciat te seruum suum: Attende tibi & precare Dei gratiam; ille tibi eam non negabit. Is qui Pauli Apostoli sustulit caput, vnâ sanguinis guttâ lacteicoloris aspersus resipuit & euasit Christi seruus; hoc tibi vt contingat opto.) Denique Magistratu iubente proditorem tolli, subducto curru pependit, innocentis animæ præmia sempiterna recepturus. Cùm nudaretur pectus, apparuit cilicio ad carnem presso pœnas de seipse cepisse? quas etsi hæretici risu plerunque excipiunt, non potuere tamen in tam piè moriente Sacerdote non mirari, & Catholici cum veneratione conspexêre.

Quantum tentatus in ipso supplicio,

Eius vltima verba,

X. Iudi-

X. Iudiciorum verò atrox hoc genus & barbarum, quo per inaudita tormentorum nomina vexati Sacerdotes, ac leuibus fictisque indiciis damnati tollebantur in crucem, & proditorum ritu semiuiui lacerabantur, quantumcunque ijs qui in Senatu Regio erant potentiores videri potuit & honestum & vtile (prudentiam obnubente Religionis odio) Reginæ tamen & crudele, & tetrum, & infame existimatum est. Itaque reiectis præteritarum crudelitatum rationibus quas prætendebant ij qui quæstionibus erant præfecti, cessare voluit hos ab huiusmodi cruciamentis, Iudices etiam tantisper à sententia mortis inferenda. Id quod fortasse non tam Iudicio tribuendum, aut cum Cambdeno, clementiæ, quàm metui nè cum Galliarum Rege Henrico tertio susciendæ essent inimicitiæ. Nam is cùm solicitaretur vt demortuo Alensomo fratri succederet in protectionem Rebellium Belgarum respondit, per Pontificem & canones non licere iungi fœdera cum hæreticis; cum ijs præsertim qui iniustis decretis truculentisque suppliciis Sacerdotes innocentes è medio tollerent: Sed fuerit id prudentiæ aut timoris, acerbitas certè vniuersa ablata non est, sed mutata in præsens exilio, aucta deinde legibus haud paulo seuerioribus, torquendi etiam iuribus, quantacunque cum iniuria, redditis, vt in loco dicetur. Anno octogesimo quinto septuaginta Sacerdotes electi sunt, vt ijs quæ extorres experiri necesse est incommodis exercerentur; neque id satis: Famam, quâ potuere versutiâ atque audaciâ, & boni nominis odorem deturpare sunt conati. Ex varijs Carceribus vrbis viginti primùm selecti qui Henrico Derbiæ Comiti proficiscenti in Gallias argumento essent nouum hoc genus manluetudinis & clementiæ apud eum Regem extollendi. Inter primos fuere *Gaspar Haywodus*, *Iacobus Bosgrauius*, *Ioannes Hartus*, & *Edwardus Rishtonus* (qui deinde scripsit Historiam de Schismate, & multa Hæreticorum machinamenta detexit) Monitis de migratione nihil libertatis concessum nisi vt præsente audientesque custode cum familiaribus tractarent de sumptu comparando; qui quantulus esse potuit ijs in angustijs? discedendum tamen fuit: Cùm imponerentur naui *Heywodus* cæteris antiquior, suo Sociorumq; nomine queritur, insontes se exilio mulctari; fidei propagandæ causâ venisse in Angliam; eius tuendæ desiderio libentius mansuros; vitæ discrimina, volentibus animis cum solatio Catholicorum, cum spe in cunctos fructus commutaturos: Mortem in votis esse potius quàm vitam, quò inconcussam Religionis defendendæ voluntatem viui mortuique testari possent. Petunt deinde ostendi sibi literas quibus iubebantur exulare: Non impetrant; sublatis anchoris nauigant: Duobus post diebus, magnam Oceani partem præteruecti rursus de literis exilij quærunt, vt fiat copia legendi aut audiendi: Proferuntur. Confestim in capite scriptum apparet; " Hi omnes variarum seditionum rei ac conspirationum in Reginam & Regnum, harumque suo ipsorum aut aliorum testimonio, palam in iudicio condemnati, vel earum causa carcere detenti, quanquam extremo digni supplicio, clementiâ tamen Reginæ iubentur hac vice solum vertere &c.

1585. Immanitas iudiciorum displicet Reginæ.

Cambden, Anno 27. Elizabethæ

septuaginta sacerdotes Ao. vno electi in exilium, Cambden, supra, Ribadenei ral. 2, c. 38

Fraus Hæreticorum & calumnia,

1585. Quæ cum legerentur, qui motus? Quæ lachrymæ? cùm intolerandum animi dolorem continere nemo posset: Grauem acerbamq; conditionem suam lamentabantur vniuersi; querebantur se proditos, atque deterrimis calumniis iniuriâ oppressos exulare: Nullum testem in se, nullius confessionm produci posse, qui conspirationis maculam tam grandem, aut consensionis aduersus Reginam & Regnum queat inurere. Rogabant verti vela; in Angliam reuehi; sisti Tribunalibus; quò innocentiam palam demonstrarent, aut vitam fine apud suos glorioso clauderent. Nihil obtinent. Cùm exscendissent, noua fraus occurrit depellenda: sparserant aduersarij, metu cruciatuum & mortis petijsse hos omnes transuectionem; vel, quod peius est, consentiendo in quibusdam cum Hæreticis meritos esse clementiam: sed facilè fuit ista diluere cùm extemplo perspiceretur quàm prompti vniuersi essent ad reditum in Insulam quandocunque per superiores suos liceret, nulla tormentorum, nulla mortis acerbissimæ habita ratione, atque interim inuicem se solabantur quod cum Apostolis *digni habiti fuissent pro nomine Iesu Contumeliam pati*.

Gaspar Haywood

XI. Hæc cunctis accidêre; nunc singulorum rationes inspiciamus, qui quidem ad nostram Societatem pertinuêre. *Gaspar Heywodus* (Frater minor natu *Elizæi*, cuius ante facta est mentio) Filius Ioannis Heywood, Nobilis poëtæ & *Thomæ Mori* æqualis, vigesimo septimo ætatis anno, Artium Magister, & Sacerdos, adiunctus est Societati in domo Professa Romana vigesimo primo Maij anni sexagesimi secundi Post duorum Annorum Theologiâ missus Dilingam, Conscientiæ & controuersas cum Hæreticis quæstiones explicuit annis septendecim, ad Doctoris interea in Theologia, & ad quatuor votorum gradum promotus: Atque vt erat in Hæbræis doctissimus, breuem facilemque eius discendæ linguæ methodum digessit in tabulas. Huius missionem in Anglicam Messem Gregorius XIII. Pontifex clauum Ecclesiæ eo tempore tenens, & in huius similibus Angliæ salutem, quanto studio prosecutus fuerit testantur literæ ad Bauariæ ducem Guilielmum datæ, in cuius ditione ijs annis versabatur Haywodus: In Hæc verba.

Dilecto Filio nobili viro
Guilielmo Bauariæ Duci.

Dilecte Fili, Nobilis vir, salutem. Quod olim monuit Apostolos suos Dominus noster Iesus Christus, hoc etiam nos monet quotidie, *Messis multa, operarij autem pauci; rogate ergo Dominum Messis vt mittat operarios in Messem suam* Rogamus nos quidem, sed debemus etiam pro nostro munere & Ecclesiarum omnium solicitudine ab eius bonitate nobis imposita, eos quos maximè idoneos esse cognouimus, mittere, & curare vt in hoc negotio Catholicos Principes, in quibus Nobilitatem tuam imprimis numeramus, adiutores habeamus. Postulant Sacerdotes Sodalitatis Iesu qui in Anglia sunt, vt mittamus eò ipsorum studij, & assidui pro Christi gloria atque animarum salute laboris, adiutores: Nominant autem imprimis dilectum filium Gaspa-

rem

rem Hayvodum Anglum, eius ipsius Sodalitatis Sacerdotem: Sperant enim 1585.
eius auctoritatem, quæ ibi non modica est, magno sibi vsui futuram. Voluimus hoc significare Nobilitati tuæ: Interest autem summopere ad Dei gloriam, quam solum spectamus, atque ad eorum quos mittimus incolumitatem, eos quos mittimus quàm secretissime discedere Perspectum habemus Nobilitatē tuam, & causam ipsam & nostrum zelum vehementer probaturam, libenterque Hayvodium in hac tanta necessitate à se dimissuram. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 27 Maij 1581. Pontificatus nostri anno nono.

In Angliam cùm venisset vna cum *Guilielmo Holto* Anno octogesimo primo, abiente deinde in Gallijs *Personio* præfuit nostris. In conuentu Sacerdotum, cùm disceptaretur de ieiunij, deque festis diebus dissensit à *Personio*, cupiebatque antiquas Anglię consuetudines ad normam recentiorum Canonum reduci. Hinc natus sermo inter aduersarios Societatis discrepasse *Heywodum* à *Personio* in pluribus; *Personius* in Apologia negat, nam & in isto accessit ad eius sententiam, neque postea variarunt. Podagræ doloribus frequenter afflictus, non potuit *Campianum* cæterosque æquare laboribus. Solutus præterea morbi causâ ieiunij legibus cùm carnibus vesceretur, non æque omnes libertatem illam interpretabantur. Accidit vt Schismatici vteretur hospitio (hominis ab Catholica non multum dissentientis, & Sacerdotibus propter vxorem quam habebat Catholicam beneuoli.) Pluribus cum Haywodo conuiuis (diebus quas vocant Rogationum) paratur mensa vtroque cibi genere instructa; Alij cum *Haywodo* & Hospite carnibus, alij cum hospita pisce se reficiunt. Oritur super mensa disceptatio de huiusmodi varietate. Rationem reddit *Haywodus* quam tradunt Theologi multiplicem. Tam vehementer tamen hospiti displicuit variatio vt non mediocriter videretur infensus. Nam non ita multo post prodit in forum, emptoque exemplari Edicti de Sacerdotibus in exilium pellendis, redit ad *Haywodum*; rogat An illo ipse tangeretur. Vtique, inquit *Haywodus*: at tua in domo securus sum. Itáne verò? At ego hanc tibi securitatem nunquam promisi; neque tantopere mihi placet vestra viuendi sentiendique ratio, vt tui causâ velim caput & bona prodigere Itaque ex hoc tempore captiuum te teneo. Vxoris lachrymæ & promissa pecunia valuere vt noctu dimitteretur. *Tanti est videre quo loco, & sub quorum oculis etiam permissâ vtaris libertate. Haywodum* & tempora indies deteriora, & perpetuis infesta inquisitionibus vt plurimum latere compulerunt. Deo tamen disponente incidit in casses vbi securitatem quàm maximè Capitur.
sperare potuisset. Nam vocatus in Gallias & ab ipso penè Normanniæ litore aduerso vento reiectus in Angliam, tentus, & in vincula coniectus est. Ducitur deinde cum alijs Sacerdotibus ad dicendum de capite, neque hic tutus à fraude. Etenim ad ingressum Aulæ West Monasterienſis ante ipsa iudicum subsellia retractus à cęteris vicinum in conclaue custodiendus includitur: Hominem videlicet doctum & eloquentem noluere Socijs esse præsidio. Tum etiam com-

1585. mouendos existimauere cæterorum animos, cùm quid de illo, quamúe ob causam actum esset dubitarent, vacillasletne in fide an se Reginæ, cui puellæ puer seruisset) obsequentiorem quàm par esset præbuisset! Quod Hoptonus tacitè

Exulat, insinuarat; & procliue erat suspicari. Sed reductus ad carcerem nullis abduci promissis, nullis terroribus concuti potuit. Cùm vertisset solum, migrauit Dolam Burgundiæ. Isthic sæpius ab immisso de nocte, veneficarum præstigijs,

Literę Neapolitanę malo dæmone exceptus est alapis atque verberibus. Post varia remedia, posito super cubiculi mensam Venerabili cum lumine, sperauit frustrà quietem. Nam intempesta nocte consuetus hospes ingressus (formam gerebat obscuræ felis) factâ Venerabili profundâ reuerentia, extinguit lumina, tum *Heywoodum* rursus infestare aggreditur: Neque fuere reliqui eius Collegij Socij immunes. Ambulanti præterea per agros cum Socio, occurrêre aliquando fædæ mulieres duæ, maturatoque gradu medios accepêre; tum leuiter vtrumque tetigere cubito, cùm sereno vndique cælo, exorta subitò tetra nubes duos operuit, atque oppidò perplutos remisit domum, mirantibus cunctis cur in solos illos tantum aquarum, cùm vndequaque summa esset serenitas. Post quatuor annos profectus Romam, deinde Neapoli consedit. Literæ Neapolitanæ tradunt quauis pia de causa facilem fuisse ad lachrymas, siue super mensâ legeretur, siue cùm Sacrosanctum Sacrificium ipse faceret, siue de rebus Sacris esset sermo; nihil singulare in vltima senectute parari sibi voluisse, consuetis contento; ad campanæ etiam sonum promptissimum, siue ad laxandum animum pulsaretur, siue ad colligendum; vt ex subita oris motuumque compositione intelligeretur celeritatem non tam laxamento quàm obedientiæ tributam. In morti proximum rursus incurrit malus dæmon, insusurrans æternis pœnis addicendum eo quod rectâ fide destitueretur. At ille elatâ voce Patrem mendacij compellans: "Menturis, inquit; nam ego rectæ fidei causa & carcerem & exilium passus sum, & nunc pro eadem tuenda morior extorris; quid quod aduersus Hæreticos eam blasphemantes multis annis de cathedra decertaui?) Plura obijcientem hostę, mendacij semper redarguens, tandem vt cuiusnam auxilio potiretur victoriæ palam esset; " Gratias, inquit, ago tibi dilectissima Domina Mater Dei mei, quod in subsidium mihi venire dignata es, & immitem hostem volueris propulsare.) In qua voce placidissimam animam reddidit Creatori, nono Ianuarij anni nonagesimi octaui, cùm annos ætatis explesset sexaginta tres, Societatis initæ triginta sex, Professionis viginti octo. Quæ vitæ mortisque testata encomia facilè tetrum odorem depellunt, quem Hospinianus in sua Iesuitica Historia (seu conficta potius fabella) afflare conatur viro qui cum pietatis & prudentiæ laude ad extremum vsque spiritum vitam exegit. Quanam enim ratione is qui in minimis erat obsequentissimus, literas ad exteros mitteret ijs celandas quibus antequam mitterentur ostendi in mandatis erat? quo vero consilio ostenderet quæ probari non potuerunt? pietas igitur à mittendis, prudentia à scribendis deterrebat, quando ne scribi quidem oportet ea quæ vtrum proband a sint meritò dubites: deinde quæ esse potuerunt ordinationes Superiorum circa Sacramentum

tum pœnitentiæ tam admirandæ, quæ dogmata alia tam inaudita, vt nè ad au- 1585.
res quidem Generalis *Claudij* peruenire potuerint, nisi narrante *Haywodo*? quod Holpinianus vult esse in literis: Quas cùm ipse non existimauerit esse in lucem edendas integras, & post viginti annos mancas recitauerit, eo fictioni propinquiores demonstrat; præterquam quod in annorum Societatis, & Professionis numero, multum aberrat à vero; & non vnum *Haywoodum* hac calumnia conspurcare, sed & *Campianum* & *Personium* & præcipuè *Garnettum* fœdissimis proscindere pergit iniuriis, vt falsis indicibus vlum esse, aut fallere voluisse necesse sit, & quâ ex fœce ea tota fabula in auras emerserit prudens quisque atque consideratus perspicere non difficulter queat.

XI. *Iacobus Bosgrauius* Godmanstonij in agro Dorcestrensi natus, Rhetoricæ & Philosophiæ dedit operam Romæ; in Societatem cooptatus decimo septimo Nouembris anni sexagesimi quarti: In Germaniam deinde & Poloniam profectus, Sacerdotio initatus est Olomucij anno septuagesimo secundo. Tum Rhetoribus, Philosophis, Mathematicis, de Religione quæstionibus, Græcis etiam & Hæbræis literis explicandis annos duodecim insumpsit. Anno eius sæculi octogesimo, recreandæ inter cætera valetudinis gratiâ in patriam redux, quam carcer medicinam ægritudini facere posset confestim experiri necesse habuit. Nam breui interuallo captus, in summi Tribuni sedem datus est custodiendus. Isthic fortitudo in perferendo, scientia in dicendo quantum imbecillitati corporis emineat palam ostendit. Volitabant per ea tempora Walkerus & Fulkus, & huiusmodi permulti errorum Magistri, auidi gloriæ; qui cùm vinculis onustos Sacerdotes, quos non poterant superare argumentis, clamoribus grauassent, victoriam suo de cerebro natam in vulgus spargebant. *Bosgrauius* igitur, *Sherwinus*, *Hartus*, & alij, ne quid Religio damni pateretur ab mendacio, publicam disputationem petunt ijs conditionibus, quæ (si seruatæ) non rumore falli sinerent, sed ipsa re veritatem docere possent eos qui audirent: Neque refugere videbantur aduersarij: In illius anni mense nono, Georgius Caræus ei sedi Præfectus, ad Commentariensem transmittit mandata, vt si inter Papistas (quo nomine per ludibrium vocabat Catholicos) si, inquam, essent qui Religionem suam cuperent disputando defendere, Capita conscriberent, nominibusque defendentium appositis pararent se ad conflictum; breui post tempore se quo loco, quo tempore, & quibus conditionibus disceptatio ineunda esset significaturum. Scribuntur Capita, adduntur nomina, traduntur obsignata, mittuntur ad Caræum, & ad pseudo Euangelij Ministros. Non placent istis quæ à Sacerdotibus collecta sunt argumẽta certaminis; dant alia, quæ nostri non recusant; Dies dicitur vigesimus nonus Decembris, Thomæ Cantuariensi sacer: magna est expectatio diei & concertationis. At aduersarij diem non expectantes, *Bosgrauium* & *Hartum* rapiunt in Arcem cruciatibus non disputationibus exercendos. Nam *Sherwinum* pridem ipsis nonis eius mensis eodem transtulerant, & decimoquinto & vndeuigesimo diebus crudelissimè torserant, quò firmior, scilicet

Iacobus Bosgraue.

Cátalogus Romanus Ai. 1560.

Capitur.

Petit cum alijs publicam disputationem.

1585. licet, esset ad certamen literarium sustinendum, quod deinde cum *Campiano*, vti memorauimus initum est, *Bosgrauio* quidem præsente cum alijs, quanquã nemini præterquam *Campiano* & *Shermino* dicendi potestas fuit. Respondenti deinde *Bosgrauio* de capite tria obijciebantur. Negasse Reginæ supremam potestatem in spiritualibus: Interrogatum de Bulla *Pij* nihil certi respondisse: Auditu accepisse Pontificem, Hispaniarum Regem, & magnum ducem Hetruriæ in Reginam conspirasse, neque id Magistratui Anglo detexisse. Quasi verò quidquid huius generis auditu accipitur id à singulis debeat confestim ad Magistratũ deferri cum quo fundamento dicatur incertum est, & plurimæ sint viæ multo certiores quibus ista cum primum concipiuntur ad Magistratus perueniant. Consensisse autem cum *Campiano* & cæteris ad tollendam Reginam (quæ feralis sententiæ causa fuit) quî potuit is qui maximis regionibus disiunctus tam multis annis tamque suis ignotus vitam egit vt matetnæ etiam linguæ obliuisceretur; neminem autem eorum quibuscum conspirasse accusabatur nisi cùm in carcerem venit conspexisset: *Sed vilis est vita cuiuslibet quem qualibet de causa oderis*: atque ita iudicari Hæreticorum rationibus vtile existimabatur. Attamen hunc capite inter cæteros damnatum non nece, sed exilio mulctarunt, ea fortasse de causa quod *Stephanus* Poloniæ Rex illum pridem ab *Elizabetha* repetierat, magno eum ornans præconio in hæc verba.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ,
Magnus Dux Lithuaniæ, Serenissimæ Principi
Dominæ Elizabethæ, eadem Dei gratiâ, Angliæ.

Detinetur iam pridem vinctus in Regno Serenitatis Vestræ *Iacobus Bosgrauius* Theologus Societatis *Iesu* & Professor in Academia Vilnensi nostrâ, (ad cuius pietatem & Doctrinam ora multi obuerterunt sua) nullam aliam, vt audiuimus, ob causam nisi quod Catholicam Romanam Religionem cum lacte ipso materno haustam complexus, nauiter adhuc profiteatur. Equidem non dubitamus quin Serenitas vestra intelligat quanti interfit hominem pietate & eruditione præstantem ab Academia ea quam ipse quasi excolere diligenter expetat tanto abesse tempore. Nos quidem certè absentiam eius rei literariæ multum incommodatisse facilè perspicimus, quæ causa est vt diligenter à Serenitate Vestra petamus, velit in gratiam nostram eum Theologum liberum nobis transmittere, vt in pristina locatus statione pietatem literasque bonas nostros edocere pergat, qui Ecclesiæ & Reip. magno futuri sunt vsui & ornamento. Non dubitamus Serenitatem vestram pro sua erga nos beneuolentia hunc hominem donaturam esse, neque commissuram vt cùm Serenitatis vestræ hominibus Religione quâ libet in Regno nostro pijs esse liberum sit, nostris capitale esse debeat; cum cæteroqui speremus breui futurum esse vt Serenitas vestra benignitate & clementia sua Regia cæteros itidem Catholicos iubeat esse liberos. Fecerit Serenitas vestra rem humanitati consentaneam, nobis vero admodum gratam: quam bene ac feliciter valere cupimus. Datum Niepolomicijs die vigesimo nono Ianuarij, Anni Domini M. D. LXXXIII. Regni vero nostri

vero nostri anno septimo. Tantam autem humanitatem nond[u]m n- 1587.
duerat *Elizabetha*, quin rem iudicio permiserit experiendam, vt si qu[a]e causa iusta reperiri posset damnandi non parceret; cum nulla reperta esset quasi in gratiam Regis remitteretur. Rursus igitur in Poloniam ab litore Gallico Exulat
profectus, reliquam in ea Prouincia consumpsit ætatem, trium votorum Professus Calizzij vigesimo quinto Aprilis Anni sexcentesimi quarti, atq; vndevigesimo post anno septuagenario maior, sexto Calẽdas Nouembres duplici exilio liber migrauit è vita, laboribus & cruciatibus repositam laureã accepturus.

XIII. *Ioannes Hartus* antequam in Societatem admitteretur sociustribulationum, vt primum in hostium manus venit missus est Oxonium, qua in Ac- Camb. Anno 27. Elizabethæ,
cademia gradu Baccalaurei in Theologia insignis fuerat, & quoniam ad excellentem doctrinam (omnium enim Sacerdotum eius temporis doctissimum prædicat Camdenus) species oris & totius corporis dignitas accesserat, sperabant, si non argumentis, at blandimentis atque promissis, & veteris Academiæ gloria capiendũ. Duos vel tres menses illa tenuit aucupatio. Cum oleum & operam perderent, remittitur Londinum ad carceres. *Bosgrauio & Shermino* additur comes in summi Tribuni sede primùm, tum vnà ad Arcem ra- Cruciatur,
pitur. Rei capitalis cum Brianto & socijs damnatur. Post sententiam rursus sermonibus & cruciamentis aggrediuntur quatere omni armorum genere munitam constantiam; demittunt in caueam viginti pedes in terra profundam, aëre humido, pædore & tenebris horridam: Post nouem dies extractum atque eò paratiorem, scilicet, ad luctandum committunt cum Reynaldo inter hæreticos Doctoris nomine gloriante, vt quod vexationi deerat argumentis euincerent. At ille ex infirmitate fortior, prostrato aduersario, quanta sit veritatis vis præ inani titulo facile demonstrauit. Perseuerantem in sententia onerant ferro, tum alios quatuor supra quadraginta dies rursus in Epistola Kirbęi in Concertatione,
caueam demergunt. In illis vnus & alter abit annus, vt non immeritò ex commilitonibus vnus scripserit," *Ioannem Hartum* difficile & diuturnum certamen subijsse: quieto tamen pacatoque esse animo.) Atque hæc cùm præter Iudicis sententiam, præterque legum ordinem, priuatorum hominum arbitrio ad vnius hominis animum infringendum commutandumq; excogitata, proposita, gesta sint (nam damnato non plus irrogandum est pœnæ quàm sententia postulat) videre est quàm iniqua cõditione apud huiusmodi humanitatis expertes viros Sacerdotes detinebantur, vbi quod cuique liberet cruciamenti genus inferre licitum statim esset; tum certe quantum illis decedit honoris, quòd nè vnum quidem nostrorũ tot machinamentis à sententia dimouere potuerint, tantum triumphatori Christo accedit gloriæ, qui veritatem & virtu- Exulat,
tem omnibus Dæmonis artibus reddidit potentiorem. In exilium deinde cum Moritur,
primis eiectus, Virduni Societatem inijt, quam tanto ardore in vinculis expetierat vt iam tum censeretur cooptatus. Virduno Romam atque in Poloniam Annales Iarosłauienses, Ai 94. & 95.
missus, Iaroslauij diem clausit extremum, decimo quarto calendas Augusti anni consequentis. Septem deinde post annos cùm aperiretur sepulchrum vt

1587. ex alieno in nostra transferretur, repertum cadauer integrum digniori loco conditum est. Cùm autem hæc exilij pœna benignitati Reginæ tributa sit qualis ea & quanta fuerit, leges eodem anno octogesimo quinto in Sacerdotes & profugos constitutæ demonstrant. Nam cùm hi viginti, (quos dixi) deportati fuissent duodecimo calendas Februarias; in Martio sequenti proscripti sunt Sacerdotes vniuersi qui à primo anno Elizabethæ initiati, & qui deinceps initiarentur, atque intra dies 40. iubentur abire regno. Qui redirent, & qui reduces acciperent, fouerentque hospitio, illi Maiestatis, hi Feloniæ, hoc est, Capitis rei, & bonorum omnium ærario Regio inferendorum iacturæ obnoxij dicebantur. Educati etiam in Seminarijs si non redirent intra sex menses, eodem cum proditoribus ordine censebantur. Is qui iuuenem mitteret ad Seminaria quadringentis aureis, qui mitteretur hæreditate excidebat, ni redux se legibus, hoc est, Hæresi accommodaret. Qui subsidia profugis conferret, is omnium facultatum facturus iacturam & carceri perpetuo erat addicendus. Præclara sanè & omnibus sæculis deprædicanda clementia.

Lege noua Proscribuntur sacerdotes. &c,

Initia & progessus turbarum in semina, Anglor, de vrbe,

XIV. Hæc dum à Magistratu Hæretico aperte geruntur in Anglia, quò pulsis Pastoribus facilius gregem perdat & dissipet; eundem occultè cuniculis humani generis teterrimus hostis oppugnat, fouendo quos paratos inuenerat extra Insulam ad concitandas turbas, & nouas in Insula commouendo. Anno post sesquimillesimum 79. communibus votis expetita Societas, Rectorem Seminarij de vrbe dederat *Alphonsum Agazzarium* Senensem, hominẽ industriũ, & sedulũ, atque ad pietatem & rem promouendam accommodatissimũ, & (quod in omni externa gubernatione prouidendum est) amantem gentis & causæ: Hic auctis Seminarij possessionibus, tam magnum ad Religionis incremẽtum in auditorũ suorum animis desideriũ excitarat, vt ijs nouem quibus rexit annis, centũ fere operarij in Messem missi numerarentur, nouendecim in Societatem nominis *Iesu* sint adscripti. Quid ageret fraudulentus serpens? Veteri Politicorum omnium instituto, Senatus Angliæ quadruplatores vbiq; alebat fouebatq; qui simulata Religione ac pietate cum in piorum consortium ac in ipsa Seminaria subdolè irrepsissent, veris ficta miscentes, quidquid agebatur Rhemis, aut Romæ, & quidquid dolosâ mente ipsi sibi cõminiscebantur agitari, Senatui per literas, vel per cõsimilis farinę nũtios suggerebant. Pars etiã ducta æmulatione, vel quod *Alani* & *Personij* consilia non probabant, vel quia consilijs non semper ipsi adhibebantur, pacem seminariorũ & quæcunq; alij in rem Catholicã conferre studebant, conabãtur turbare. In illis fuit Vauxius quidã, quem detectũ Inquisitores vinculis coërcuere: Et Salomon Aldredus Walsinghamij deinde apertè familiaris; & Fisherus, in iudicio demũ de fraude conuictus. In istis, Carolus Pagettus, Thomas Morganus, Thomas & Franciscus Throckmortoni, Paræus, Griffithius & Batsonius, qui potentiorum quorundam partibus adhærentes, *Gregorio* & *Sixto* Pontificibus spem faciebant mitius in Anglia agendum cum Catholicis si *Alanus* & *Personius* abstinerent à scribendo, & ab reliqua negotiorum ad Angliam pertinentium tractatione: tum etiam maximè, si qui essent ex Societate *Iesu* euocarentur ex Anglia,

Falsi Fratres,

Æmuli,

neque

neque in posterum alij mitterentur; deinde (quod mirere à Catholicis profi- 1587.
cisci potuisse) tantis viris suadere conati sunt, crudele esse mittere innocentes Literæ Alani ad Pontificem,
Sacerdotes ad certissimam in Anglia carnificinam cum exigua spe fructus; rectius impendi posse sumptus Pontificios, si priuatis quibusdam liberaliter succurreretur, quàm si in Seminaria conferantur, infirma videlicet & imbecillia Religionis adiumenta: Denique disciplinam Collegij de vrbe calumniantes, aptiorem aiebant pueris esse quàm viris formandis, ijs præsertim viris qui cùm in Academijs adoleuissent, pridè sibi ipsis moderandis videbantur idonei. Quę cùm inexperti atque inexercitati in vrbe Catholici huius nationis arbitrarentur rationi proxima, procliue erat dissentionem inter Seminaristas ipsos atque ab Superioribus alere; cùm illi si quid licentiæ negaretur facilè quererentur, & faciles gentilium suorum aures haberent apud quos querelas deponerent; Hi verò à constituto non facilè discederent. Tum occultioribus machinamentis ad pietatem propensos animos aggrediens, pietatem malus ipse dæmon simulat. In medio ponit quæstionem, Quis status excellentior? Eorum qui se vo- simulata Pietas,
to adstringunt nè quid operis etiam probatissimi præter superiorum voluntatem moliantur? An qui Collegij sponsione de Sacerdotio suscepta, confestim alacres ad pericula, ad insidias, ad ergastula, ad cruciamenta, ad cruces propagandæ fidei causâ procurrunt? Vtque *est Iuuenilis ardor audentium plerumque alacritatis, quàm consideratorum hominum lentitudinis studiosior*, vadunt frequentes in istam sententiam, & Sacerdotum hanc promisso obligatam liberalitatem, omnium ordinum sponsionibus anteferendam esse magnis animis contendunt. Abeunt dies sat multi in ista disceptatione; ardent vtrimque animi; cauitque aduersarius, vt nè, sicut in scholis, voce bellum gereretur, animo pax coleretur; dum voce contenditur, serit ipse intus in animo amaritudinem, & Seminarium in partes diuidit distrahitque; non iam ad augendam inflammandamque pietatem, sed ad partium studia res pia conuertitur; deprelsâ vniuersim propositi Religiosi existimatione, pedetentim Superiores Religiosi negliguntur. Tum quandoquidem *non vnæ artes ad omnem vsquequaque nequitiam prosunt* (non minus varius ipse quàm fallax) Quoniam omnibus suadere non potuit quod proposuerat, quos ad vota Religiosa propensiores animaduertit, suis ipsorũ relinquit consilijs; abeant ad Religiosos ordines, modò nè Societatem *Iesu* amplectãtur: Vno penè tempore septem ad Fratrum Prædicatorum laudatissimum ordinem profugiunt: Vtinam animo sat consulto, & constanti. Nam vti inscijs Superioribus Seminarij, proprio ducti ingenio, tantum onus suscepêre, pari deinde inconstantiâ susceptum non longo post interuallo plerique deposuere & à Seminarij præclaris ornamentis, & ab Religiosissimi ordinis splendore deiecti. Capita contentionis Capita dissidij,
fuere, is in primis quem olim *Personio* in Academia Oxonienſi inuidisse diximus; tum illi omnes quos cùm tædium Disciplinæ in Superiores armasset, re per Episcopos Placentiæ & Castri diligenter examinata, iubente *Sixto* quinto dimissos, varij deinde exitus & plerunque infelices excepere.

1587. Nam *Tydderus, Shawe, Bell, Maior,* Sacerdotes, fidem cum castimonia exuêre: *Giffordus* & *Gratleyus* non sat cautam cum VValsinghamio alijsque Hæreticis familiaritatem colentes literarumque commercium, suo bono non diu latuere, Illi Parisijs, huic Patauij, eodem mandante Pontifice, iniectæ sunt manus: Et *Giffordus* quidem re iudicata condemnatus, Lutetiæ in carcere multo cum dolore præteritarum transactionum mortuus est. *Gratleyus* Romam perductus, & apud Inquisitores sat multis annis asseruatus, in Apulia deinde extorris superuixit. Alij in Angliam profecti, consimilibus artibus Insulam vniuersam atque ipsos fide tuenda sacratos carceres plurima in *Alanum* & in Societatem inuidia compleuere. *Alanus* hoc tempore Romæ domicilium fixerat; huius auctoritas atque *Personij* industria ad componendos Alumnorum animos plurimum valuere: Inter cætera ad quietem tantata remedia illud etiam propositum, vt Rector daretur Anglis Anglus, quicum familiarius fortassis, & maiori cum fiducia, si qua viderentur grauamina, communicarent. *Guilielmus Holt* primus eum locum sortitus est, exeunte anno octogesimo sexto; deinde isto in Flandriam misso, *Iosephus Creswellus*: Quo anno in Purpuratorum Patrum Senatum *Alanus* cooptatus, quo dignitate eminebat, eo potentius ad omnem conciliandæ conseruandæque pacis rationem adlaborabat: Et Romæ quidem præsentem colebant verebanturque; absentem in Anglia non deerant qui æmulatione ducti calumnijs infectarentur, & quòd Hispanis nimium obnoxius, & quòd cum Societate nimium coniunctus videretur: Ijdem videlicet de quibus ipse ante initam dignitatem, sic ad Rectorem de vrbe quibusdam in literis; "Illustrissimo Protectori illud tantum scribo, vt auertat aures ab otiosis & inuidis quibusdam hominibus, qui Patrum & Collegiorum officia omnia dicunt esse in potestate nostra &c.) Quæ eadem querimonia, verso nomine, in Societatem iactabatur, quasi nobis omnia parerent, nostris consilijs cuncta in Anglia, & extra Angliam gererentur. Quàm longè verò illa querela propagata sit, & quàm acerbo cum fructu, hic compendio narrare non incongruum duxi, & plurium annorum tempestatem paucarum paginarum angustijs coercere potius quàm reliquam Historiam perpetuis inuoluendo fluctibus nauseam lectori excitare.

Remedia,

Rector seminarij de Vrbe Anglus,

Literæ Alani Ao, 82,

Continuata Patrum Missio in Anglia, Thomas Mettamus,

XV. Antequam *Heywodus* & cæteri exularent, *Thomas Mettamus* Sacerdos, ætate, doctrina, & virtute venerabilis, post decem circiter annorum perpessos carceres, in Societatem cooptatus est; sic enim de illo *Personius* ad Ribadeneiram, decimo septimo Calendas Octobris anni octogesimi quarti. Quod attinet ad nostræ Societatis homines in Anglia, duo Presbyteri fuere occisi, *Campianus* & *Cottamus*: Carceribus tenentur quatuor, *Heywodus* & *Bosgrauius* in Castro Londinensi, *Metamus* & *Pondus* in Wisbicensi, quorum hi duo manent &c.) Et certiores literæ *Mercuriani* Generalis ad ipsum *Mettamum* datæ. Magnam (inquit) ex litteris Dominationis Vestræ ad *Darbishirum* nostrum scriptis cæpi in Domino consolationem, propter illud Sanctum & salutare desiderium quod in ipsis ostendebat; quod

Mercuriani Literæ ad Mettamum,

cum

cum ex Spiritu Sancto esse non dubitemus, iniuriam facere omnium do- 1587.
norum ac gratiarum largitori vereremur, nisi nos quoque ex parte nostrâ Dominationis vestræ votis cooperaremur, & consolationi quantum in nobis est prospiceremus. Quare pro ea quam nobis Christus quanquam indignis dedit in hanc Societatem potestate, Dominationem Vestram in nostrum gregem recipimus, & huic nostro, qualecunque est, corpori adiungimus, eamq; ex nunc quasi viuum & verum membrum in spiritu amplectentes, omnium nostrorum seu laborum, seu meritorum, seu gratiarum participem facimus. Speramus equidem diuinam bonitatem, cuius proprium est desiderium pauperum exaudire, hoc etiam nobis aliquando concelluram, vt Dominatio Vestra istis ærumnis erepta, nostra sit non solo animo & affectu, sed re etiam ipsa & opere. Sed tamen si diuinum beneplacitum aliud quidpiam statuerit, Dominum orabimus vt sempiterno fœdere saltem in Cælo coniungat. Interea verò quamdiu ita tulerit Domini voluntas, non minus existimare debet se esse Societatis, licet in vinculis, licet corpore admodum destitutus: Quin potius quo maiora & acerbiora pro Christo pertulerit, eo magis existimare debet se coram Domino, qui corda intuetur, Christi discipulum, & Societatis verum esse filium. Est tamen quod moneam, vt Dominatio Vestra consilium suum, concessi onemq; hanc nostram, nemini temerè aperiat, nec omnino nisi & nullum periculum, & aliqua magna vtilitas apparuerit. Nos autem Dominum *Iesum* Christum precabimur vt Dominationis Vestræ animam suis benedictionibus largè præuenire, & virtute ex alto inducre dignetur, vt condignis operibus tantæ vocationi respondere queat, & illam nec persecutio, nec gladius, neque instantia, neq; futura separare possint à charitate quæ est in Christo *Iesu*, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen. Romæ quarta Maij Anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono.) Hunc literæ Romanæ anni nonagesimi secundi hoc ornant Elogio: " In Anglia Sanctus Christi Confessor *Thomas Mettamus* morte Iustorum moritur in Custodia, quâ propter fidem Catholicam, septimum iam & decimum annum detinebatur; Martyrio eo molestiori quo diuturniori. Venerat etiam in Angliam *Guilielmus VVestonus* anno octogesimo tertio: Is qui veneratione *Campiani*, adscito *Edmundi* nomine, multam & arduis perferendis, & ex virtute præclarè factis sibi & Societati, etiam apud aduersarios, excitauit existimationem. Tum anno octogesimo sexto *Henricus Garnettus* & *Robertus Southwellus* numerum & splendorem auxere operariorum. *Guilielmus VVestonus* ortus Maidstonij in agro Cantiano, & *Campiani* in Academia Oxoniensi æqualis, postquam ad fidem Catholicam animum adiecisset, annos natus viginti quinque Romam proficiscens adscriptus est in Societatem ipsis nonis Nouembribus anni septuagesimi quinti, atque anno sequenti à Prouinciali Beticæ deductus Montiliam. Peracto Montiliæ tyrocinij aliquanto tempore Philosophiam repetijt Cordubę (erat enim in Artibus Baccalaureus) & audiuit Theologos: tum vno aut altero anno reliquis Societatis Ministerijs cum

Moritur.

Guilielmus VVestonus, Henricus Garnettus, Robertus southwellus.

VVestoni. Initia.

Vide Peraltam in eius vita.

1587. cum insigni fructu adhibitus est Gadibus primùm deinde ad Sanctum Lucam, & Hispali, ad Anglos præcipuè ijs in emporijs iuuandos; quanquã & ad indigenas eius pertinuit industria non sine opinione illo etiam tempore sanctitatis. Notabatur enim iam tum in illo indefessum precandi studium cum corporis aspera tractatione coniunctum, humilitas etiam singularis quam innata affabilitas condiebat. Qui eodem cum ipso vtebantur cubiculo frequentissimè nixum genibus reperiebant, vt studendo orare, & orando studere videretur: tum etiam sub mensa incuruum nè quies ipsa sine molestia esset, humilia verò culinæ obire officia illi erat propè quotidianum. Anno octogesimo secũdo vocatus in Angliam, nouam vestem interiorem quam paratam ad iter reperit, intactam reliquit veteri contentus; equum verò de via confestim vendidit, & pedes confecit iter in Gallias, vbi cum *Personium* conuenisset, acceptis ab eo literis ad notam non procul Londino domum, amicè quidem habitus est, sed vt erant illa tempora timoribus suspicionibusque plenissima, non ausa est hera tantum hospiti ignoto fidere vt sineret pernoctare: itaque honestè dimissus diuersum carpit iter Londinum versus, ne si communi tritoq; incederet à quopiam fortasse maleuolo obseruaretur; cùm enim indicia à *Personio* data Hera non agnoscceret, nouumq; videretur *Personij* nomen, *VVestonus* ipse aberrasse se domo existimabat, vel nouos inquilinos insedisse: paucos vero post dies incidit in Sacerdotem qui ad eandem domum deductum Heræ commendauit; Illa facti pœnitens, & metum ipsa suum accusans, hominem colit, & viam ad multorum Catholicorum notitiam aperit. Hinc Philippum Arondeliæ Comitem anno insequenti reddidit Ecclesiæ, & ad vitam summa cum laude pietatis & moderationis instituendam salutaribus præceptis instruxit, alios complures in viam reduxit, firmauitque Catholicos. Duobus annis libertatem vltro citroque commeandi retinuit; tum dolo malo captus, in atrium Wintonienſe Londini datus est in custodiam. Illustrissima Arondeliæ Comitissa habitu mentito intromissa in carcerem obtulit pecuniâ libertatem redimere: At. " Nequaquam, inquit *Westonus*; Non mihi hæc captiuitas obuenit pecuniæ causa; pecuniâ, me volente, non redimetur: Deus cùm volet eorum animos qui me hic clauserunt permouebit vt restituar libertati; in eius Prouidentia conquiesco.) In atrio Wintonienſi nauta quidam tenebatur quem ad exportandas occultè merces conduxerant nocturni fures; hic cum frequens ad *VVestonum* seruitij causa itaret, pecuniolam aliquando petijt, quâ libertatem emere sperabat: " Dabo, inquit Westonus, at tu libertatem non impetrabis; prouide itaque animæ tuæ, eamque in tuto colloca) simulque quid esset agendum docuit; quæ ille cùm auidè & sæpius audiuisset factus Catholicus damnatur. Quæsitus ad cænam Caluinisticam cum cęteris facinorosis ante supplicium pro more sumendam, professus se Catholicum recusauit. Tum oblatâ vitâ & libertate si omissis nostris eorum rursus rationes sequi vellet, perstitit in fide recens recepta constans, & miseram hanc vitam certâ spe gloriæ sempiternæ commutauit.

Capiturnec vult redimi pecuniâ

Nautæ cõuersio,

Alter

Alter quamuis Catholicus inducere in animum non poterat vt quæ olim peccauerat fateretur, sperans inediâ & cætera carcerum duritie fidei causa toleratâ labem omnem contractam eluere: fefellerat eum malus dæmon, & vanâ primùm lactatum spe, demum in desperationem adactum turbâ suorum asseclarum in conclaue vbi iacebat irrumpentium obsidebat. Adit hominem *VVestonus*; solatur; hortatur; spem facit importunos hostes effugandos si se Christi instituto & Ecclesiæ moribus accommodet, rogando quædam aperit illi viam ad reliqua, donec vero oborto dolore factus sui-ipsius-met acculator, quos singulos prius conspexerat recedentes, nunc turmatim fugatos stare cernit ad ostium minantes si progrederetur: Euincit tamen atq; ab omnibus liber, salutaribus Sacramentis donatus & refectus, ad reliqua carceris incommoda cum merito sustinenda munitus est. 1587. Et Catholici desperabundi,

XVII. Apud Wisbicum in finibus Cantabrigiensibus & Norfolciensibus Arx est loco humidissimo posita, paludibus vndequaque cincta. Huc Magistratus Hæreticus Sacerdotes complures Londino transtulerat; eo fortasse animo vt quos puderet publicè plectere, loci pestilentia conficeret; vel certè vt frequentissima ciuitate absentibus & annona esset arctior, & minor cum proximo de salute æterna agendi opportunitas. Isthuc *VVestonus* post aliquot annos transmissus reperit supra triginta Sacerdotes Catholicos & Laicos quosdam summâ mentis æquabilitate, animorum concordiâ integerrimâ; admirabili actionum omnium diurnarum nocturnarumque dispositione cælestem imitantes vitam: erat frequens precatio, lectio diligens, diuinarum literarum in certas horas distributa interpretatio; nihil nisi Sanctum in suorum aut heterodoxorum aures oculosue incurrebat. Hi aduentu *VVestoni* læti (quem fama Sanctitatis & Doctrinæ & multarum pro Christi fide perpessionum præcucurrerat) eum adhibent adiutorem, & penè ducem eius quod susceperant propositi: Ipsum in disputationibus de dogmatibus Controuersis posuere moderatorem, ipsum Græcæ & Hebraicæ linguæ interpretem; ipsum congregati auidissimè de rectæ vitæ legibus differentem audiebant. Et erat illi vitæ genus de quo sibi meritò omnes promittere possent ea quæ essent diuinissima. Nam inter precandum noctes iungebat diebus, vt Sacerdos qui erat ei contubernalis assereret, toto anno non vidisse se in lecto stratum, nisi paucis diebus cùm esset æger; reliquo tempore aut stans, aut sedens, aut in genua procumbens orabat, somni aliquantulum carpens tum solum cùm opprimeretur; inter æquales humilis, in alloquijs mitis in se seuerus, in reliquos facilis, omnes pij ac prudentis viri partes adimplebat. Sacerdotum proborum in arce wisbicen viuendi ratio,

Post annorum aliquot curriculum inducuntur, fidei quidem causâ detenti, at acerbo atque inquieto ingenio, & in Societatē malè animati homines duo; Is videlicet quem sæpius dixi vir inuidus, & Doctor quidam medicus; quorum libenter parco nominibus, quoniam licet iudicio ipsi suo à Societatis rationibus dissenserint, eamque verbo sæpius & scripto lacessiuerint, quo tamen loco eorum nunc nomina scribenda sint, Dei Iudicio permittendum Vnde nata turbatio,

1587. tendum eſſe arbitror; quando ex relationibus vnde iſta hauriuntur ea cognoſcere poterit curioſus quiſque lector; & *famæ mortuorum quo-quo modo poſsis non conſulere à natura alienum eſt.* At hi duo natura indomiti, & cuiuſuis impatientes diſciplinæ, cùm ſibi ex antiquioribus tertium ingenij ſimilitudine adiunxiſſent (mortuo præſertim *Thoma Mettamo* qui auctoritate ſua hunc cæteroſque aliquouſque continuerat) omnia faſtidire; diuinarum literarum prælectiones negligere; dicentem ad congregatos *VVeſtonum* carpere; nihil ſibi velle præſcribi; non horas, non exercitationes, non precandi ſtudendiue tempora; ſoluti denique legibus vagam incertamque viuendi rationem adamare: *Vtque eſt libertas* (quantumuis licentiæ proxima) *ad coniungendas amicitias vehemens illecebra*, applicant ſe non pauci ad horum familiaritatem, & domum vniuerſam in partes diſſecant. Inde natæ compotationes, contentiones, clamores, iurgia; ad manus etiam venitur nonnunquam, nulla clericalis ordinis habitâ reuerentiâ. Ita *otium ſemper vitiorum omnium ianua eſt*: Vtque ruptis aggeribus nihil ab inundantium aquarum mole tutum eſt, ita hîc nihil Sanctum, nihil ab intemperantis linguæ & vitæ hominibus immune eſſe potuit. Itaque moderatiores octodecim Sacerdotes cum *VVeſtono* & *Pondo*, cæterorum vitato commercio apud ſe habitant, nè quod neceſſe erat ſcandalum naſci in omnes propagaretur. Non-dum à ſummis Pontificibus datus fuerat in Anglia laborantibus Presbyteris Superior aliquis; vnuſquiſque eo ardore quo ex Seminarijs redierat opus ſuſceptum perſequebatur; ſi quid arduj, ſi quid inſoliti accideret, id aut inter ſe inito priuatim conſilio definiebatur, aut ad eos ibatur quos Parentes in exilio experti fuerant; quidam ad *Alanum*, quidam ad Societatem, prout opportunum cuique eſſet confugiebant. Hi octodecim quos dixi quoniam *VVeſtonum* commodum ſibi ad officia pietatis & doctrinæ adiutorem ſenſerant, ſcriptis ad *Garnettum* litteris (ad quem iam cura Societatis in Anglia deuenerat) rogant vti liceat *VVeſtono*, quantumuis reluctanti, eorum rationibus præeſſe, & non conſcientias ſolum, ſed omnem diurnarum nocturnarumque actionum curſum regere. *Garnettus*, vt erat præſentium intelligens, futurorum prouidus, eo vſque deſcendit vt concederet *VVeſtonum* Directorem: At Superioris titulo ſignisque abſtineret; neque locum in menſa aut alibi eminentiorem ſortiretur, neque quemquam leges ab ipſiſmet ſibi præſcriptas tranſgredientem puniret aut reprehenderet, neque in dubijs quæ occurrerent cauſam ſibi ſumeret definiendam. Hac qualicunque eius operâ contenti, hortantur cæteros tredecim vt vnâ pacem colant, atque indefinitum illud viuendi genus vitijs quam pluribus obnoxium, paucis ijſque facilibus legibus ſecum circumſcribant. Illi palam reluctari, diſceſſionem octodecim Schiſmatis nomine infamare; ridere regimen democraticum; *Garnetti* limitationes occultam per cuniculos ad tractanda gubernacula inuaſionem interpretari; dicere leges, Anabaptiſtarum moribus (qui omnes pares ſunt) viciniores eſſe, quàm Eccleſiæ; Arianorum vetera deliramenta introduci, quos inter illud vulgare erat *noſtra ſecta non curat canos.* Indignum denique eſſe vt Sacerdotes poteſtate pluſquam Epiſcopali inſignes coërceantur limitibus

mitibus ab ijs præscriptis qui nulla supra cæteros dignitate eminerent. Et plures quidem tentatæ sunt viæ ad leniendos continendosq́; certis limitibus fe- 1587.
roces animos; at nihil ita firmum reperiri potuit vt esset diuturnum, nè diuinæ quidem iræ ostentata in contumaces seueritas; Nam Doctor ille Medicus repentè vsu linguæ & vitæ excidit; Alter quidam Sacerdos ad Hæreticos deficiens in PseudoEpiscopi Londinensis familiam decorum cooptari existimauit.

XVIII. Interea temporis graues quidam & Docti Sacerdotes cùm perspicerent quanta cum die irrepere possent mala, si nullus tam multis qui quotannis ex Seminarijs prodibant Iuniores, daretur Superior, sed suo semper omnes ingenio permitterentur, quanta præterea oriri necesse erat cõmoda ex mutua inter se consiliorum auxiliorumq́ue communione, agitare cæperunt animo coniunctionem quandam omnium per Angliam Sacerdotum sub certis moderatoribus, quorum vnus Septentrionalibus, alter Meridionalibus Regionibus præesset; quam coniunctionem *Associationis* nomine celebrabant, seu imitatione seu æmulatione Societatis, cuius splendorem ex coniunctione plurium sub vno capite animorumque concordia propagari non immerito arbitrabantur. Iam conceptis legibus formam quandam scripserant modumq́ue regiminis per Rectores, Assistentes, Secretarium, & cætera officia: Quinam etiam essent admittendi, qui pellendi, quæ ratio in conuentibus, quæ in Appellationibus, quæ esset tenenda in pœnis. Dum plurium assensus & subscriptio quæritur, quidam dant nomina; quidam rem probant, de modo disputant, & de euentu: Quod enim nulla positum auctoritate, sola consensione niteretur, quàm facilè cæptum tam facilè deseri posse existimabant cùm primum se ostenderet quantalibet à natura cuiusuis aut à ratione discrepans sententia. *Alanus* etiam Romæ intellexerat eam quam Morganus, Pagettus & Throckmortoni excitauerant in Galliis fouebantq́ue contentionem aduersus se & Societatem *Iesu* in Angliam irrupisse, plureisq́ue Sacerdotes traxisse in partem; cui curandæ nullum potentius remedium se offerebat quàm vt caput aliquod clero daretur, à quo pax & tranquillitas tum inter Sacerdotes coalesceret tum ad reliquos per ipsos deriuaretur: Sacerdotes ipsi cæterique considerationes Catholici eadem optabant, & missis duobus in vrbem flagitabant. Itaque re in deliberatione posita, & quæsito viro cui tantum onus cum dignitate imponeretur, post multorum in Anglia & extra Angliam rogatas sententias, pleriſque consentientibus in *Georgium Blackwellum*, is Clementi octauo, (eo tempore ad Ecclesiæ clauum ledenti,) proponitur, & non ita multo post literis Cardinalis Caietani Angliæ Protectoris inauguratur *Superior Cleri Anglicani*, cum potestate & nomine *Archipresbyteri Angliæ*, additis duodecim Assistentibus qui ei essent à consilijs; sed quæ res pacis & tranquillitatis studio concepta est, ea non paucorum animos commouit, & in diuersa distraxit. Alij grauiter ferre se cùm rogarentur suffragia, vel cùm eligerentur qui

Idea Associationis inter Sacerdotes.

Cõstituitur Archipresbyter Pontifis auctoritate.

1587. aliquibus dissentientibus. assisterent esse prætermissos: Alij non in vnum omnia conferri, sed duos constitui optabant, eosque Episcopos: Nouum enim esse dicebant hoc nomen potestatemque *Archipresbyteri*, atque in tanto Sacerdotum numero, quantus in Anglia iam esset, inuetám. Alij vniuersum hoc genus nomenque regiminis ab hominibus Societatis aiebant esse profectum, vt per viros sibi propter acceptam dignitatem obnoxios clero reliquo imperarent: Tum quòd Protectoris rescripto res tota niteretur, non Breui Pontificio, infirmam esse dicebant hanc omnem potestatem & minimè admittendam; sibi verò hoc deberi vt suos sibi Superiores eligant; id Canonibus vicinius esse, atque Ecclesiasticæ consuetudini. Alij eo vsque progressi sunt vt quoniam à Pontifice profecta esset auctoritas, periculo plenum esse asserent si quis ei se subderet; is enim qui potestatẽ externam in hoc Regnum agnoscit, omnium facultatum iactura, & perpetuo carcere mulctatur, lege quam vocant *Præmunire*: Pauci denique electum ipsum *Blackwellum* & parcè perstringebant; erat enim plurimorum sententiâ, pietate, prudentia, doctrina, rerum vsu, facilitate morum dignus auctoritate & loco quem tenebat: Quod autem *Archipresbyteri* nomine, non *Episcopi* sacratiore dignitate vtendum esse censuerit summus Pontifex, id ipsiusmet & Purpuratorum Patrum consilio tribuendum est, non ad Societatis aut vnius *Personij* suggestionem reijciendum; Hic enim de *Episcopo* in Angliam destinando non semel neque negligenter egit. Nam Londino decimo septimo Septembris anni octogesimi, Rectorem Seminarij de vrbe scriptis literis sic alloquitur. "Ingens est necessitas *Episcopi*, qui nobis oleum Sacrum ad Baptismum, & ad Extremam-Vnctionem conficiat &c. Ob cuius defectum redacti sumus in magnas angustias, & nisi sua Sanctitas maturè nobis in hac re succurrat, nescimus quid breui sit faciendum: Speramus suam Sanctitatem breui aliquem submministraturum; certè interest ad communem causam vt aliquem citò habeamus.) Hoc ipso verò tempore quo palam agebatur de Superiore constituendo, nouem rationes scripto digestas, (quod etiam nunc extat) suæ Sanctitati & Cardinalibus obtulit, quibus vtilitatem necessitatemque duorum *Episcoporum* in Anglia explicabat: Et quoniam erat quæstio non leuis de sumptu ad eam sustentandam dignitatem, pridem egerat cum illustrissimo viro Don Francisco de Sarmiento, Episcopo Iaënnensi de eo submministrando; qui quantum duobus vel tribus alendis sufficeret liberaliter adpromisit, Quod testantur *Personij* literæ ad *Alanum* anno nonagesimo secundo scriptæ. At visum est suæ Sanctitati *Archipresbyterum* instituere, in quem maxima Sacerdotum pars animis libentissimis sua contulêre studia, & communibus literis animorum consensionem atque lætitiam commonstrauere. Id certè mirum est, & humanæ imbecillitatis insigne argumentum, quòd ex grauissimis doctissimisque viris aliqui, atq; ex ijs qui primi ordinem inter Sacerdotes constitui concupierant, & priuatim ad laborauerant, potuerint in eum errorem

Quid Personius egerit pro Episcopo in Anglia constituendo.

rorem trahi vt existimarent publicam hanc & à legitimis superioribus pro- 1587.
fectam, præscriptam, commendatam, imperatamque potestatem non modò negligendam sed & damnandam esse, & quanto possent conatu arcendam. Ita videlicet *quæ nostra sunt impotenter amamus & colimus; eadem ab alijs subiecta reijcimus, auersamur.* Quando verò in ea Controuersia, multorum annorum contentione, ad rei Catholicæ ingens detrimentum & optimorum quorumcunque nauseam agitata, dicta, scriptaque sint plura quæ non Societatem nostram tantum sed Sanctæ sedis auctoritatem ac gubernandi rationem tangunt; pauca è multis hic adijcienda existimaui quibus diluantur illa quæ Apostolicæ Cathedræ videri possent iniuria, & quæ de modo agendi Societatis non sunt rectè intellecta illustrentur.

XIX. Nam quod quidam additum hoc dicerent ad cumulum pressuratum quod etiam pene inscijs ipsis, & absque minima notitia ipsorum consensus, fuerit superior impositus. Primùm vt de plenitudine potestatis quam suaSanctitas obtinet in vniuersa per orbem Ecclesia prætermittamus dicere, deque varijs Regnorum moribus in Præsentatione, Electioneque Prælatorum; si res ista agenda necessariò fuisset per multorum suffragia, quorum nam erant postulanda? An omnium qui per Angliam dispersi erant Sacerdotum? At quo exemplo? cùm omnes in locum vnum conuenire non potuerint, neque ab omnibus per literas suffragia colligi, neque facilè Sacerdotum in in Anglia numerus definiri. Rogatas verò fuisse quorundam sententias antequam *Archipresbyter* eligeretur certissimum est. Aderant enim tunc temporis Romæ *Richardus Haddocus* Sacræ Theologiæ Doctor, & Doctor *Martinus Arrayus*, Sacerdotes ambo antiqui, & quibus Reuerendi *Archipresbyteri* merita & doctrina erant notissima; Et ille vnus erat ex illorum numero qui ab illis in Anglia Presbyteris qui Superiorem desiderabant, proponebantur ad suffragia pro Episcopatu suscipiendo, vt mirum sit electionem displicere potuisse cùm ad Archipresbyteratum promoueretur. Petita fuerant etiam ex vrbe ab *Henrico Garnetto* nomina antiquiorum in Anglia Presbyterorum, vt ex ijs vel vnus vel tres ad Episcopatū (id enim initio Romæ fixum ac deliberarum fuerat) sex vero alij ad Archipresbyteratus gradum eucherentur. Extantque in *Garnetti* aduersarijs tertio Decembris Anni 97. eorum nomina quæ ab eo notata fuerunt; inter quos ij recensentur qui se deinde preteritos grauissimè sunt conquesti, vt vel inde appareat fides atque sinceritas Societatis. Nec dubium est *Personij* quoq; ea in re petitum esse iudicium. Integrū verò est Pontifici summo, aut Cardinali Protectori quos volent in consilium adhibere; Integrum etiam fuit Reuerendo *Archipresbytero* suos consiliarios atque Officiales per se eligere, id quod per totam Ecclesiā ab alijs Prælatis vsurpari notum est; neq; Eminentissimus Protector aut Pontifex, cum sint omniū nostrûm pijssimi Parentes, peregrini in rebus nostris cēsendi sunt. Quod autē Superior iste à Societate electus sit, itidemq; Assistentes, ōnino à vero abhorret.

De modo eligendi Archipresbyterum,

Quorum fuere petita suffragia, & quid societas in re tota fecerit, Ex Epistola Garnetti ad amicum sacerdotē.

1587. Extant variæ literę Eminētissimi Protectoris, quibus Reuerendum *Archipresbyterum* à se delectum profitetur: Ex duodecim vero Assistentibus priores sex ab eodem Protectore, posteriores ab ipso *Archipresbytero* electi sunt. Quid vero refert qua occasione, quo modo, quoue informatore quiduis Pontifex iubeat? Iethro, homo Gentilis, consilium Moysi dedit de Senioribus constituendis; Sara (vt humano iudicio videri potest) iracundior, Abrahæ de ejcienda Ancilla & filio eius suasit; vtrumque à Deo probatum est. Factum igitur in hoc genere Pontificis, quocunque demum consultore vsus fuerit, factum potuit esse Dei; eoque magis quòd ex pessimè etiam factis, Dei factum occasione quadam existere possit: Id quod in plurimis Dei actionibus accidere cernimus; multa enim permittit mala, vt inde peritissimus artifex eliciat bona. Literas verò institutionis à *Personio* conscriptas fuisse inscio Cardinale; aut hunc illi facultatem dedisse quod liberet scribendi, tum scripto apposuisse manum & signum; aut denique à Cardinale prodijsse omnia Pontifice non consulto, Quis nisi amore proprio cæcus affirmet, aut de viris non omnino imprudentibus in re tanta vel somniaret quidem.

societas nullam vsurpat auctoritatem in Clerum.

X X. Iam verò quod ad auctoritatem attinet à Societate vsurpatam in reliquum Clerum, vel per hos ad dignitates euectos quæsitam, longè id abest ab eorum proposito qui se non Prælatos sed Adiutores esse totius Cleri profitentur, missos quemadmodum & reliqui Sacerdotes, in hanc Angliæ Messem, quod ad munia Sacerdotalia in ea exercenda pertinet non superiores sed pares. Itaque sicut nihil nobis assumimus quod à sede Apostolica non sit concessum, ita æquum est nihil remittamus ob cuiuscumque æmulationem ex studio & labore iuuandi & dirigendi animas; Atque si hoc sit regere; dent veniam obsecro vt quantum pro virili poterimus regnemus. Sin autem nimiam esse Societatis auctoritatem existimauerit quispiam, quòd nimis præclare de nobis Catholici sentiant, erit illa profecto existimatio stimulus ad virtutes omnes, quarum sanè præmium quoddam est laus, & existimatio; nostris vero laudibus veræ cuiuscunque laudes nunquā obscurabūtur. Absit à nobis vt à quoquā exigamus vt non cum virtute nos diligat: Non id postulamus vt tolerentur vitia nostra, vt impunè quēquam lædamus, vt cum aliorum cōtemptu aut diligamur, aut honoremur, sed vt quisque nos diligat vt fratres, nullus detrahat, nullus contra quēquā excipiat quod sit erga nos rectè affectus, cùm hunc in nos affectum, tum commune Christiani hominis officium, tum innumera à Societate profecta beneficia iure optimo exigant. Nam vt taceam plurimorum Presbyterorum doctrinam & virtutem à Societate manasse, Societas nostra Romæ primam Collegio Duaceno, centum aureorum pensionem menstruam à Gregorio decimo tertio impetrauit; quo nomine totum Collegium per publicas literas *Euerardo Mercuriano*, tunc Præposito Generali, gratias egit; & recolit *Gregorius Martini* in Epistola ad veterem amicum *Edmundum Campianum* his verbis. "Beatissimus Pater & Pontifex *Gregorius* XIII. centenis in mense coronatis

Quid præstiterit societas pro sacerdotibus & alijs.

Collegium

Collegium nostrum Duacenum locupletauit, inprimis illo viro, mi Edmun- 1587.
de, procurante qui vestri totius Ordinis Princeps & Præfectus cùm sit, tantum 20. Decēb.
pro nobis studio & pietate voluit contendere, quantum gratia & auctoritate 75.
valuit obtinere; vt nos qui antea Societatem illam pari semper cum cæteris reuerentia pro suo sanctiori merito prosecuti sumus, nunc beneficio quoque ab eadem affecti singulari, multo præter cæteros amare, amplecti, venerari debeamus) Societatis nostræ operâ Collegij in vrbe redditus amplificati sunt, ipsumque Collegium in hanc amplitudinem adductum. Societati nostræ acceptum fert Seminarium Rhemense annuam à Rege Catholico bis mille aureorum pensionem: Tantundem Sanctimoniales Brigittenses Olyssipone: Societatis in gentem nostram amorem & studium ostendunt tria ampla Seminaria, Vallisoletanum, Hispalense, Audomarense, nihilo Romano inferiora, ex quibus plurimi Sacerdotes in hanc Messem destinati sunt; plures cum Deo bono mittentur. Monumenta quædam perpetua sunt illius amoris quo Societas *Iesu* nationem Anglicanam prosequitur varia per Belgium virginum Monasteria; Exules Angli vbique ab Societate summo amore ac beneuolentia excepti. Quin ad ipsas triremes penetrauit Societatis caritas, vnde non pauciores trecentis *Personij* industriâ erepti sunt, è quibus quatuor & triginta Neapoli non libertate tantum, sed naui quam amiserant, & bonis quibus spoliati fuerant donati sunt. In Anglia vero ipsa neminem latet quanta solicitudine elecmosinæ olim pro Presbyteris regnum primum ingredientibus à Societate conquirebantur. Et licet alias necessitates non omnino neglexerit Societas (neque enim omnes per nos subleuari possunt, & publicæ collectionis negotium, tanquam Laicis, non nobis conueniens, penitus reijcimus) illam tamen Sacerdotum Nouitiorum curam ita sensit Societas onerosam vt teste *Garnetto*, intra annum vnum hoc nomine ducentas minimum libras nostrates insumpserit. Quantum deinde studium nostrorum de Presbyteris certo in domicilio collocandis? Et quam multi singulis pene in Prouincijs reperiuntur qui à nobis fuere commendati?.

XXI. Quo de vtroque capite testem habemus amplissimum ipsum Dominum Georgium Blackwellum, qui post viginti annos in Anglicana vinea excolenda expletos, huiusmodi turbarum indignitate commotus, hæc ad Cardinalem Protectorem manu propria conscripta transmisit. "Tantum absunt illi pij Patres ab omni appetitu dominij, vt nobis in omni loco insignis humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, pietatis, & caritatis exemplar præformarint. Valde certè ingrati essemus si non illos honore prosequeremur, vt Patres; amore complecteremur, vt Amicos; officio coleremus, vt Beneficos; studio imitaremur, vt Magistros, pietatis affectu agnosceremus, vt Patriæ alumnos, & Ecclesiæ apud nos varijs tempestatibus iactatæ præcipuos Adiutores & acerrimos propugnatores. Qui illis detrahunt, nec illos nec seipsos norunt: Nam qui sunt apud nos qui aduenientibus Presbyteris ex transmarinis partibus auxilio sunt, nisi Patres Societatis *Iesu*? Domo excluſi ab illis excipiuntur; indumento

Literę. Archipresbyteri, de societate.

1587. laceri, ab illis commodè & comptè veſtiuntur; victu deſtituti & pecuniâ, ab illis ſuſtentantur; & neſcientes vbi commorentur, quia ignoti, ab illis equos & alia ad iter neceſſaria habent paratiſſima, & loca etiam prudentiſſimè deſignata, vbi in lapſis recuperandis, Catholicis confirmandis, & in Dei cultu propagando laudabiliter laborare poſſunt. Neque his finibus concluditur eorum caritas; Nos enim ipſi qui pondus diei & æſtus per plurimos annos ſuſtinuimus ex eorum fontibus in noſtra neceſſitate plurimum alleuamenti & conſolationis habuiſſe profitemur. Si ſciret Amplitudo veſtra quantum pecuniarum in talibus & alijs pietatis officiis Patres inſumpſerint, & quàm promptè ad ſanctos refocillandos in Carcere detentos, & alios variis rerum ac temporum difficultatibus implicatos & oppreſſos illi ſemper accurrerint, non dubito quin actutum coërceret effrænatam audaciam eorum qui inuidiæ ſtimulis agitati de Patrum exiſtimatione ac caritate quidquam imminuerint. Inuidia virtutis comes eſt, ſed vt fumus ſic illa initio prævalet, & mox illuſtratis rebus quibus inuidetur euaneſcit, Itaque in ſpem maximam inducor futurum vt quas tenebras maleuoli Patrum ſplendori offuderũt, illas omnes patefacta rerum veritas diſſipet, Amplitudinemq; Veſtram prouiſuram ne detrahentium licentia tam libere volitet ad bonorum offenſionem, & iacturam Catholicæ fidei, cuius huc vſque (vt vtar Cypriani verbis) manſit per Dei gratiam apud nos robur immobile, & contra omnes incurſus oblatrantium fluctuum ſtabilis & inconcuſſa virtus.) Hæc Blackwellus; cui plures ſi neceſſe eſſet, adiungere liceret in eandem ſententiam ſcriptores; videri autem poſſunt in relatione viſitationis factæ per Cardinalem Segam Clementi Pontifici oblata.

Neque verò iure quiſquam nos accuſet quod vel vnum ex ſede ſuâ expellere conati ſimus: longè id à noſtro propoſito abhorret: Bonis Sacerdotibus ſedes optamus bonas; Inquietos verò ſi qui retinere volunt, maximas illis gratias habebimus; ita enim minus liberè vagari poterunt ad aliorum animos ſolicitandos, & longius aberunt à periculo lapſus & Apoſtaſiæ. Huc accedit incredibilis labor, ſolicitudo, ſumptus, periculum in adoleſcentibus & virginibus, eorumque pecunijs tranſmittendis: Perpetua ferè primis temporibus in pleriſque noſtris Reſidentijs hoſpitalitas, præſertim erga Sacerdotes qui certo hoſpitio erant deſtituti; in expediendis ab vrbe negocijs non mediocris cura, & infinita alia quæ ab alijs commemorari decentius poſſunt quam à nobis: Quibus omnibus in officijs id ſolari nos quàm maximè par eſt quod in quibuſdam ſuis Eminentiſſimus Protector quondam ſcripſit, cùm ſortem noſtram feliciſſimam videri affirmaret, eoque magis quòd cum omnibus benefacere ſatagamus non ab omnibus fortaſſe perinde nobis gratia referatur, quò ſit copioſior alterius vitæ retributio.

v. ſupra no. 14. Propoſitũ. quorundam de reſtringendis Religioſorum officijs in Anglia,

XXII. Neque enim (vt numero decimo quarto notatum eſt) defuere quibus propoſitum fuit Religioſorum hominum officia in Anglia arctis limitibus circumſcribere, & Societatem vniuerſam ex Inſula euocare. Hoc enim ſcriptum

tum reperio quorundam decretum." Quanquam magnus rigor esset vllum Religiosorum cogere vt suo habitu incedat his in tenebrosis diebus in Anglia; nihilominus vt discrimen aliquod constituatur inter Religiosam professionem & Ecclesiasticam auctoritatem, plures admittere non debemus ex quocunque Religiosorum Ordine, vt in hoc regnum ingrediantur, quousq; Deo placuerit vt omnino conuertatur, & vt quæque Professio eum locum accipiat qui illi debetur. Quod si fortè aliqui veniant, siue propter valetudinem, siue per alias occasiones, vt neque illi, neque vlli qui iam hic sunt ex quacunque Religiosa Professione, vlteriorem habeant auctoritatem intra hoc Regnum Angliæ & Scotiæ, quàm facere Sacrum duntaxat, & Catechizare, & exhortari illos quibuscum versantur, dando bonum consilium & exemplum vitæ vnicuique, absque eo quod se intermisceant in vllis Ecclesiasticis rebus in quibus iurisdictio vel potestas clauium vsurpanda est; ad eum finem vt quemadmodum Anglię conuersio primum cæpit ex prædicatione & Martyrio Seminaristarum, diu antequã vlla plane Religiosa persona nostras miserias intueri vellet, ita etiam ij tanquam suo iure laudem, meritum, & triumphum conuersionis Angliæ sibi vendicent) Miseranda profecto res fuisset & prorsus deploranda si in prudentis cuiusquam pijúe viri cogitationem huiusmodi propositum venire potuisset. Quid enim? Nunquid quo propinquior est Religiosus status vitæ Christi Domini exprimendæ, eo procul magis amouendi sunt qui illam profitentur ab iis officiis quæ Christus ipse decora sibi existimauit & saluti hominum necessaria? Nunquid Religiosi Sacerdotes de Clero esse censendi non sunt? quod enim votis ad Religiosam obseruantiam obstricti, quod etiam peculiari vinculo sedi Apostolicæ sunt eorum aliqui deuincti, non sunt hæc adeo contemnenda, vt vel ipsi minus idonei censeantur ea propter ad munia Sacerdotalia, vel ab vllo Catholico Sacerdotum corpore segregandi; sunt potius in Christi corpore (quod est Ecclesia) tanquam in annulo gemma, ijsdem quibus cæteri vsibus aptati, atque eo magis idonei ad hominum animos cõmouendos quo per disciplinæ Religiosæ accuratam custodiam sunt omnium opinione illustriores. Atque de Societate nostra omnibus notum est illam præter perfectionem propriam (cui quilque præ omnibus aliis studere debet) proximorum etiam perfectioni operam sedulam ex Instituto nauare; Inde fit vt (quemadmodum cæteri Mendicantium Ordines Sanctissimi) cùm non se ita in solitudines abdiderit vt Deo soli vacet, perpetuæque Contemplationi cum Carthusianis aliisque Monachis incumbat, sed mixtam quandam ex Contemplatiua & Actiua vitæ rationem amplexa sit, Sanctissimo Christi vicario semper præsto sit ad qualcunque Ecclesiasticas siue functiones, siue Missiones. Aequum enim est vt in Ecclesia Dei reperiantur qui & se totos Deo deuoueant, & tamen proximorum curam non relinquant, sed vt ex Sancto Gregorio ad hunc finem citat Sanctus Thomas, iuxta illud Dauidicum, *Memoriam abundantiæ suauitatis Dei eructent*; & quod in intimo Contemplationis secessu

1587.

Religiosi in corpore Ecclesiæ non negligendi,

1587. hauserunt, id in aliorum fructum tanquam ex penu proferant.) Quod sanè vitæ genus tum per se præstantius est eo quod in sola Contemplatione, vel in actione sola versatur (vt Theologi docent) tum ad proximorum vtilitatem tanto conducibilius, quanto & liberius aliorum se commodis applicant qui sua quærere non possunt, & magis alijs prælucent qui quod verbis docent factis exequi peculiari lege tenentur, & potiora sunt Diuini Artificis instrumenta quo ipsi à quo motionem omnem accipere debent intimius coniunguntur. Et hæc omnia ita sanè Religiosis Ordinibus conueniunt, non vt in Sacerdotibus eæ virtutes reperiri non possint in quibus cernitur Christiana perfectio, aut vt illi plebem Christianam vtiliter pascere nequeant, sed vt ipsius status Religiosi dignitas atque præstantia ad Ecclesiasticas functiones ritè præstandas singulare adferat adiumentum. Cuius rei argumentum non leue peti potest ex Apostolorum ipsorum alijsque proximè sequentibus ætatibus in quibus constat Clericorum vitam nihil à Religiosorum obseruantia discrepasse.

Iurisdictio omnis vnde deriuetur.

XXIII. Alterum præterea est ad quod animum aduertere hac in re necesse est ex certa & recepta Catholicorum Doctrina, Nulli simplici Sacerdoti, ex ipsius vi ordinationis, Iurisdictionem actualem competere. Quam multi enim Sacerdotes aut solitarij vitam degunt aut in Claustris sibijpsis vacant, aut in sæculo beneficia simplicia obtinent sine vlla animarum cura. Omnis autem Iurisdictio à Sede Apostolica tanquam à fonte dimanat, & sicut vnguentum à Capite descendens, per totam diffunditur Ecclesiam. Ex quo & proxime dicto capite sequitur, neque Religiosis quâ Religiosi sunt illicitum esse aut incongruum proximorum saluti incumbere, neque reliquis Sacerdotibus eo ipso quod Sacerdotes sunt vllam datam esse actualem Iurisdictionem, aut in plebem Christi potestatem, priusquam à Pontifice vel alijs ipsi subditis Prælatis auctoritate legitima mittantur. Vnde igitur tantum Chaos inter Regulares & reliquos Sacerdotes vt in proximorum salute procuranda pares esse non possimus? dignitates quidem Ecclesiasticas (quoad fine peccato inobedientiæ possumus) refugimus: sed neque Sacerdotibus in Anglia dignitas plerumque vlla, aut vlla planè in foro externo Iurisdictio concessa est. Animos verò hominum quantum diuina gratia concedet, sine vlla Iurisdictione externa iuuare commune est omnibus qui mittuntur, in eaque re præstanda, quantum occasio fert non segniter laboratur; Idem enim Dominus Messis nos operarios in vineam suam constituit: Ab eodem fonte tum vetera Religiosorum Ordinum priuilegia tum noua ad hanc Missionem accommodata accepimus. Magis etiam fortasse propriè aut magis conuenienter (absit verbo inuidia) huiusmodi Missiones Societatis hominibus quam Sacerdotibus reliquis committuntur. Nostræ enim Societatis, tum ex Institutione ipsa, tum ex variis Priuilegijs, tum ex peculiari voto à sede Apostolica approbato, proprium est ad varias toto orbe Missiones destinari: Societatis homines in ipsis Missionibus Obedientiæ subditi sunt: Nihil possidere proprium, aut sibijpsis accumulare possunt; Ad regulares obseruantias (quantum locorum fert ratio) obligantur: sibijpsis mutuò cogniti esse

esse debent atque perspecti, nihil vt lateat in doctrina nociuum, aut quoad fieri potest in moribus indecorum. Quę omnia summopere iuuant ad hæc munia quæ in Missione requiruntur minori cum damno proprio, maximoque cum aliorum fructu peragenda. Neque est cur quis inuideat Domino Messis quod nimis multos habeat operarios quos mittat in vineam suam. Non ita faciunt homines Societatis qui ab anno alterius seculi octogesimo circuierunt mare & aridam vt facerent Proselytos, & ex Seminariis optimè per eos opportunissimeque constitutis emitterent cultores quam maxime idoneos. Societas igitur ad Missiones vtiliter peragendas quàm potest studiosè se comparat, neque sumit sibi honorem nisi ad quem à legitimo superiore vocatur, neque in eo quod ad *Archipresbyteri* nominationem spectat aliud præstitit quàm quod cuique præstandum est, vt scilicet clarè sincereque, tanquam coram Deo, mentem aperiret cùm rogaretur. 1587.

XXIV. Hæc sunt quæ ad querimoniam aduersus Societatem in causa Archipresbyteri propulsandã spectare visa sunt, omissis calumnijs varijs quæ vel verbo vel libris scriptis ab animis plus æquo commotis prodierunt, quas contemnendo potius quam refutando diluere satius est, cùm prudens quisque facilè videre possit quàm nullo fundamento effutiantur, nulla firma radice consistant. Cum vero in ipsis his principiis Missionis, quando vix quinque vno tempore tota Insula Societatis homines reperiebantur, numerabantur vero Sacerdotes reliqui supra trecentos, tanta in nos conflata sit inuidia, vt saluis nobis ipsi salui esse non posse viderentur, nemini alienum ab humana fragilitate videri debet, si nobis auctis propagatisque per vniuersam Angliam, eadem quandoque irrepat inuidiæ species, & Societatis splendorem virtute & doctrina longe lateque diffusum suis luminibus officere arbitrentur ex ijs quidam, qui honores, dignitates, quæstum, aut temporale aliquod commodum cum Sanctissima animarum salute persequenda quærere non ducunt ab suo Instituto disiunctum. Vt enim sunt hæc quæ vulgus in honore & in bonis ponit certis circumscripta regionibus atque limitibus, atque eo arctiora quo in plures distribuenda; nisi quis mentem firmiter oculosque teneat in Dei diuitias abundantiamque defixos, facilè est vt timore metuque corripiatur nè id quod pluribus suppeditatur, alicui desit. *Angustæ sunt enim plerumque spes humanæ; & quæ assequi cogitatione non possumus in nunquam euenturis collocamus.* Habet tamen diuina Magnificentia Thesauros absconditos quos in non quærentes affluenter effundat, & quibus eorum etiam desiderio qui quærunt (si ratione & modo quærant) satisfaciat. Nostræ certè Societati deesse nunquam poterit aut splendor aut res, quotiescunque suæ ac proximorum saluti intenta, hanc vnam cæteris neglectis pro vnius Dei gloria persequetur. Sed vt virtutibus potius quam vitijs recensendis lectori tædium adimatur, ad *VVestonum* redeamus.

Origo communis omnium dissentionum.

VVestonus à vicecensi ad Londinensem Arcem admotus.

XXV. Hunc quoniam intemperantes homines consilijs suis in alijs Sacerdotibus vna captuis corrumpendis aduersari potissimum autumabant cura-

1587. curauere à Wisbicensi ad Londinensem Arcem amoueri. Isthic angustum conclaue cum breui strato sortitus, & modico per arctum foramen adiutus lumine sacras paginas dies noctesque versabat; & quia principio in eum locum Prouerbiorum inciderat *sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo*; statuit prorsus abstinere lecto quemadmodum abstinuerat Wisbici, quoad per Superiores liceret; id etiam solitus dicere, solitudinem, tenebras, pædorem, angustias, cæteraque carceris illius incommoda hominem à mente facilè dimouere posse, nisi arctissimam cum Deo coniunctionem adamarit. Eo in Sepulchro, vt ita dicam, cùm septem vel octo annos sic viuus egisset vt oculorum penè amisso lumine memoriâ librorum loco vti necesse esset (integrum enim Sacrorum Bibliorum textum memoria comprehendisse dicitur) demortuâ Elizabethâ & Iacobo Scotiæ sexto Regnum in Anglia auspicante, pluribus cum Sacerdotibus in exilium eiectus est anno sexcentesimo tertio, ea opinione sanctitatis, vt sicut in scribendo, *Personij* grauitas, in dicendo *Campiani* copia, ita in vitæ genere *VVestoni* pietas in prouerbium verteretur. Quam pietatem & nostræ & aduersæ Religionis homines venerati sunt. Narrabat *Thomas Garnettus*, (glorioſus deinde Martyr) cùm exul Louanij Tyronum probationibus exerceretur, Commentariensem illum qui Wisbici *VVestono* custos fuerat, legentem Watsoni quodlibeta, incidisse in quædam quæ *VVestono* contumelioſe aspergebantur, indignabundumque proiecisse confestim librum, atque iureiurando affirmasse falsa esse omnia quæ *VVestono* obijciebantur; illum enim sanctam atque innocentem vitam duxisse Wisbici, tantumque se eius precibus tribuere vt in eis Deo commendari vehementer optaret. Is quoque à quo in Arce Londinensi tenebatur vinctus asserebat se pridem diabolum, nunc Sanctum habere in custodia, *VVestonum* videlicet, cùm non ita pridem Nortonum quendam habuisset Catholicorum vexatorem. Exul migrauit primum Romam, deinde Hispalim, atque reliquam in Hispaniam. Madritum delatum Prouincialis cum Antiquissimis Patribus de genu orarunt vti bene ipsis precaretur, olim enim pleriq; meminerant cùm etiam tum Sanctitatis opinionem nactus fuisset. Rector Vallisoletani Anglorum Seminarij renunciatus, vt prudentiâ & pietate vnumquemque deuincerat, ita omnibus ingens in morte reliquit sui desiderium, quæ nono Aprilis Anni supra sexcentesimum decimi quinti finem illi viuendi hîc attulit cum futuræ vitæ spe optima; nam cum desperatas iam esse Medicorum operas nunciaretur, alacri animo illud Psalmistæ repetijt, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Tantamque in diuina Misericordia fiduciam posuerat, vt ne morte quidem tam vicina moueretur, audenterque diceret. "Non timeo, Domine, non timeo; Tu scis, Domine, quod non timeo) In hac vero vita nihil superesse quod non libenter desereret; mortem quam vitam fore iucundiorem. Funus non in Anglicano solum, sed in domo Professa Nostrorum, nunc Sancti *Ignatij* Collegio, curatum est magno omnium Ordinum concursu, perorante

Exulat.

Migrat in Hispanias.

Moritur.

rante Francisco Labata celebri per eos dies concionatore; & narrante, quod cùm à quopiam in Anglia malum dæmonem insidentem pelleret, rogatus à dæmone vt Elizabetham Reginam permitteretur ingredi, renuit *VVestonus*, omnia animæ & corporis ornamenta illi optans, nefas autem existimans mali quidquam inferre ei quam licet in fide dissidentem Reginam tamen suam & Principem agnoscebat. Tum dæmon, vísne vt in te ingrediar? Si Deo ita visum fuerit, non recuso, inquit *VVestonus*. At cauebo ego mihi, ait dæmon; Tantundem enim in Te solatii inuenirem quantum si in Aquæ Benedictæ vas immergerer. Ille neque vindictâ, neque vanitate captus iusso importuno hospite abire quo Deus permitteret, hominem molestiâ quam passus fuerat liberauit. Annos septendecim in vinculis expleuit: Quid in his perpessus sit ex eo licet colligere, quod tametsi rerum suarum fuerit parcus æstimator, asseruerit quidquid in reliqua vita dolorum ægritudinumúe sustinuerit, nè vnius diei noctisque doloribus quos in Arce Londinensi toleraverat par esse potuisse: Nimirum vt cùm inter homines versabatur in malos dæmones potestate ad eos reprimendos pollebat, arq; ab obsessis pellendos, ita cùm solitarius agebat in Arce, illi neque de die, neque noctu quiescere sinebant, modo verberibus modo importunis clamoribus, cultris etiam & funibus immissis in desperationem adigere satagentes; fassusque est in quinquaginta diebus vix decem habuisse horas somni: Importunitatem tamen hanc constanti ad Deum oratione peruicit: Plura nè ad nostram notitiam peruenirent eius fecit humilitas, etenim licet reliquam suam vitam mandantibus Superioribus scripto tradiderit, induci tamen nunquam potuit vt quæ in Arce contigerant omnia enuntiaret; eo maiori in Cœlo donandus gloria, quo isthic concupierat obire inglorius.

1887.

Vid. Permaltam in eius vita

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER QVINTVS.

Personij iter in Hispanias.

PHilippo Secundo Hispaniarum Regi prudentissimo iniecta fuerat cogitatio è re Christiana futurum si ad Societatis *Iesu* vitæ genus & mores per Hispaniam inspiciendos viri graues ex Inquisitorum numero deligerentur. Incongruum id videbatur *Claudio* Generali, & ab reliquorum Ordinum rationibus alienum. Itaque quò Regem ab ea mente auerteret *Personium* legat in Hispaniam, quem acceptum semper Regi, & ad persuadendum prõptum compererat. *Personius* missis in Angliam ad supplementum operarum *Edwardo Oldcorno* & *Ioanne Gerardo*, per celeberrimam Virginis Lauretanæ Ædem carpens iter, vt Sanctissimæ Matri negotium filij in Societate commendaret, ex portu deinde Ianuensi soluit in Hispanias, comitem accersens *Guilielmum Flaccum*, qui Laureti moralis Theologiæ curlum emensus fuerat; Rex audito *Personio* in eam sententiam concessit vt ad duos ex ipsa Societate ea tota inspectio deferretur, quorum vnum *Rex*, *Claudius* Generalis alterum nominaret. *Claudius* rescripsit neminem sibi commodiorem videri quàm eum qui iam tum Visitatoris officio in Hispanijs fungebatur, *Ægidium Gonzales*, Regi natura subditum, nobilitate, Religione, Pietate notissimum; Rex socium adiunxit *Iosephum Acosta*, in Lusitania celebrem virum, & pari opinione integritatis illustrem. Ita res illa ex vtriusque & *Regis* & *Claudij* voto perfecta est. At non modo Societati vniuersim, sed Angliæ istud iter diuina Prouidentia fecit salutare. Eo tempore *Barrettus* qui in Rhemensis, seu dicas, Duaceni Seminarij curas successerat

Initia Seminarij Vallisoletani.

rat (occiso enim Guisio Rhemis Duacum rursus translatum est) *Personium* ro- 1588.
garat vti explicatis Regi & numero Alumnorum & impensarum angustiis impetraret incrementum illius pecuniæ quam eius opera quotánis liberaliter Rex soluendam pridem constituerat. *Personius*, Regis pertentata mente, respondet difficulter ad vetera resarcienda inducendum, noui operis gloriâ capi potius; Igitur cùm numero grauaretur *Barrettus*, mitteret ad se decem aut duodecim bonæ spei iuuenes; non dubitare quin eos esset collocaturus apud Prælatos sibi beneuolos, viroſque alios Principes, qui sumptum interea facerent dum certior ratio se ostenderet. Rhemis mittuntur *Henricus Floydus* diaconatu, *Ioannes Blacfannus* Subdiaconatu initiati, & *Ioannes Bosvell*. Ardebat id temporis bello Gallia Principes Fœderatos inter & Nauarræ Regem, erantque itinera frequenti milite impediussima; neque quàm per Gallias alia patebat. Itaq; modò in huius modò in alterius copias incurrentes, Dei tamen clementiâ incolumes euasere. Plessio Mornæo (qui Caluinianæ Hæresis præcipuum quoddam columen haberi voluit) difficillimè persuasum est Anglos Catholicos, eosque in Cleri ordinem promotos, alio fine ad Hispanum, Angliæ inimicum, proficisci, quàm vt Principi suo & Regno incommodarent (nam illud Hispanus nuperrimè ingenti Classe vexarat) eo ipso vero tempore naues infestæ ab Anglis parabantur ad Lusitaniam inuadendam: Aiebat ea propter aut proditores hos esse, aut exploratores; mittendos potius Rupellam atque inde in Angliam (quemadmodum quosdam antea miserat morte deinde pro Christo perpessa glorioſos) Illi Espernonij literis muniti (sub quo Samurium, cui Mornæus imperabat) fidentiusque de studijs persequendis locuti, quorum solummodo desiderio id iter occæperant, accedente gratia Coniugis Plessij, dimissi tandem sunt, id tantum, vrgente Plessio, in se recipientes, vt nè Hispani fierent.

Difficultas itineris.

II. Nanneto Bilbaum soluentibus, Burgis Castellæ non minori cum procella, quàm in Gallijs à tergo reliquerant, luctandum fuit. Postridie quàm in eam vrbem venissent, redeuntibus à principe Ecclesia ad hospitium injciuntur ab Inquisitorum apparitoribus manus: quo delatore, quoue instigatore incertum est. Clamatur tota vrbe, Lutherani, Fratres Draci (eius scilicet qui pyraticam ijs in oris pridem exercuerat, & tum Classem, quam diximus, ducebat in Lusitaniam) rapiuntur ad ergastulũ, expilantur sarcinæ; pecunia surripitur. At Inquisitorũ Senatus nullaire in sarcinis reperta de qua quisquam suspicari posset, inspectis deinde literis quas & Rhemis afferebant à Præside *Barretto*, & acceperant Lutetiæ à Patre quodam Hispano Theologiæ Lectore ad Rectorem Burgensis Collegij, commode de nocte haberi iussit: Tum postridie vocatos in Aulam, explicatisque frequenti concione causis itineris, copiosè laudatos dimittit liberos. At in pecunia (quæ erat omnium communis) non minima difficultas. Negabat Commentariensis obstinatissimè vllam esse surreptam: Affirmabat Blacfannus à quo fuerat ablata; notabatque numerum & speciem septendecim aureorum nummũm Hispaniensium. Nullo teste, infirma assertio. Vicit tamen externorum hominum probatum iam cognitumque propositum: Quî

1588. tum: Quî enim credi posset eos qui Patrios lares & domestica commoda tam præclaro & excelso animo tantis emensis itineribus reliquissent, in aliena iam penè in portu inuolaturos? Resistente rursus Commentariensi, mittit Senatus certum hominem qui supellectilem eius omnem argenteam diuenderet ni prompte aurum redderet. Tum denique prolata pecunia eadem est quam *Blacfannus* repetierat. Sequenti die cùm se pararent in viam dare vir grauis à Senatu iussus ducit abeuntes in forum; adstantem populum monet nullam criminis suspicionem istis adhæsisse; rectæ fidei causâ exules, studijs vt darent operam, hâc transisse; reditum meditari in patriam, animi celsitudine omni Hæreticorum crudelitati superiore: Abstinerent proinde conuitijs; venerentur potius eorum in fide constantiam, vitæ probitatem, in aduersis fortitudinem. Tum deductis ad portam vrbis, monstrat quâ iter capiendum esset Vallisoletum quò tendebant, & beneuolè salutatis gratulatur.

Alia vallisoleti superanda,

III. Vallisoleti Patrum Hispanorum consilio conductis in ædibus habitarunt aliquamdiu dum monitus *Personius* accurreret. Hic additis primùm quatuor ex Anglia, tum decem alijs eodem anno Duaco aduentantibus, formam Collegij occæpit in platea extra muros ciuitatis, non procul Sancto Ambrosio (quod Collegio Patrum nomen est) quò exercitationum scholasticarum causa bis quotidie eundum erat. Neque tamen sine aduersarijs res tanta inchoata est. Iam ciuitas Iuuenibus ex Hybernia eâdem de causâ profugis aperuerat aditum & habitationem; grauati itaque metuebat nouis hospitibus, atque apud Regem agebat vt hi vel iungerentur Hybernis, vel prorsus excluderentur. Re ad Abbatem Sancti Benedicti ab Rege delata (nondum enim vrbs illa Episcopo ornabatur) Is rescribit videri sibi Anglos retinendos fouendosque, frugi videlicet Iuuenes, & fini quem prætendebant accommodos: Coniunctionem relinquebat in medio; Quæ tamen aliquantisper sustinenda fuit. At *Personius* separationem rationibus Seminarij existimans aptiorem, cessit Hybernis omnem eum locum quem Ciuitas donauerat, & quem dixi fundum Nobilium virorum beneficentia coëmit. Rector datus est *Rodericus* de *Cabredo*, cum alio qui esset à Confessionibus, & vno ad temporalia adiutore. Præcipui Mæcenates huius initijs fuere *Franciscus* de *Reynoso*, Decanus Ecclesiæ Palentinæ, & *Alphonsus* de *Quiniones* ex familia Comitum de Luna, qui se domi recluserat vt vni Deo vacaret & saluti sempiternæ. Hic cùm in multos esset beneficentissimus, tum cùm audisset Catholicos Iuuenes Anglos patriâ exules perfugium ea in vrbe quæsisse quò decursis studiis ad fidem restituendam contemptis periculis reuerterentur, sepositi in menses singulos quindecim ducatos in singula capita distribuendos; Quadringentos alios donauit ad fundi coëmendi impensam, & centũ ad vestem communiter viuentibus congruam comparandam. *Reynoso* reliqua supellectili ornauit domum, & in singulos menses dum viueret decreuit centum ducatos. His res vtcunque sustentata est dum mille & sexcenti aurei quos Rex annuos attribuerat ex reditibus Legionensibus colligi potuere. Tum Capitulum

Præcipui Mæcenates

pitulum Palentinum (Palentia ciuitas est non procul Vallisoleto) certum Medimnorum tritici numerum eleemosynæ nomine persoluebat; At hæc quotannis peti debebat misso ex Seminarij Alumnis qui in Capitulo peroraret. Rex quando amotâ Madrito Carpentanorum Curiâ Vallisoleti consedit, ordinem modumque Seminarij voluit ipse inspicere. Tum varietate idiomatum delectâtus quâ cum iuuentus salutabat, pecuniam quæ erat in nominibus exoluit, & auxit quam pensitabat annuam: Deniq; nobiles viri fœminæque cùm domum & exiguum quod structum fuerat sacrarium frequentarent, modò hunc adolescentem modò alium adoptabant quasi in filium, & alendum suscipiebant: Floruitque consequentibus annis & numero & opinione pietatis & Doctrinæ: Præcipuè postquàm effigies Sanctissimæ *Matris Dei*, ab Hæreticis in pyratica deformata, eò est solemni pompa deducta, atque in præcipuo Altari collocata sub nomine *Dominæ nostræ Vulneratæ*. 1589.

VI. Sed ante hæc tempora Bartholomæus Perez, postea Assistens Hispaniæ, tum Prouincalis Bæticæ, *Personio* coniunctissimus suam etiam obtulerat operam ad alimenta Iuuenibus Anglis Hispali procuranda si pauci aliqui mitterentur. (Hispalis Emporium est non procul freto Gaditano celeberrimum, Oceano connexum Bæti flumine, quo merces secundissimè deuehuntur) *Personius* in omnem boni operis opportunitatem intentus, & magnorum animorum vir, præmissis celeriter duobus ipse sequitur, quatuor alijs selectis comitatus, horum primi fuere *Georgius Chamberlanus* (quem deinde vidimus Iprensis in Flandria Episcopi insula decorum) & *Ioannes VVorthingtonus*, *Alano* Cardinali affinis. De via, breui oratione latinè concepta, & quâ pollebant hi duo gratiâ elocutionis pronuntiata, cùm dixissent causas exilij, studiorumque propositum, multam apud Episcopos & Abbates toto itinere commiserationem laudemque collegerunt. Hispali à Patribus & Senatu benevole accepti, pietate, ingeniorum cultura, atq; instituto vitæ explicato, ipsa denique veste ad modestiam, Collegiorum more, composita, promeriti sunt vt nè domus, nè supellex, nè reliqua ad vitam communiter degendam necessaria deessent. Die *Thomæ Cantuariensi* Martyri sacro, sub Missæ Sacrosancto Sacrificio (quod solemni ritu Episcopus Hispalensis operabatur) *VVorthingtonus* petita benedictione, & consecrato suggesto latinè ad horam perorauit: Tum finita ceremonia genibus coram Altari fixis, singuli conceptis verbis atque elata voce eo iure-iurando se obstrinxere, quod diximus Romæ in initijs Collegij de vrbe fuisse ex *Personij* mente introductum: Cuius iurisiurandi sententiam, vim, vtilitatem que cùm *Chamberlanus* confestim (Hispanensi idiomate locutus ad populum) demonstrasset, maximo audientium plausu, summa nouorum hospitum adgratulatione discessum est. Scholasticis deinde exercitationibus, & scrijs ad propositum sibi finem conatibus consecuti sunt, vt Ciuitas certo quodam subsidio (eleemosinæ nomine) domum illam hodieque foueat. *Franciscus Peralta* Rector plurimis annis cum laude præfuit, & non minori cum studentium voluptate; neque aliò libentius quàm Hispalim iuuenes commigrabant, tum ea de

Alind Seminarium Hispali.

1588. causa, tum quoniam cæli temperiem quantumuis calidam, & Sancti Hermenegildi studia prætulerant Vallisoletanis & Romanis; Quamquam ex tribus difficile sit decernere quis locus plures doctos viros, aut constantes fidei defensores Angliæ reddiderit. Quàm multum autem paucis annis creuerint hæc Seminaria & numero personarum, & existimatione, videre est ex literis Ciuitatis Hispalensis ad *Clementem* Pontificem Maximum datis vigesimo tertio Decembris Anni nonagesimi sexti in hanc sententiam.

Vid. Yepes l. 6 c. 5. 6.

Beatissime Pater. Patre *Roberto Personio* Anglo in hac ciuitate & per Hispanias notissimo Romam proficiscente vt Beatitudini Tuæ explicet statum Seminariorum eius nationis fundatorum sub protectione Regis nostri, iudicauit hæc Ciuitas operæ pretium rationem Sanctitati vestræ tanquam Ecclesiæ Capiti reddere de vtilitate quam ipsa Ecclesia & speciatim regnum Angliæ egentissimum fauoris auxilijque spiritualis colligit ex tam Sancto opere cum multa satisfactione & gaudio nostro qui nos profitemur filios obseruantissimos Ecclesiæ; neque minorem lætitiam satisfactionemque afferet Sanctitati vestræ, vt qui sicut officio & dignitate ita zelo excedit vniuersos.

Literæ ciuitatis Hispalensis de Seminarijs.

Et verò licet possemus nos testes addere famæ existimationisque verissimæ quam per literas accepimus de Seminario Vallisoletano in quo aluntur plures sexaginta, & de alijs Residentijs Olyssipone, & in Sancti Lucæ erectis in commodum Sacerdotum qui ex Seminarijs mittuntur in Angliam, propius tamen nos contingit istud quod habemus in hac Ciuitate fundatum, & Eleemosinis ex Communi Aerario, & particularium beneficentia liberaliter, & summo cum animi affectu attributis sustentatum. Et sanè exiguum est quidquid in tot Angelos confertur, dicatos ad defendendam & propagandam fidem Sanctam Catholicam studiorum, laborum, & vitæ impendio. Par autem tam excelso nobilique fini est ipsorum educatio & disciplina, recollectio, Religio, modestia, testes interioris virtutis & puritatis. Quo fit vt applaudat illis vndique plebs, & lætitiâ exiliat quoties illos videt; alteram scilicet domum non solum Religiosorum, sed Seminarium Martyrum qui fidem Catholicam vita & sanguine obsignabunt. Quam populi vocem Dei vocem interpretamur esse: Etenim cùm hæc Ciuitas grauibus de causis infensa esse deberet & inimica nationi vniuersæ Anglicanæ propter damna quam plurima à Pyratis eius gentis perpessa, beneuolentia tamen ista procul abest vt tepescat; accenditur potius quotidie, augeturque desiderium illis benefaciendi, & omni fauore & gratia prosequendi.

Quid porró Personius in Hispanijs. Residentia ad San-lucar.

V. His ex animi sententia confectis, *Personius* annos aliquot primis stabiliendis, tum nouis operibus inchoandis impendit. Nam bis mille aureorum annua pecunia (quam pridem Rhemensibus impetrauerat) difficillimis temporibus vt solueretur effecit: Et in Bætis ostio (portu quem *Sanlucar* nominant) ad ædem S. Georgij (quæ mercatoribus Anglis olim cùm Catholicè sentirent seruierat) domum conquisiuit, quâ recepti Sacerdotes aliquot huius

huius nationis, subsidia sibi atq; Collegio Hispalensi ab Hispanis institoribus ex India appellentibus colligerent; tum ipsis Anglis, si qui adnauigarent, rectæ Religionis fundamenta, quâ daretur opportunitate, explicarent, Captiuos etiam solarentur; quorum plurimos *Personius* in libertatẽ quâ prece quâ pretio asseruit; gratissimus ea propter hæc maria legentibus. In Lusitaniam deinde profectus locum obtinuit *Olyssipone*, ijsdem de causis quibus ad Bætim constituerat sedem; vtque in eo portu (quoniam vicinior erat Angliæ) Sacerdotes ex his Seminarijs proficiscentes in patriam, haberent vbi de nauigatione per otium prospicerent sine magno sumptu; cui sustentando *Dux Bragantiæ* & eius Coniux primi centum nummûm aureorum censum donauere. Et sedi Præfectus est *Henricus Floydus*, quem secum *Personius* duxerat comitem, priusquam is Societati nomen daret. Scriptioni etiam temporis haud parum impendit. Nam & ad historiam plurima adnotauit, & hæreticis Catholicos non minus stylo quàm verbo & actione infectantibus, ea scripto reposuit, quæ & hos confirmarent, & illis sempiternam mendacij & furoris notam inurerent. Quæ etsi asperiùs quandoque vila sunt scribi, facilem habet ea res excusationem: Nam aut iis plerumque visum est ita, qui maleuolis oculis Societatem intuentes vniuersa inde profecta carpebant; aut si Hæreticis; Quis ex illorum Magistris tam leuiter vnquam scribendo peccauit, qui lenissimè monenti iratus non sit? *Superbia enim modestissimo est intractabilis*; tum, nolenti curari, medicamentum quodcunque asperum sit necesse est. At *Personius*, comis cùm esset, comitate ipsa, & aliquo quandoque facetè prolato fortassis offendit, At quem? eum sanè qui quod erratum est detegi interpretatur infamiam, quantacunque cum lenitate expositum sit. Ipse qui prodijt de iure Regni & successione liber, quem nisi Hæreticum offendit? (quanquam non tam ad *Personium*, quàm ad *Alanum*, ad *Franciscum Inglefield*, & ad alios consimiles, is liber à *Personio* in Epistola ad amicũ, & à Camdeno verissimè reuocatur) cerè *Iacobus* Rex, ad quẽ maximè pertinuit, nullo signo ostenditur eo libro fuisse cõmotus. Eum fortassis offendit cuius nomen adscriptum est, *Robertum Doleman*: At id nomen, quoniam Anglicè sonat eum qui suam cuique partem diuidit, atq; distribuit, ideo fertur adscriptũ, non ea ratione quod in mentem veniisset Sacerdotẽ aliquem eo nomine appellari.

1594. Et Olyssipone. Scribit etiã uaria. Personius ad amicum 24. May. 1603. Cambdenus. A nõ Elizabæ.

VI. *Guisianæ* familiæ Principum luctuosus occasus Augiensis habitationis rationes ita prostrauerat, vt diutius sustentandis nihil magnopere superesset. Seminariorum verò duorum in Hispania numerum, & gloriam Duaco solo foueri posse quotannis exigua videbatur spes, quando Romam etiam mittendi venirent non pauci maturi Philosophis Theologisq; audiendis, neq; iam ex Anglia aut tam multi, aut tam idonei expectabantur, quàm cùm annis anterioribus hæresis minimùm fuerat corroborata: Vsu etiam compertum fuerat eos qui ex Academiis leuiter instructi ad Catholicos se adiunxerãt, & paucorum deinde annorum studijs celeriter decursis Sacerdotio initiati reuertebantur in patriam, facilius à recto tramite in pristinos mores detorqueri,

Seminariũ Audomarense.

1592. queri, quàm eos qui pietatem cum scientijs à teneris imbibentes radicibus firmioribus niterentur. Quod igitur Augij inchoatum aduersa Mecænatum fortuna demolierat, alibi substruendum esse *Personio* persuasum fuit, quò Adolescentes quàm maturrimè è prauorum dogmatum exemplorumque contagione erepti, atque in virtutis & scientiæ palæstram transpositi, vnà cum bonarum literarum studiis pietatem haurientes, in humanitatis disciplinis ad excellentiam quandam perducerentur, & Philosophorum Theologorumque has scholas flore ingenij, ac Rhetorum Poëtarumque ornamentis illustrarent. Neq; diu deliberandum fuit quibus in Regnis huic operi locus quærendus esset, cùm Gallia tumultibus quateretur, & Catholici Regis munificentia grandior quotidie euaderet ipsa opportunitate benefaciendi; cõmota præsertim vehementer recenti ex Anglia decreto teneros ab vberibus Adolescentes abripiendi, & heterodoxis institutoribus tradendi communi schismate inficiendos. Placuitque *Audomarensis* ciuitas, tum Religione ac fide nunquam violata nobilis, tum vicinitate portuum commoda (nam æqualibus prope itineribus disiuncta est Caleto, Graueling, Duynkerca, vnde in Angliam facillima nauigatio) tum denique Cæli, soli, victus similitudine teneris adolescentum annis aptissima videbatur, à Batauorum verò incursibus quàm longissimè dissita. Impetratis itaque à Rege Catholico ad sexdecim Iuuenes Audomari alendos decem ducatis singulis mensibus in singula capita, & literis ad Mansfeldium (eo tempore Belgicarum Prouinciarum pro Rege moderatorem,) ad Richardottum etiam Concilij præsidem, ad Episcopum, & Magistratum Audomarensem, & alios, *Guiliemo Flacco* (quem *Personius* ex Italia acciuerat socium) res traditur conficienda. Is in Belgium cùm venisset, cum *Oliuerio Manaræo* Prouinciale, & Patribus Audomarensibus communicato consilio, traditisque à Rege literis, quâ potest diligentiâ rem promouet, non multis initio incerti euentus nouum opus adiuuantibus. Nam alij locum aquis pænè circundatum damnabant, vt solo insalubri positum: Alij rem intuebantur, non vt nouam modò, in qua omnia in expectatione sunt, sed vt humilem, & abiectam, nequetantis dignã curis: Alij externis hominibus, Anglis præsertim cum quibus bellum Hispano erat, ciuitate finitima recipiendis obstabant: etenim sint Iuuenes ab omni suspicione immunes, at illis qui ea occasione in vrbem irreperent quis præstare possit fidem? Quis deinde spondere de sumptu? In principijs enim feruet munificentia, friget perlæpe in progressu. *Alano* præterea Cardinali & *Barretto* Præsidi Duaceno non arridebat hoc nouum penè in conspectu domicilium; alhò enim auertendam Iuuentutem, & subsidia verebantur, & suum isto non exonerandum sed euacuandum Seminarium. Conducta tamen domus est exigua primũ, & iuuenes initio septem, deinde 18. impositi: Quorum rem procurabat ipse *Flaccus*, addito *Nicolao Smithæo* ad regẽdas conscientias. Tum quoniam Rex auxerat pecuniã ad duo millia ducatorum annuè percipienda ex vectigalibus ijs quæ in licentia importandi panni consistebant, illisque

Regis literæ ad Mansfeldium, & alios Anno 1593.

illisque qualibet de causa deficientibus, ex quibuscunque aliis certissimis erarij sui rationibus, numerum verò alendorum iuuenum permittebat iudicio Patrum Societatis *Iesu*, sub quorum disciplina eam fundabat domum, quæsita est amplior (quam nunc habitant Capucini) ac denique tertia, septingentis quinquaginta empta libris nostratibus à Decano *Bersac*, quam iam ab annis sexaginta insederunt, plateâ Ciuitatis amplissima, aëre libero, vicinitate honestissima, agro sat magno, atque à patrum Scholis modicè disiuncto. Ciuitas nuperrimè Gallorum afflicta incursionibus, & quæ nunquam sibi videtur sat ab externo tuta, assueta præterea hybernis militum grauari; cùm Regi, post varia proposita impedimenta, pro potestate mandanti hos iuuenes domo recipi, diutius non posset obsistere; vt secura esset, datus est Rector Regi subditus; vt impĕ ſæ ipsa parceret, nulla vel prece vel ratione passa est induci, vt quæ ædes emptæ, vel in futurũ emi contingeret, à m litũ seruitute essent liberæ: Itaque Rector datus est Rege assentiente *Ioănes Foucàrt* Gallobelga; seruitus hodieq; manet, eodemq, quo ante emptionẽ oneratur domus milite. 1594. Regis literæ ad Ernestum 4. Martij.

VII. Creuit tamen istud cum die Seminarium & numero, & re, & ædificiis coëmptis, & factis; & quod in primis spectatum fuit, pietate ac literis. Nam ab initio cum optimis vicinarum nationum ingeniis in florentissima tunc temporis Patrum Belgarum schola pari loco contendebat; & annis consequentibus postquam domesticos intra parietes studiorum palæstra constituta est, græcis latinisque literis tam assiduam, tamque felicem operam nauauit copiosa iuuentus, vt in longinquas Regiones fama propagata, laudi suæ & glorię doctissimorum hominum adiunxerit admirationem. Etenim *Ægidius Schoondonckus* Brugensis, post *Foucartium* Rector, vir natus factusque ad Iuuentutem rectissimis præceptis informandam, eò collimabat vt quos acceperat optimarum disciplinarum capacissimos, hos aut redderet Patriæ, aut ad altiora Romam studia, aut in Hispaniam dimitteret, non leuiter tinctos, sed omnibus humaniorum literarum ornamentis conspicuos. Itaque à primo confestim limine græca iungebat latinis, & balbutientes cum iucunditate audiebat & cum laudis præmio. Tum cùm verborum aliquam copiam didicissent, docuit ex altiori loco super mensa interpretari faciliora quædam vel ex nouo testamento Græco, vel ex Isocrate, Chrysostomo, & similibus; Modo vt ex Græco Latinè redderent, modò vt facerent ex Latino Græcum. Aliquantulum deinde progressis dabat argumenta quædam, seu Theses, de quibus ex præcogitato primum, tùm etiam ex tempore disputarent, vno affirmante, altero negante, & probationes alterius refellente, verbis primo loco græcis prolata sententia, tum eâdem latinè enuntiatâ. Ita factum est vt cum mediæ supremæque Grammaticæ huiusmodi exercitationes miscerentur, ad Poëtarum, Rhetorumque scholas euecti promptissimè de re qualibet repente proposita vtrâque lingua disceptarent. Quod cùm externi ad mensam vocati experirentur (nam ipsi proponebant quam vellent thesim) nemo erat qui ingenio, industriæ, promptitudini denique & gratiæ plausum non daret Eius incrementa & splendor. Ægidij Schondonchi laus.

1594. & tantam in teneris annis vtriusque linguæ, & verò rerum sententiarumque copiam, & acumina non suspiceret. Neque minor fuit viri istius admirandi ad mores informandos industria; Nactus enim Adolescentes ad suscipienda virtutis semina perquam idoneos, excelso etiam nobilitatos animo, vt qui honore & gloria plurimum atque comitate ducerentur, his vt ipse excellebat, eisdem quæcunque tradebat præcepta inspergebat, domesticarumque actionum ordinem à prima luce ad multam noctem tanta concinnitate descripsit, vt hic etiam intuentibus admirationi sit, & posterioribus annis Belgas ad eandem inter Anglos disciplinam concupiscendam pellexerit. Vt autem pietate iucundissimè imbuerentur, ad cantum musicum, tum voce tum diuerso instrumentorum genere, voluit quam plurimos erudiri; tum empta vicina domo, atque in sacrarium versa, sacras ceremonias decentissimè peragi, & vario condiri concentu: Sodalitates denique inter ipsos adolescentes distinxit, sub Sacratissimæ Virginis, & Angelorum nomine; vt qui ad virtutem passibus non æquis proficerent, præcurrentium ardore incitarentur. Quæ duo virtutis & literarum ornamenta eo Rectore annis decem & septem stabilita, tanto splendore domum illustrarunt, vt viri amore & veneratione ad ipsos Angliæ Hæreticos delatis, id quod legibus inhibebant laude prosequerentur: Catholici vero nusquam liberos collocari arbitrarentur melius quàm sub huius vmbra; qui cùm ad complectendos, præter linguam, cuncta se profiteretur habere Anglica, tum ad instruendos diuina quadam videbatur insignis facultate. Auctusque est numerus Adolescentum illo regente vltra centesimum: Idemque ad nostram ætatem continuatus, ijsdem sub *Schoondoncki* institutis; vt iure merito huic viro debeatur & incrementum, & tanti gloria Seminarij. *Schoondonckum* secutus est *Philippus Dentiers* ex Flãdria Gallicana oriundus, ciuitate quam dicunt Insulam, rexitque annis quatuor. Tum Missione Anglicana erecta in vice-Prouinciam, & dato Collegiis eius gentis in Belgio sitis vice Prouinciale Anglo, Anno seculi decimi sexti vigesimo secundo ineunte Anglum etiam Rectorem admisit Ciuitas *Guilielmum Balduinum*, recenter ex arce Londinensi dimissum, vt in loco dicetur: Atque ab eo tempore continuatis in ea gente Rectoribus, didicit non minore fide posse Anglos præesse in vrbe hosti finitima, quàm reliquos Hispano subditos. Depositisque suspicacibus animis, vniuersos quantouis numero locupletatos summa caritate complectitur & recreat humanitate.

Vita & Mors Ioannis Cornelij.

VIII. Ista dum perficiuntur à *Personio* in Hispania Tyronibus alendis exercendisque ad futura pro Christi fide certamina, veterani in Anglia milites in quam arenam fortes audentesque descenderant, in eadem victoriæ palmã imperterriti defixerunt. *Ioannes Cornelius* vitâ cum eximia Sanctitate traducta, & non minori cõstantia morte pro Christo obita annum nonagesimum quartum illustrauit: Natus Bodmaniæ in Cornubia, Parentibus humili vtroque fortuna (vt qui purgandis caminis dicuntur traxisse familiam) quàm vere dictum sit, *Deum humilia respicere, & alta à longè cognoscere*, in se vno demonstrauit.

monstrauit. Angli quidem scriptores sibi martyrem vendicant, & Hyber- 1594.
ni sibi Ego quoniam ipse in Anglorum de vrbe Seminarij albo suâ manu se Cornubiensem inscripsit anno octogesimo, Anglum dico. De matre etiam disputatur, an Angla fuerit, an ex stirpe apud Hybernos non ignobili: certè *Cornelius* post tres annos repertam in Insula marito viduam, apud hospitam suam Dominam Arondeliam collocauit vt vitæ vtriusque subsidiis nobilis hospitæ liberalitate aleretur; *Cornelius* verò ipse à puero ad literas eo ardore ferebatur, vt ludentibus condiscipulis se subducens libris incumberet: Quem *Ioannes Arondelius* (is qui amplissimis possessionibus splendorem domesticum adiungens, in occidua eius insulæ regione, nomen sibi fecit Magni Arondelij) chartis sub sepimento affixum cùm vidisset, rogasseríque cur suis in prato vicino non colluderet potius?" *Quoniam maiori*, inquit puer, *capior librorum voluptate.* Eo delectatus responso Arondelius, nummo aureo in præsentiarum donatum monet vt *quo cæpisset pede pergat*, fructum in reliqua ætate percepturus copiosum; deinceps verò eum domi, tum non mediocriter proficientẽ in Academia Oxoniensi pluribus annis fouit, transmisitq; deinde Rhemos. Hinc profectus Romam Anno octogesimo, Theologicis adhibitus est; & anno altero coram Pontifice (vt illius fert mos Seminarij) in Natalitijs Christi Domini perorauit. Domesticis magno fuit in omni virtutum genere exemplo, & tam magna modestia, vt cùm tribus annis Collegiũ Romanum (non longo itinere) studiorum causa frequentasset, quâ illuc ab Anglicano iretur ignorarit. Sacerdotio initiatus, redijt ad veterem Mæcenatem *Arondelium*, qui domo receptum, dum vixit, coluit, morienséque commendauit Viduæ Baronis de *Stourton* quam secundis sibi nuptiis iunxerat. Erat *Arondelius* non minus fide Catholica quàm ingentibus facultatibus illustris. Repetito igitur eo consilio quod puer acceperat (vt *quo pede cæpisset pergeret*) non cessabat *Cornelius* hortatorem suum animare assiduè ad constantiã, vt quam Religionem imbiberat, ab ea se nullo oblato discrimine pateretur dimoueri, cæptis autem adderet non imparem coronidem; neque fuit irrita monitio. Ipse verò quâ vitæ innocentia, quâ sermonis inter concionandum grata vehementia, rem Catholicam ijs in oris ad decennium sustinuit propagauitque, potestate præsertim in malignos spiritus memorabilis; ferturque cùm non-dum ætatis annum trigesimum exegisset, tantum ieiunijs, oratione, cæteriséque asperitatibus contendisse in quibusdam expellendis, vt paucis mensibus canis inspergeretur; tum vero cùm plurimum in altero eijciendo laborasset, neque obstinatus hospes cederet, sub Missæ Sacrificium petijsse vt potius ipse deleretur de libro vitæ, quàm vt Dei gloria, Ecclesiæ potestas, reíúe Catholica apud astantes pateretur detrimentum; quâ prece victus malus dæmon confestim exilijt, clamans se *Cornelij* Charitate deturbatum: Alter cum eijceretur obtulit per iocum asses duos ad restem comparandum, quo *Cornelius* intra annum penderet. *Neque semper est mendax qui nequam semper est:* Nam famulo domestico prodente comprehensus pependit. Fuerat id illi frequen-

Eius in malos dæmones potestas,

1594. Pariendi cupiditas.

li frequenter in votis: Etenim rogatus aliquando vt pij aliquid inscriberet libro qui offerebatur, Metro Anglicano scripsit in hanc sententiam. *O si possem, hac quàm vellem carne spoliari! Quàm vel reste, quàm vel Cruce, quàm equuleo liberari!* Tum Latinè, *spernere mundum, spernere nullum, spernere sese, spernere se sperni, vita boni Monachi est.* Et sanè in omni vita cõmodorum quorumcumq; fuit negligentissimus; Totus in Deum erectus, atq; in ijs quæ in se diuinũ obsequiũ aut in alijs promouere possent vigilantissimus. Nullo se auræ iniquitate, nullo persecutionis metu, quin salutaria adferret remedia, eaq; opportunè importunè ingereret deterreri sinebat; Mutatis stationibus conuocatos alibò & alibò Catholicos solabatur, hortabaturq; ad constantiam, recreabat concionibus, sacrisq; pœnitentiæ & Eucharistiæ mysterijs confirmabat: illi conferti summo studio confluere vel intempesta nocte: sæpe cùm priuatis in ædibus conuenire intutum esset, securitatem in opaco syluarum longè à militari via concioni quærebat, & pronis vbiq; auribus audiebatur. Erat enim illi mirus & accessus in dicẽdo spiritus, neruus in persuadendo, in reprehendẽdo acrimonia, & constantia. Vix tertius ab aduentu eius in Insulam effluxerat annus, familiæ supra 30. eo auctore ab nefaria Hæreticorum cæna, atq; omnino ab eorum fanis se abstinuerunt. Iacebat abiectus ab omnibus ruri in casula pediculario morbo æger extra spem vitæ senex Hęreticus, muscis obsitus, & sordidis vndequaque bestiolis toto passim corpore miserabiliter ambesus, diritate spectaculi, & graueolentiæ fœditate horrendus. *Ioannes* ærumnosi hominis comperta destitutione confestim euolat; inuento assidet noctem integram; solatur, in spem vitæ melioris excitat, ab errore deducit; demum à noxis sacra confessione expiatum Extrema-Vnctione confirmat, pollicitus diuinum etiam viaticum (si in alteram noctem supersset) allaturum. Redijt *Ioannes* ad suos ex ea peruigilatione adeò totis vestibus oppletus illuuie & multo verme, vt confestim depositæ, ex vsu deinceps esse nequiuerint: Sed illæ, præ veste quam defungenti seni mercatus fuerat, vilis erant pretij.

In proximos caritas.

Et in deũ.

Ingens illi pietas in Deum fuit, in se odium ingens. Horas vnicuique actioni addictas habebat fixasque, quas nunquam nisi aliena causa violaret. Quinta à noctis medio sacrificare consueuerat, nè qua postmodum necessitas litationem impediret: Quâ vna in functione dicebat animum suum nonnihil diuiniore sensu tenerescere, & quidquid illud esset temporis solidè plenum esse Paradiso. Nunquam non aliqua in eius parte lachrymas effundebat, & cùm sanctiore hebdomadâ Christi Domini passi relegebat historiam. Abripiebatur aliquando in rerum diuinarum commentatione tam longè à sensibus, vt cùm vir nobilis consilij causa fuisset ad ipsum ingressus, repertum nixis humi genibus, decussatis pro pectore brachijs, immotis & in sublime erectis luminibus, diu nullo potuerit strepitu ad se reuocare, cumque an superstes vitæ, an iam expers esset ambigeret, intento demum conatu excitauit, rogantem obtestantemque nè quem faceret eius rei quam compererat conscium. In se atque in corpus suum flagris acriter sæuiebat: Cilicium gestabat promissum in saguli modum

In se seuerus.

dum genuum tenus nodis intextis vndique asperatum; Annos complures qua- 1594.
ternis per hebdomadem diebus edendi se penuria macerabat, donec ab *Henrico Garnetto*, postquam se illi subiecit, ieiunia tam seuerè protogare prohibitus est. In egenos largè profundebat omnia, sui negligens, Deo fretus: hortabaturque omnes ad similem profusionem, certos *nunquam sibi quæ ex vsu essent defore dum Deo fœnerarentur* Quibus quod erogarent non suppetebat, eos iubebat præsentẽ alterius inopiam recitata pro eo dominica precatione mitigare. Porro quàm Deo curæ sit huiusce modi virorum salus dum hora illa venit quæ coronæ reddendæ præfixa est inde conficias, quòd commorantem in viri nobilis Palatio in prato Mileno (id loco nomen est vno ab Londino milliario) cinxerant indagine vestigatores Regij, & improuiso Palatium ingressi, in ipsum rectâ conclaue se inferunt vbi *Ioannes* imprudens periculi, togam exutus & pallium (vt domi priuatim fit) dabat operã scriptioni, & forte calamum (vt assolet) ore tenebat: Miratus tumultuosam foris aperiendæ licentiam, respicit, & conspicatus satellitium, immotus sedet. Illi hærere, & tanquam prædâ frustrati circumspectare; Tum *Ioannes* id quod res erat suspicatus, diuinitus eorum obtutus impediri, silentio per medios illos egreditur, nec data salutatione, nec accepta, nec calamo ab ore dimisso; Transeuntem per hortum obuij duo Catholici familiares sistunt, & hominis grauissimi cultum leuiculum admirantes, quid agat rerum sciscitantur; Euentu cognito, Deum venerati, Sanctimoniam viri passim laudauere.

IX. At quando colligendi fructus tempus opportunum diuini Hortulani iudicio maturuerat, vnusquispiam è mediastinis, quem Domina, egenum hominem miserata, in domũ ad vilia seruitia admiserat, spem vecordissimam conceperat potiundæ nobilis è gynecæo Virginis in connubio, si *Ioannem*, à quo fuerat acrius de audacia obiurgatus, ministris Regijs tradidisset. Prouinciam obtinebat pro Rege Vice-Comitis titulo, Eques Georgius Mortonus: Duumviri Capitales erant, ex eorum numero quos vulgo Iustitiarios, seu Irenarchas appellant, Georgius Trenherus & Rudolphus Horsæus. Hisce facit silentio indiciũ infidus ardelio eorum omnium quæ domi ex interuallo gerebantur. Deliberatum ijs erat sacro Dominicæ Resurrectionis die domum adoriri: Sed cùm *Ioannes* accepta, vnde nescio, periculi suspicione, nequidquam obnitente Domina maturasset euadere, post impertitum illico à media nocte domesticis in sacro Paschale Sacramentum, certiores ab nefario proditore facti quieuere. *Ioannes* in vicinia clam quæstum facere occæperat animarum, & sui quàm alieni discriminis negligentior redire tergiuersabatur. Tamen cùm vrgeret Domina reditum vel fortunarum vel si res ferret capitis sui pretio, diutius obluctari tantæ fidei & charitati nequiuit. Altera secundum Paschã Dominica, quâ boni Pastoris ex Euangelio partes repetuntur, dum agendis à sacro quinta hora facto gratijs intendit, duumuiri cum satellitio Castri muros transgressi, nudis mucronibus penitus in ædes perrumpunt, fores & quidquid repagulorum erat aut euertunt aut frangunt: Sed dum se *Ioannes* iniecisset tempestiuè in latebram, scru-

1594. tatorum improbam sagacitatem quinas ipsas senalúe horas frustratus est. Iam desperatâ prædâ parabant abitum, piorum librorum & sacrarum vestiũ apparatu quem deprehenderant graues. At Trencherus, Duumirûm alter, verberatus nonnullius conuitio exprobrantis exiguũ tantæ inuestigationis & haud sanè par extitisse pretium; At ego, inquit, vt labori vel supra æquũ fructus respondeat actutum fecero; & vocato perfidioso illo famulo, Heus tu latebram Sacerdotis patefacito; Eam ipse quoniã dum ad vile seruitiũ ędium aliquando penetralia subiit apertamq; alicuius indiligentiâ forte obseruarat, Trencherũ ad eã rectâ perducit. Patefacto latibulo apparuit *Ioannes* precationi intentus, ad cuius conspectum turba satellitum prægestiens lætum clamorem extulit: Ille à Trenchero productus prodiit imperterritus, & dicenti Duumuiro gaudere se ipso comprehenso, multo magis sua comprehensione se gaudere respondit. Nomen & cognomen scisciranti edidit, Sacerdotij etiam dignitatem, & Iesuitici nominis studium propensissimum. Exprobrantibus fugam & latebras obiecit Apostolum gentiũ Damasco in sporta per murum à fratribus demissum profugisse. Aderat *Thomas Bosgrauius*, Dominæ ex Marito propinquus: Is nudo vertice *Ioannem* non satis ex dignitate haberi dolens, suum illi galerum imposuit, & de studio tuendi proditoris reprehensus, inuidiam eius nominis ab *Ioanne* libera oratione dimouit, quamobrem ipse etiam custodius asseruatus est. Sub hæc in toga talari & pallio quibus amiciri domi consueuerat equum conscendit, Crucis sibi signo inducto, & Trenchero ad latus, comiti quàm captiuo similior, vectus est; nam viri grauitas, modestia, patientia, & fidei Catholicæ asserendæ constantia, ipsis hostibus fuit admirabilis; vt nunc demum intelligerent eius fuisse pietatis, atque omnis officii hunc fontem quibus familiam illam florere conspexerant, origine ignorata. Quatuordecim dies à Trenchero *Ioannes* dum Londino Regij Concilij sententia repetitur, liberaliter & honestè habitus est, herilis mensæ quotidianus conuiua, & Bibliothecæ quoties collibuisset compos factus, patrocinante præ alijs ipsius commodis Trencheri Coniuge, quam viri optimi mores vehementer cõciliarant. Sæpe cum Doctoribus Hæreticorum congressus suam fidei Catholicæ dignitatem firmitatemque luculenter ille quidem, sed æqua modestiæ laude asseruit. Charcum tota eâ Prouincia facilè Principem ac Coryphæum, liberetne Latinè secum, an Græcè, aut Hebraïcè disserere temerè scisciranten, breui responsione (se videlicet, quacunque interrogasset secuturum) in publicam verecundiam adduxit, cùm deinde palam constitisset satis ignarum fuisse Charcum singularum: Duas Ministrorum vxorculas ad altercandum secum de sacris literis muliebri impudentia prouocantes, ad colum ablegatas & pensa compescuit. Gualterus Rawleyus, Equestri dignitate, Reginæ gratia, & Mathematicarum disciplinarum scientia nobilis, totam vnam noctem cum illo decertando transegit vt dubitationem sibi nonnullis in rebus tolleret; cui tantopere & agendi comitate & reliqua dictione *Ioannes* placuit, vt quamuis propter obiectam Atheismi opinionem suboffendisse apud eum

Capitur.

apud eum videretur, sua tamen illi apud Reginam officia discedens vltro con- 1594.
dixerit. Quarto decimo die Senatus Regij Londino iussa perferuntur, vt omni ope *Ioannes* à sua sententia dimoueatur; quam si tenere obstinatus perrexerit, Londinum extemplo adducatur. Trencherus, nè operam in *Ioanne* sollicitando luderet, omisso priore imperio, alteri continuo obtemperauit.

X. Vt ventum Londinum est, in carcerem qui Equitis Martialis dicitur, retrusus non post multo sistitur senatui Regio, quos inter fuere Cantuariensis Antistes, Præfectus Ærario, & rei maritimæ Moderator. Illi virum innocentissimum incêsse re primũ contumelijs Contra ipse nihil indecorum se, nihil vnquã probrosum, aut suę conditionis alienũ egisse. Illi percontari quibus alijs in locis, & apud quẽ diuertisset? Quod vt dictu iniquũ reiecit. At quod refugis (inquiunt) vltro prodere, tormentis exprimetur. Subinde reductus ad carcerẽ, ieiuniis, verberationibus, vigiliis, liberalitate in pauperes ad honestã proChristo mortẽ idoneè subeundam se comparat. Hic etiam, factâ ab *Henrico Garnetto* copia, coram tribus arbitris, vno Religioso, duobus reliquis nobilibus, vota Societatis nuncupauit, tanto animi gaudio, vt domum scripserit, nunquam sibi tantum dulcium lachrymarum, tantum diuinæ voluptatis obuenire alibi potuisse, quantum beatus ille carcer sibi peperisset. Mortonus interea, quò salutis publicæ studium, & Regij obsequij præseferret, scribit senatui non videri populum concitatum posse componi, nisi sublato è viuis eo Sacerdote quem nuper transmiserit. Senatus subito remittendum decernit. Ingenti solatio illi fuit extulisse Londino secum tot hostias rite consecratas, quot ad communicandum quotidie vsque ad supremos duos dies sufficerent. Dorcestriæ libera fere Vice-Comitis in custodia habitus est. Et quo triduo præstolari consortes supplicij debuit, totum impastus propemodum & insomnis precando egit, tanta feueritate vt Vice-Comitem cura incesseret ne pia sæuitia suam vltro mortem ipse occuparet. Tantam facilitatem excubiarum in admittendis ad se Catholicis, horum vero adeo propensa in se studia experiebatur, vt metuere se vehementer diceret ne qua ex parte secundum numinis fauorem sibi illa corrumperent. Postridie Calendas Iulias vinctus in Iudiciale subsellium per publicas vias ducitur, & secundum illum etiam *Thomas Bosgrauius*, & duo famuli, *Patricius* & *Ioannes*; quorum diu seruitio Pater vius fuerat, & nè Domini deforet imitatio, longe licet dispari in causa, quidam alius latrocinij reus. Patri voce præconis cò læsæ Majestatis crimen impositum est, quia vetitas ab Regina Missas fecerat, Confessiones audierat, Edicti Regij in Catholicos & Sacerdotes sanciti penes se impugnationem scriptam habuerit. Nec dispar sociorum causa fuit, quòd Sacerdotem honore & obsequio fouissent, texissent. Rogatus ex vtu gentis quibusnam vellet arbitris experiri? Respondit primùm, lectis è clero Catholico sui similibus: Aut si id non posset consequi, certè ex Academicis Oxonienſibus: Sed iussus more ma-

yepes narrat admotum fuisse quæstioni. 1. 5. c. 4. 5. 2.

Ad vota Societatis admittitur.

Reducitur Dorcestriã & damnatur.

1594. iorum contentus esse, tei Majestatis ipse & socij pronunciati sunt. Tum verò *Bosgrauius* & duo famuli Christum in suo Sacerdote reueriti, ad eius se pedes proni obuertêre benedictionem excepturi quam ab illo flagitabant. Eo spectaculo nec populus admirationem potuit, nec latro (suprema quoque ipse damnatus sententia) lachrymas dissimulare: Eum Pater allocutione solatus, demum etiam ante supplicium salutaris fidei consortem consciuit: Corrupti etiam verbi ministrum adeò comiter & cordatè habuit, vt si non perfidiæ nuntium, certè ministerio remiserit. Hora post meridiem quinta rursus deductus in custodiam, lictoremque conspicatus, (*Enimuero*, inquit, *perlibenter ego te video.*) Noxilla in precatione, cohortatione mutua, & vicenûm duorum confessionibus excipiendis peruigilata est. Wamesleyus Iudex, qui lachrymabundus & velut necessitati parens, laudata Patris pietate & doctrina, sententiam mortis protulerat, executionem, quamdiu potuit, protraxit, propositâ vitæ Indulgentia, dum templa velint Hæreticorum ad-

Quo ordine pexi. ire. At fortiter omnibus aspernantibus, diei alterius hora prima secundum meridiem, ferali sententiæ destinata est. Procedens è carcere *Ioannes*, "*A Cruce* (inquit) *ad Christum glorioſus est tranſitus.* Erat in promptu crates viminea: Huic animo vultuque composito vltrò incubuit; & inter raptandum, socios qui pedites ducebantur, identidem ad constantiam hortando firmabat. Eo spectaculo, vir eius Prouinciæ honestus & locuples vehementer perstrictus, ad ipsum adijt, benedictionem petijt, Catholicorum se partibus accessurum spopondit, & Hæreticorum conuenticula detestaturum. Vbi ad locum supplicij peruentum est; Primus in trabem actus est latro; cui tantos animos Pater addiderat, vt voluptati sibi esse atque honori diceret mortis societatem cum id genus heroibus: succesſit *Ioannes* famulorum alter, qui restem suauiatus, suæ fidei libenter vitam se litare ac sanguinem dixit. Post illum *Patricius*, palam admonito populo solam eam fidem esse salutarem, quam sua ipse morte consignaret, laqueo strangulatus est. Secundum hos *Thomas Bosgrauius*, vt erat nobilitate, doctrina, facundia pollens Catholicam fidem attentissimis auditoribus plena oratione commendauit.

Postremus in certamen descendit *Ioannes Cornelius*, qui post breuem orationem, osculum terræ sub primo scalarum gradu fixit, tum Sociorum pedes è trabe pendentium venerabundè exosculatus, in patibuli complexu, verbis Apostolicis exclamauit, *O bona Crux, diu desiderata* &c. In conscensu, circumlatis in populum oculis, illam psalmographi vocem exuberante animi sensu vsurpauit, *Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus Cæli &c.* Sed nè porro pergeret ad concionem dicere prohibitus est. Addidit tamen se non multo ante Londini, id quod diu in votis habuerat, Societati *Iesu* fuisse adiunctum: Cuius Tyrocinium quando non dabatur in Belgio, quo fuerat propediem abiturus, hoc agone glorioſius poneret. Tum fusa pro suis persecutoribus, pro Reginæ Hæreticorumque omnium

omnium salute ad Deum prece, laqueum à carnifice porrectum oscu- 1594.
latus, collo induit, & confestim scalis deiectus est. Nondum efflauerat animam quando illum Carnifex fune præciso lapsum humi excepit, calentique ac spiranti pectus dissecuit, quo tempore Pater manum fronti veluti se signaturus admouit. Corpus discerptum quaternis infixum palis ad ferum diei in loco supplicij pependit; tum vnà cum trium reliquorum corporibus tumulatum est: Caput summo præfixum patibulo triumphum clausit quo *Cornelius* carnis sarcinam vt pridem optauerat exuens, lætus ad Cælestes sedes euolauit. De quo capite narratur lucis radio cinctum fulsisse; Tum populi studio, gubernatorisque auctoritate, eò quod (quemadmodum in similibus suppliciis experti erant alias) grauissimæ procellæ segetibus incubuissent, sublatum in Catholicorum potestatem deuenisse.

Misericors Dei seueritas in Baronē de Stourton.

XI. Illud verò hoc loco non est prætermittendum quod viuente adhuc *Cornelio* accidit ad Dei misericordem seueritatem commendandam dignum memoriâ. Baro de *Stourton* (cuius Viduam deinde duxit *Arondelius*) animo Catholicam, externo cultu deformatam Religionem sectabatur, sacrorum Cælestium vsum fructum facultatum conseruationi postponens. Nè verò illum mors hoc graui in neglectu imparatum abriperet, duos domi alebat Sacerdotes; caueratque nè vterque vno die, vnaue nocte vnquam abesset; at aliter quàm cautum fuerat, Dei occulto iudicio, accidit quando illum extrema oppressit ægritudo: Nam vtroque absente, nulla etiam cuiusquam diligentia Sacerdos alter reperiri potuit. Vocatis itaque vxore & œconomo, expositoque multis cum lachrymis dolore quo vehementer angebatur, quod cum maximè vellet ritus Catholicos moriens vsurpare, tam magno fraudaretur dono; agnitaque simulatæ Religionis grauissima culpa, & eorum præterea quæ abeuntem è vita grauabant veniam à Deo humillimis votis precatus, moritur. Res defertur ad *Cornelium*: Rogatus an liceret pro hoc mortuo orare? *Prorsus*, inquit, *& licet, & necesse est.* Postero inde die sacris operanti, & defunctos memoria repetenti, sistit se ad latus Euangelij is qui recenter obierat, consueta vestitus toga: Rogat Patrem vt misereatur; vri enim se purgantibus flammis; apertaque veste, ostendit ambustum latus; petiit etiam astantibus commendari: *Cornelius*, vultu in eam partem conuerso, tam diu hæsit orans, vt à ministrante monitus, finem non faceret. Peracto verò sacrificio astantes hortatur vti pro anima Baronis de Stourton defuncti perseuerarent orare; torreri enim Purgatorij ignibus, & viuorum subsidia flagitare. Quidam narrant inter viuorum commemorationem defunctum se stitisse primùm, alij etiam ministro visum esse: Vt verò hæc se habuerint, res omnium sermone celebrata est, atque in hunc vsque diem ab vtriusque familiæ & *Stourtoniorum* & *Arondeliorum* hæredibus certissimè traditur. Ne vero *Cornelij* hæc sententia, aut narratio tota improbanda cuiquam videatur, eiusdem generis aliud adnectam, quod in notis *Gerardi* nostri reperio non multis post annis accidisse. Addide-

1594. rat *Gerardus* Ecclesiæ nobilem quendam in Comitatu Staffordiensi: Hic parem sibi familiaremque decumbentem inuisens, suadet vt salute corporis prope iam desperatâ, sempiternæ animæ saluti tempestiuè prouideat: Annuit æger, & quoniam sciebat aditum in Ecclesiæ gremium primum fieri per Confessionis Sacramentum, quæri sibi Sacerdotem legitimum vehementer postulat; Interim dum quæritur Sacerdos, ingrauescit ægritudo: Inter mortis angustias anhelat æger ad animæ medicinam; rogat frequenter an promissus ab amico medicus aduenisset; At dum quæritur, moritur: Relicta à morte vidua, dum nocte se componit ad quietem, videt per cubile errans lumen, modò in aëre vagum, modò intra lecti cortinas fixum: Continuato per plures noctes spectro territa, aduocatum nobilem illum qui marito auctor fuerat vt Catholicè moreretur, precatur vti doctos consulat quidnam rei lumen istud portendere existiment. Respondetur primò, ipsam hoc lumine ad Catholicæ fidei lumen inuitari: Non abnuit: Reddita Catholicis, Sacerdotem eo in cubiculo sacris operari voluit, quò à spectro libera esset: Non liberatur: Sacerdotes inde plures consulti referunt, vero simile esse, Sacramenti votum cum sincera in morte ad Deum conuersione profuisse marito; animam iuuandam esse precibus: curandumque vt triginta diebus continuis Sacrosancto Missæ Sacrificio pro illa oblato propitius reddatur Deus. Nocte quæ trigesimam oblationem est subsecuta, non vnum solum, sed tria apparent lumina, duo quasi sustinentia tertium; quæ cùm intra cortinas aliquamdiu fixa stetissent, ascendendo euanuere; Neque deinde cuiquam sunt visa: Non immerito verò speraſſe videtur mulier solatium quietemque quam ipsa ex hac postrema apparitione consecuta est, tanto ampliorem marito tributam, quanto sunt maiora, quæ defunctos, quàm quæ viuos comitantur gaudia.

XII. *Cornelius* itaque in ea Insulæ Regione quæ solem occiduum spectat, pietatis, & constantiæ radios viuens morienſque diffudit: *Robertus Southwellus* & *Henricus VValpolus* Meridiem, & Septentrionem (anni sequentis exordio) virtutis & robotis pari honore condecorarunt, ille Londini, hic Eboraci, inuictorum orientis Ecclesiæ Martyrum æmuli, & eo quo ardebant animo fidei propagandæ causâ asperrima quæque subeundi, & gloriâ quam Sancto fine consecuti sunt immortali. Richardus Southwellus inter Septentrionales populos, quos Norfolcienses vocant, ad oppidum Sanctæ fidei, Nordouico non plus ter mille passibus distans, vir nobilis & copiosus, filium tertio genitum habuit *Robertum*. Hunc absente aliquanto diutius nutrice, relictum in cunis, quoniam erat perbellus, abstulit vaga mulier, suumque deposuit. Sed non diu latuit furtum; ad non longè positam domũ mendicans deprehẽditur; fatetur lucri causa id feciſſe, puer restituitur. Id in præcipuis beneficiis habuit deinde *Robertus*, Dei in se beneficentiam frequenter multoq; cum grati animi sensu commemorans. "Quid enim? aiebat, si apud vagam mansissem? quàm abiectè? quàm sine vlla Dei cognitione, aut reuerentia?

Roberti Southwelli natales, educatio, ingressus in in Societat,

Quanta

Quanta in vitiorum turpitudine? Quàm magno in periculo flagitiorum? Quo in mortis infelicissimæ atque æternorum suppliciorum indubitato discrimine versatus fuissem?) Deinde cùm redijt Sacerdos, non cessandum existimauit donec eam fœminam quæ furtum prima detexit, quamque vt diuinæ in se clementiæ instrumentum intuebatur, reddidit Ecclesiæ omnium matri ab Hæresis contagio liberatam. Quindecim annorum adolescens (vt & ipse ab Hæretica peste securior esset) missus Parisios, in contubernio nobilis & summa virtute ac fide viri Ioannis Cottoni biennium duxit. *Thomâ* verò *Darbishier* (quem supra memorauimus) vtebatur ad pietatem instructore: Apud hunc deponebat quidquid tenellam mentem culpæ tangebat; huic impertiebatur si quid secretioris consilij diuina benignitas ad animum attulisset; ab hoc in ea benignitate fiduciam reponere didicit, & eandem ad quæcunque pie statuisset perficienda sperare adiutricem. Iam tum enim amplectendæ arctioris vitæ, & se Deo in Societate nominis *Iesu* consecrandi cogitationem susceperat, & apud eos qui tanto eum possent donare munere summa vi summoque ardore egerat vt quam primùm adgregaretur. Bono animo esse iussus, expectandum tamen tempus quo ætas & consilium firmius propositi constantiam commendarent, ad aram diuinæ benignitatis scripsit Querimoniam, qua se conferens cum Agar eiecta de domo Abrahæ, maiorem se aiebat habere causam doloris, vt qui familiâ digniori excluſus esset. " Qui enim fieri potest vt mœrore non conficiar (inquit) qui me video disiunctum ab eo cœtu, ab illa Societate segregatum, diuulsum ab illo corpore, in quo posita sunt mea vita, meus amor, totum cor meum, omnesque affectus?) Et plura in eandem sententiam. 1595.

XIII. Cuius Querimoniæ Authographum Anglicè scriptum cùm postliminio ad me delatum sit, eius exemplar huc referendum censui, quo pius lector intelligat quid in penè puerili pectore cælestis ardor concipere, & quid tener calamus gratiâ Sancti Spiritus imbutus possit exprimere, sic enim secum mœrens loquebatur. " Agar in deserto videns quem lactabat paruulum siti emorientem, se verò quo succurreret destitutam, tantam non habebat causam suam deflendi miseriam, quantam ego hanc meam miseram calamitatem. Exul illa à Domo Abrahæ, reiecta ab eo cui maximè curæ esse debuerat, seiuncta ab amicorum notorumque consortio, inops auxilij & consilij, salutem quam inter homines non sperabat, inter bestias feraſque quærens vagabatur; hæc mea calamitas illius vincit inopiam; maior est hæc mea quam illius solitudo; superat hoc meum infortunium illius exilium; Vagor enim exul à loco qui dignitate antecedit Abrahæ domum quantum corpus vmbram, aut veritas simulachrum. Nam summo ardens desiderio, & à Deo incitatus, vt me illorum beato numero adiungerem, qui choros Angelorum in terra imitantes, ita totos se deuouerunt Deo, vt vnam eius gloriam præ oculis habeant in omnibus quæ agunt aut quæ tractant negotijs, à scopo aberraui ad quem collimabam, excidi sperata re quam deuoraueram, frustratus sum desiderio, cui vnicè innitebar. Corpore fateor inter homines viuo, sed mens vastam habitat solitudinem, vbi

Eius querimonia de dilatione admissionis in Societ.

1595. cùm nihil reperiat quo se pascat, ipsa se mæsta consumit, propriasque cogitur & amaras mandere curas: Nullus illi cibus volupe esse potest, cui voluptas ipsa amara est; nullum solatium iucundum, vbi luctus & lachrymæ quæruntur: Piscem si ex aqua eximas, quid illi delitiæ omnes quas terra offeret? feram pascuis excludas, limpidissimos fontes crystalinasque aquas nauseabundus auersabitur. Quidni igitur ego dolore mœroreque conficiar qui me abiunctum video ab eo numero, seiunctum ab illa Societate, separatum ab eo corpore in quo est omnis mea vita, meus amor, mea voluptas. Plange anima mea hanc tuam miseram viduitatem, & nè parce dolori; lamentare infortunium istud, clament continuo occulti gemitus, & suspiria in aure Redemptoris tui, à quo solo solatium. Amor emolliet duritiem cordis tui, & calore dissoluet mentis glaciale frigus, vt oculis in flumina lachrymarum erumpentibus possis cum Propheta dicere, *laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*; Dolorem hunc res nulla soletur, mærorem nulla mitiget consolatio, donec fruaris *Iesu* tuo, & agnoscat te ille fidelem sponsam, atque à longo hoc diuortio te liberum amplexetur brachiis piissimæ misericordiæ: Amplectere pedem Crucifixi, & per verba lachrymis rigata effunde coram illo hanc tuam Querimoniam; forte mitigabit censuræ seueritatem, & ad consuetam reuertetur clementiam: dicito illi; conuerte ad me Domine amabiles oculos, & vide semen quod pridem in anima mea seminasti, iam radices egerat & floruerat, cùm repentina ingruens tempestas spem in flore corripuit, & periculum est (ni mitior afflet aura) nè penitus arescat & pereat. Recordare Domine, quod iam dies desponsationi meæ assignata pertransijt, & ego adhuc viduus despicior ab omnibus, & à te derelictus tanquam abortiuus contemnor; Refugium præterea nullum mihi est, neque à quoquam præter te solatium quæro. Tu amicabili tua dulcedine rapuisti ad te cor meum, & necesse est vt ego me tibi tradam seruum. Vicisti enim me, Vicisti me Domine *Iesu* duplici prælio. Nam cùm primùm me sanctis tuis inspirationibus aggressus es, ego restiti, quasi tuam in Societatem me cooptari plus voluptatis allaturum tibi esset quàm mihi lucri. Vidisti Domine infirmitatem meam & nouis machinis quatiens munitionem cordis mei, cùm nullum reperirem effugium, necessitate compulsus post multam luctam tradidi me, & manui tuæ potenti me submisi. Nunc debitam soluo pœnam primæ ingratitudinis, & dejectus à dignitate sponsalium tuorum, atque ad miseri captiui gradum deuolutus, sero defleo præteritam stultitiam, & inutiliter plango consensus tarditatem. Heu! vbi sum? & vbi potuissem esse? vagus in terra arida & inaquosa pascor insipido & amaro felle doloris; fessus tædio infinitæ solitudinis, dum viuo langueo, & vita ipsa tædium est; valete cælestes delitiæ quibus per pascua tuæ Societatis gregis tui agni pascuntur: Valete suauissimæ guttæ deuotionis quas tu in eo um pectora effundis, & respergens corda dulcissimo rore æternæ consolationis, cies dulces lachrymas, superni testes solatij. Hi fauores.

non

Hi fauores non communicantur alienis; proprij sunt earum animarum quæ in Regis cubiculum admissæ, modò spiritualibus pascuntur delitijs Paradisi, modò in lecto amoris quietem captant delitijs omnibus superiorem. Qui surculi perfectionis, qui flores gratiæ, quæ abundantia felicitatis his in pascuis reperitur? Felices animæ quæ amantur & amant, & dum tecum viuunt, tu ipsis es vitâ ipsâ dulcior; neque enim amarent viuere, nisi amando te viuerent: felices animæ ad centrum iam delatæ, felices quæ ad litus tam tutum applicitæ, non secus atque innocentes infantuli in cunis, securè quiescitis. Non grauantur corda vestra mole curarum secularium; onus vestrum & pondus Amor est, onus leue atque optabile; non enim deprimit amor, sed attollit, dolorem ipsum dulcedine mitigat, & recreat emorientes spiritus animæ desolatæ expectatione inenarrabilis fructus æterni solatij. Infantibus præbet plena vbera cælestis liquoris; prouectos pascit solidiori cibo; perfectos munit inuicta constantia. Mutantur & in vobis quandoque tempora; tardat sponsus, vt probet quàm estis fideles, detinet nubes cælestium donorum nè consuetos semper depluant imbres gratiarum, & suauem in seuerum aliquando commutat vultum; sunt ista incitamenta validioris Amoris; attrahit dum repellit; Artificiosè negat quod abundè vobis est daturus; Fornacem aspergit aquâ, vt fortius ardeat, recedit vt velocius arctiusque in amplexus ruat; gaudio miscetur, at breuis luctus; habetis enim ad manum fragmenta præteritarum delitiarum, & cùm nauim videatis in tuta statione, & astantem ad clauum peritum gubernatorem, leuis est timor vbi nulli subsunt peccatorum scrupuli, & procul à fluctibus, non longè à portu nauigatis. At me miserum qui hybernare adhuc cogor in mundo, qui iactor quotidie in medijs fluctibus carnalium desideriorum, allidor ad scopulos occasionis peccandi; Quis timor existimatis me occupat? Quæ dubia salutis solicitant animam? quæ pulsant pericula infelicem ratem? Quis mihi misero prohibeat lachrymas? Quis gemitus & suspiria imo claudat pectore; Quis miretur si ipsa hæc anima tam diro doloris pressà sepulchro conetur migrare, vt soluatur & sit cum Christo? Si debitam iustitiæ tuæ, Domine, soluo pœnam, fiat voluntas tua; patienter feram me ab hominibus reijci; at non illud (vt reor) extremum est mali. Timeo calendas has esse grauioris supplicij, & noctis diu duraturæ triste crepusculum; in quo cùm langueo perpetua expectatione, expectatio ipsa morte acerbior languorem non minuet sed grauabit, & dum corpus doloribus animæ prostratæ non erit ferendis quid superest vt voueam, nisi vt me Christus meus hoc misero eximat carcere. Amen. 1595.

IV X. Hæc secum *Southwellus*, & apud dilectum Societatis Auctorem *Iesum*: Qui ardor cum in dies ab continuatis desiderijs incrementum acciperet, neque id quo pasci maximè auebat, seu in Gallijs, seu in Belgio consequeretur (in Belgium enim quædam literæ innuunt concessisse, vt quod sederat animo perficeret) Romam abijt, Religionis præcepta quo citius, eo auidius ex ipso fonte hausurus; admissusque est pridie Sancti Lucæ, anno septuagesimo octauo supra sesqui millesimum, cùm ætatis annum septimum decimum non expleret. Admittitur in Societatem, & mora quem fructum tulerit.

1595. plesset. Quem verò fructum in cooptato protulerit ea quæ trans Alpes facta fuerat dilatio, alio scripto ostendit. " Recordare, inquit, & frequenter memoriâ repete illum diem, quo Societatis desiderio inflammatus, tam sæpe, tamque constanter petiisti admitti: Recole quas lachrymas, & quàm frequentes profuderis, & sedens solitarius in conclaui in quæ doloris signa, in quos singultus eruperis, cùm te differri cogitares. Quàm felices arbitrabaris eos qui admissi illo potiebantur bono quod ardenter optauerant! Quàm arctam, & quàm suauem existimasti illam esse coniunctionem quæ cum Deo, & cum hominibus Societatis intercedit? Quid tum de ijs sentiebas cùm videbas orantes? Nimirum absorptos rebaris in contemplatione Dei. Quàm grata tibi fuere tunc cilicia? cum Deo conuersari quàm dulce? vt quando non dabatur esse ex illis, saltem imitatione virtutum vestigia legeres, tanquam peregrinus post eos tendens ad patriam. Recordare iam, *Roberte*, non te foris nunc stare desideriis languidum, sed esse filium eiusdem Domini *Iesu* Christi, membrum eiusdem Societatis, & qui pridem aliorum virtutem admirabare, nunc tu exemplum factus es in quod alij intueantur. Quam igitur de ijs opinionem tum cùm nondum ex iis esses concepisti, & de eorum felici conditione, ac vitæ perfectione existimationem, eandem cogita eos iam de te habere, qui ad eandem tecum Societatem adspirant; vt quemadmodum horum de Societate nunc fratrum exemplo & conuersatione tu in vocatione tunc confirmabaris, ij qui pari tecum desiderio nunc certant tuâ modestiâ, tuâ mansuetudine & caritate, cæterarumque virtutum exercitatione in proposito sibi vitæ genere roborentur.)

Quas virtutes præcipue coluerit.

XV. Huic præteritorum memoriæ reliquarum deinde firmamenta virtutum coniungens, ad perfectæ vitæ apicem summa contentione anhelabat, & sapiens Architectus, non tenue & exile aliquod, sed iam tum stabile, ac nullis infirmandum procellis ædificium meditabatur, atque in primis in suimet cognitione fundamentum collocauit; Quæ cognitio quoniam & seipsâ est ad omne genus virtutis sustentandum necessaria, & antiquorum omnium est celebrata vocibus, quâ cogitatione, & quibus verbis à nostro *Southwello* concepta, delineata, ac menti memori infixa est (quanquam id ab *Antonio Suquett*, viro formandis ad pietatem animis facto, velut sempiternæ dignũ memoriæ, *in via vitæ* inuenitur proditum) hic adscribam, *Quid fui Domine? Quid sum? & quid ero? fui nihil, nihil sum, & ero forte peior nihilo? fui conceptus in peccato originali; plenus sum peccato actuali; quis scit an sim damnandus pœna Gehennali? fui in ingressu miserabilis; miserabilior sum in progressu; miserrimus forte ero in egressu. Fui sperma fœtidum, sum saccus stercorum, ero esca vermium. Cum essem nihil, fui sine periculo damnationis, & sine spe salutis: sum iam in spe dubia, & graui periculo: ero autem vel ex re sperata fœlix, vel in periculi successu infelicissimus. Sic fui vt damnari non possem; sic sum vt saluari vix possim, sic ero vt in æternum damnatus, vel in æternum saluus. Quid fuerim scio, fui enim pessimus: Quid sim nescio,*

Sui cognitio.

sim nescio, quia de gratia incertus; quid ero ignoro, quia de salute dubius. Quod 1595.
fui, Domine, ignosce, quod sum corrige; quod ero dirige; dirige inquam, à malo præterito, in bono præsenti, ad præmium futurum: Amen.

Tum vero cùm certissimè decreuisset viuendum sibi esse ac moriendum in Societate *Iesu*, nec aliter salutem animæ sempiternam omnino sperandam, quemadmodum Deo vocante eam fuerat amplexus, eâdem animi firmitate & constantiâ propositum sibi habuit non alijs mediis vti ad vitæ rationem instituendam, quàm quæ Societati sunt propria; Illa vero omnia promptissimè libentissimèque amplecti quæ in Societate, vel in regulis traduntur, vel actione vlurpantur, & præcipuâ obseruantiâ colere superiores, quos Christi ac diuinæ eius voluntatis interpretes agnoscebat, & quorum ea propter decreta (quod ad victum, vestitum, habitationem, munera, cæteraque id genus attinet) indubitanter crederet à Christo proficisci. Cogitationem vero de Societate ineunda à Deo sibi inditam esse, his argumentis conficiebat. In primis quod in deliberatione de vitæ statu deligendo habuerit præ oculis Christi crucifixi imitationem, & amorem, ad quæ duo omni conatu enitendũ sibi esset, sui mortificatione, & mundi perfecta despicientiâ: Tum quod de anteactæ vitæ peccatis necesse esset satisfacere: quòd deinde infirmitatis propriæ ac miseriæ atque ignorantiæ conscio quærendus esset dux vitæ & viæ; ideoq; non modo sapientis esse tradere se regendum in omnibus Dei administris & interpretibus, sed & perquam necessariũ: Postremò quòd si Deo ita videretur, auderet etiam proximo vtilem esse suam operã: Ea autem quando, & quo modo vtilis esse possit à superioribus Dei vicem gerentibus quàm optimè discitur. Hæc cogitationes (inquit) cum sint eiusmodi vt humani generis hosti inimicissimæ sint, & eum plurimum torqueant, non potest vitæ ratio in his sinceriſſimè fundata ab eo hoste proficisci, sed à Deo cuius causa agitur necesse est menti iniici. Constantia in vocatione & ratione viuendi in Societate.

"Deniq; quando huiusmodi rebus propositis Societatem ingressus ipse sum, aliud in omni vita expectare non debeo, quàm vt ea mihi eueniant quæ in illa ab exordio quærenda esse duxi, videlicet, pati & continuis affligi molestijs, vt nè horã quidẽ quietis habeã, imo verò in Dei præcipuis beneficijs ponendũ erit affici molestia, quando hęc sola via est ad Christi similitudinẽ, qui nè momento quidẽ vno tẽporis vacuus fuit à molestia aut dolore. Ex aduerso si aliter accideret, verendũ tum quemadmodum propter meam ingratitudinẽ negatur nunc id propter quod hoc Societatis institutum arripui, negetur & in futuro præmium; neq; me debeo ea hora censere Religiosum, quâ hora nihil egerim aut passus fuerim pro Dei amore. Quidquid verò suggeretur his contrarium fundamentis certissimè persuasum habeo à malo dæmone suggeri, vt illusum me suis induat laqueis.

XVI. Romæ in Societatem cooptatus magnam tamen partẽ Tyrocinij exegit Tornaci in Belgio, ne vi delicet ardentem Sanctis desiderijs iuuenem, immoderatis Italiæ æstibus nondum parem, duo in vno corpore calores opprimerent, vtque tam præclaris dotibus ornato, & qui per ardorem quærendi spem ex-

1595. citauerat eximia quædã adipiscendi, non sola Roma nobilitaretur; quantum autem temporis vtrobique expleuerit non reperio in tabulas relatum. Pietatis certè sensum quem prima votorum nuncupatio impressit animo, ipso narratore docemur, sub hoc titulo; *Puncta quædam quæ occurrerunt die Sanctæ Luciæ post emissa vota*; Quæ etsi excelsiora cuipiam videri possint quàm vt à recenter cooptato, eoque adolescente, proficiscantur, is tamen qui & Dei amabiles diuitias, & inacessa consilia, & promptam in susceptibiles animos liberalitatem considerauerit, facilè videbit eum qui grandior factus agnouit plurimam sibi ab initio lucem amplissimamque virtutum & viarum ad eas consequendas cognitionem fuisse diuinitus iniectam, cum vehementi impulsu ad omnem cum Dei amore perfectionem (quæ eadem incitamento illi fuere in omni vita ad profectum) potuisse ea suis coloribus vtcunque describere, quæ Dei digito in molli mentis cera repererat exarata. Itaque ita secum ipse ratiocinatur." Primo Nunc anima tua desponsata est Christo Crucifixo; hæc igitur cum corpore affigenda est Cruci: Nam quemadmodum similitudo amicitiam, ita dissimilitudo efficit disiunctionem: Neq; verò congruum esse potest vt dum sponsus patitur & infinitis pressus doloribus demũ Crucifigitur quò amorem sibi sponsæ conciliet, illa interim foris sectetur delicias, aut alia re quapiam se oblectet quàm sponsi imitatione, quod est vinculum amoris. Membrum præterea iam es *Iesu* Societatis: Filius Beatæ Virginis; pars viscerum Christi; cum his itaque Crucifigi necesse est. Factus deinde es socius Sanctorum, domesticus Dei, in Christi militiam præcipuo quodam loco cooptatus, lapis in fundamentũ positus, Piscator futurus animarum, norma vitæ, speculum virtutum, in vinea Christi operarius, Christi perpetuum mancipium, hostis diaboli, mundi, & carnis, Dux cæcorum, vnus denique atque idem cum Deo spiritus: Nihil igitur quod in te est, aut esse potest in te, aut quod ad te quoquomodo pertinet potes deinceps dicere tuum: Ex te nihil velle debes aut nolle iniussu Superiorum quos Dei loco habes, neque de re quapiam minima disponere: mancipium enim Dei cùm sis, & eorum qui Dei locum obtinent, ad eos vniuersa in te potestas delata est, quam resumere est nefas. Ijsdem verò cum Sanctis *Ignatio* & *Xauerio* votis ligatus, & in eandem Societatem adscriptus, ad eandem cum ipsis perfectionem consequendam obligaris, quantum in te est. Itaque quantumuis alicui videri possis perfectionis quendam gradum conscendisse, arbitrare te nihil feciſſe, quãdiu eò non perueneris quò hi Sancti, atq; alij de Societate viri magni peruenerũt, neq; respõdisse gratiæ & Characteri quem Societas, & Sanctus Dei in illa spiritus solent suis imprimere. Altiora autem sectare semper, & nè cessa donec ad culmen perfectionis deuenias. Nulla res est tam exigua quæ defectui non sit obnoxia; itaque etiam in minimis prouidentia omnis committenda demum est Deo, & Superioribus, & de Patris amantissimi manu accipiendũ quidquid acciderit; habet enim ille finem constitutum optimum, quem nos ignoramus, Eueniant licet acerba quæque & molesta; his vel auertitur maius malum, vel

Animi sensus post vota.

vel paratur via ad maius bonum, ad quod huiusmodi dispositiones sunt ne- 1595.
cessariæ. Perpende diligenter quid in ingressu Societatis consecutus es; Quantum deinde beneficium nunc in eadem acceperis votis confirmatus; quàm multi denique iuuenes, specie corporis decori, animis ad pietatem compositis, patria extorres, disiuncti ab amicis & consanguineis, vagi, tanquam cerui sitientes, excluſi à fonte aquarum viuentium dolore & lachrymis oppressi languent; dum tu optata securus frueris quiete. Viue igitur semper tanquam Nouitius, eo feruore, humilitate, verecundiâ, modestiâ quam à Nouitio expectari existimas: Memor regulæ præcipientis vt in omnibus procuremus & optemus potiores partes aliis deferre, omnes in animo tanquam superiores ducendo, & Deum Dominum nostrum in vnoquoque vt in illius imagine agnoscendo. Ac tunc præcipuè te felicem arbitrare, cùm alijs licebit obsequi, alius in re qualibet licita cedere, alios iuuare, quæ vilissima sunt tibi sumendo, alijs quæ sunt optima tribuendo.) Hæc sunt quæ ad eum diem notata reperio. Quibus non erit inuucundum adiungere quid ei animus pius simul & iuuenilis suggesserit cogitanti quidnam responsurus esset Superiori, si forte diceret, eum Societatis rationibus inidoneũ, ab ea esse dimittendum," Rogarem, inquit, fortassis primum vt ipse tentaret viam & exiret prior; Tum si meliora inuenisse se diceret fortassis sequerer. Aut in mea causa arguerem, ordines Religiosos pro imperfectis eqùe inuẽtos esse ac pro perfectis; ego verò si inter perfectos tam sum miser & imperfectus, quâ conscientiâ eijci possum cum salutis æternæ euidenti discrimine? Denique Christus pro me passus, suo damno & ingenti incommodo meis miserijs parauit remedium, quid ni Societas idem mei causa faciat.

XVII. Romam Tornaco rursus vocatus ad Philosophos, Theologosque audiendos, neque ingenio, neq; industria, neque laude studiorum, aut fructu, neq; vita cum virtute acta cuiquam se passus est esse inferiorẽ. Et ingenij quidem & industriæ laus in vniuersæ Philosophiæ decretis propugnandis enituit; tum etiam, cùm post decursum Theologiæ stadium, aliorum studiis est præfectus in Anglicano de vrbe Seminario; in quo Iuuentus id temporis copiosissima, & ingeniorũ varietate, & splendore florentissima non facilè nisi ab omnibus doctrinę præsidiis ornato atq, instructo ducebatur: Ille tamen cui neq; in rebus celeriter concipiendis deerat acumẽ, neq; in iudicandis soliditas, neq; in explicandis cum claritate elocutio, morũ etiã inesset innata suauitas, & cum grauitate coniuncta modestia, & in studiorum ęstu ad virtutẽ indefessa contentio, non minus disciplinis cum auctoritate moderandis, quam animis ad pietatem incitandis omnium ad se voluntates adiungebat. Virtutem verò, quàm ab initæ Societatis primo tempore tanquam Magistram vitæ coluerat, ita semper fouendam censuit, vt neque calorem quem Tyrocinij ignis accenderat dies ablumeret, neque negotiorum quorumcunque aut magnitudine, aut numero, tanquam frigidâ iectâ, conceptus ardor intepesceret, neque acceptorum præceptorum memoriam offuscaret.

Studia & occupationes Romæ.

Vide Narrationem compectentem sententiam moris. &c.

1595. Notabat enim diligenter quidquid vel diuinitus injiciebatur animo vel auditu cum fructu percepisset, & in commentaria relatum memori mente versabat, vt frequenti præcipuorum perfectæ vitæ axiomatum meditatione, esset & in aggrediendo promptior, & in exequendo constantior. Quorum quædam hic compendio recitasse non erit inutile, neque lectori ingratum.

Varia de virtutibus præcepta

Amor Dei. XVIII. Dei, inquit, amor sit inseparabilis, insuperabilis, insatiabilis, Et in præsens numen semper intuens. Nam si hominem ita amamus sæpe, vt nec societate satiemur, neque fatigemur mandatis, & omnia ei nostra patere cupiamus, quanto magis Deo aperienda sunt familiariter vniuersa, cuius conuersatio non habet amaritudinem, nec conuictus tædium? Et sicut Turtur amisso compare, sua ipsius delectatur solitudine, neque viridi insidet ramo, sed gaudet desertis locis & montibus; Tu pariter fuge quæ viridia mundus existimat, & sequere dilectum in montibus sempiternis, atque in ijs solis quiesce. Intentio, sicut oculus, facilè læditur; neque sola (quantumuis videatur recta) sufficit: Actio ipsa in se & in iis quæ circumstant debet esse recta, vt loco, vt tempore, vt modo constet. Cum est orandum existima te eo tempore ad cætera esse inidoneum, ita facilius auertes cogitationem à reliquis, & huic totus insiste: Id quod vniuersim in iis quæ tibi ab obedientia præscribuntur vsui erit. Certus esto securè te posse permittere superiori liberam tui ipsius, rerumque tuarum dispositionem, cùm Christus dicat, *Qui vos audit, me audit*; quando verò post rem humano consilio maturè constitutam, superior repentè commutat sententiam, & aliò te destinat quàm fuerat decretum, quid aliud indicat, quàm Deum, illos qui se totos Deo commisêre, non velle hominis, sed Dei consilio regi? Neque te conturbet cogitatio quod ad maiora videaris aptior, aut esse alia quædam amplioris meriti potius quærenda, ad quæ etiam naturæ legibus te arbitreris astringi; Hæc enim omnia Deo sunt nota, qui non præsentia solum, sed futura tibi incognita prospicit. Si autem quæratur, cur igitur ad Societatem, cuius est proximos necessarioque iuuare, vocauit te Deus? Cur non ad Carthusianorum, aut Eremitarum aliquem secluſum ab istis ordinem? Respondè primò cum Christo *quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*; vel cũ S. Paulo. *Quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Deinde; Deus vtitur ipsa hominum natura ad cuiusque bonum: Vidit itaq; Deus hanc Societatem tibi maximè conuenisse; te vero aliis quàm his considerationibus eo tempore commouendum non fuisse ad perfectam vitam amplectendam: Tum si quæ habes talenta, ea donauit Deus vt clarè perspiceres id quod ex salute tua esset maximè, tum etiam vt facilius vinceres inimici subdolas artes, & Deum amares feruentius; æquum enim est vt maiorem Dei cognitionem dilectio sequatur ardentior.

Intentio recta.

Oratio.

Obedientia, & in occultis Dei cõsilijs quies animi.

Indifferentia. Homini Societatis arbitrabatur nihil contingere infelicius, quàm vt sua culpa à Superioribus existimetur non esse animo ad quælibet indifferenti; quantum

quantum enim quisque ab ea indifferentia discesserit, tantundem discedit ab 1595.
immediata Dei directione & influxu, & voluntatem suam rationibus Superiorum miscens, paulatim à modo viuendi Religioso, quem profitetur, ad secularem degenerat; suæ ipsius tranquillitati nocet, & maxima sæpe interturbat negotia; denique bona desideria non semper à Deo injici vt in opus ipsum exeant; itaque aiebat, quanquam ardeo voluntate moriendi pro Christo, non debeo eapropter confestim procurare Missionem ad Indos, aut ad Hæreticos; Dat enim Deus eos impetus, vt animum excolamus ijs virtutibus quæ sunt maxime propriæ, vel ad fortitudinem parandam in patiendo, vel in agendo constantiam, quæ vtique vbique sunt necessariæ; reliqua Superiorum deliberationi sunt subijcienda.

In omni vero actione nè committas alteri faciendum quod per te ipse potes efficere; & quod hodie, noli in crastinum prolatare; & à minimis caue defectibus. Æquabilitatem animi vultusque retinens, omnibus te facilem præbeas; eos etiam quibus familiarissimè vteris intus reuerere: Facetiis parce; dicteriis nunquam inspergas sermonem: huiusmodi proferendis animum oblectare superbiæ plerumque est, & animi nimium soluti; sæpè etiam dum videntur placere tum maximè displicent audienti. Considera denique quanta in homine Societatis perfectio quæritur, qui momentis singulis paratus esse debet ad quosuis in quauis orbis regione iuuandos, siue Turcas, siue Iudæos, siue Ethnicos, siue Hæreticos, siue Barbaros, siue non valde à barbarie distantes Christianos. Alij vt suæ consulant saluti abdunt se in conclauia, vel ab hominum consortio remota loca; nobis in aperto pugnandum est, & dum aliorum cupiditates insectamur, vigilandum nè à nostris superemur. Inter loquaces moderandum est linguæ, Inter iracundos, iræ; Inter multorum delitias, voluptati; & qui aliorum vitia reprehendimus, longè oportet esse ab omni vitio: Etenim exigua in Religioso macula ingens est deformitas; & is cuius est alios ad perfectam vitam promouere, ea debet esse patientiâ, charitate, modestiâ, mansuetudine, & cum Deo coniunctione, vt quod profitetur, ipse præstet, & in eorum oculos imparatus non incurrat, qui quantæuis ipsi succumbant trabi festucâ læduntur. Qualis erga alios.

XIX. Hæc est Idæa Religiosi hominis, quam omnium quibus notus esse potuit testimonio, non magis cogitatione, quàm actione descripsit, & quanto altius eam menti quàm chartis insculpserit, reliquo vitæ cursu comprobauit: Nam quamuis ardenti in Deum ferretur amore, & aspera quæque mortemque pro eo tolerare optaret, cauebat tamen nè facilitate (quam agendi frequentia, & vsus quotidianus parit) abriperetur ad ea quæ sunt optima; sed vnamquamque actionem excelso quodam fine condiebat, quo gratior ei esset, cui deuinciendo nullam diligentiam nimiam esse posse arbitrabatur. Tum vero studebat vt ordine certaque methodo vnum quodque ageret: Immutato enim leuiter ordine nasci aiebat inconstantiam, iacturam temporis, negotiorum nimiam contrectationem, totius vitæ inconditam atque ineptam Ordo & præcogitatio in actionibus.

1595. que ineptam dispositionē, denique virtutum omnium nexus compagin'sque dissolutionem. Probabat autem ipse se, & ad conflictum armabat prouidentiâ eorum quæ in tam magna rerum conuersione, quanta quotidie cernitur, accidunt. "Quid! inquit, si Patrum fratrumque animus, commutatâ eâ quam de te nunc habent existimatione, in sinistram flecteretur? Quo esles animo, si tanquam flagitiosum insectarentur? si odissent? Si vt canem, aut scurram indignis modis tractarent? Quid? si graui ægritudine pressio, exigua ac prope nulla spes esset plura patiendi pro Christo, & lentâ tabe Martyrij laureâ fraudarêre? Quid si mutus? Quid si vlcerosus esles? Quibus se omnibus ad æquabilitatem animi comparabat, & Dei tanquam scientissimi amantissimique Patris voluntati conformabat; ipsamque iuuandarum animarum & Martyrij cupiditatem inter inferni hostis fraudes numerabat, si hæc æqualitas labefactaretur. Quæ dum in Romano Collegio inter studia, & inter Præfecti curas in Anglicano, diligenter præstat, *Alano* & *Personio* rursus subsidia Patrum Angliæ in messem flagitantibus, datus est socius *Henrico Garnetto*, vigesimo quarto Martij, anni octogesimi sexti proficiscenti. Et erant hi (quemadmodum noster hic *Robertus* tum *Personio* in ponte Miluio valedicens non læua mente dicebat) *duæ sagittæ ad eandem metam missæ*; id quod euentu deinde explicatum est, vtroq; fidei defensæ lauream consecuto. Cuius laureæ quanto teneretur desiderio ipse ostendit, literi Anglicano dum studijs præesset ad *Claudium* Generalem in hæc verba scripsis. "Vnum tantummodo de meipso addam, nihil esse magis in votis, nec in hac vita gratius quicquam accidere posse, quàm vt quemadmodum. P^ti. V^æ. visum est, vt meos in præsentia labores Anglis, ita etiam Deo inspirante videatur, vt eosdem ipsi Angliæ, summam Martyrij spem promittenti, impendam. Quod ego sanè non desistam precibus à Deo contendere, qui pro sua pietate & me exaudire, & P^m. V^m. diu nobis seruare dignetur incolumem. Romæ. X. Cal. Febr. 1585.) Et alijs de itinere ad quendam è Societate quo vsus aliquando fuerat melioris vitæ ductore.

Iter in Angliam.

Epistola de itinere.

"Extremis iam obijciendus periculis, è mortis te vestibulo alloquor, mi Pater, tuarum implorans subsidium orationum, vt quo impulsore moribundus semel, spiritu reuixi, eodem supplicante, corporis mortem, aut vtiliter effugiam, aut viriliter sustineam. Mittor ego quidem in medium luporum, vtinam (vt ouis) pro illius qui mittit nomine fideque ad occisionem ducendus. Certè terra mariq́ue scio parari mihi plurimos qui non solùm vt lupi, sed tanquam leones circumeunt quærentes quem deuorent; Quorum ego non tam timeo, quàm expeto morsus, nec tam horreo torturos quàm coronaturos expecto. Caro quidem infirma est, & non prodest quidquam, imo & hæc meditanti reluctatur; sed Deus potens in prælio, ipse mihi à dextris erit nè commouear, quiq́ue instituit exemplo, non destituet auxilio, nec aberit à certamine qui ad certamen induxit. Tu vero, mi Pater, fulcito me floribus orationum, qui ascendant in odorem suauitatis; stipato me malis operum, vt si quando languere oporteat, non timore, sed amore langueam. Ego certe si quidem (quod

(quod sperare non audeo quanquam vehementer optem) in felici Martyrum 1595.
choro vel minimus esse possim, non ero, Deo volente, immemor mei nunc recordantium, nec ero benemerentibus ingratus in cælo, quibus vel in terris cupio esse gratissimus. Age igitur mi Pater (extremum forte iam te alloquor? age inquam apud communem Patrem, Dominum *Iesum*, causam meam, imo causam tuam, causam totius Ecclesiæ, vt eam quam gero personam ita sustineam, vt quod Deus, quod Angeli, quod Superiores à me factum cupiunt, id vel cum sanguinis vitæque iactura fideliter præstem, fortiterque. Quod concedat Deus, cui te, meipsum, & vos omnes commendo; Patrem quæso Rectorem, & alios Patres, Fratresque ex me saluta. Vale: è Portu, vigesimo quinto Iulij, Anno Domini Millesimo quingentesimo octogesimo sexto.

Ad eundem fortasse datæ sunt & aliæ, quæ referuntur sub idem tempus scriptæ cuidam è Societate Sacerdoti, quicum quando à primo pueritiæ tempore arctissima intercessisset necessitudo, fraternâ illi fiduciâ aperit, nihil se ad id vsque tempus ab omnipotente Deo irritâ prece postulasse: Duo tunc restare quæ a puero constanter optauit; vt videlicet Christo Redemptori vitam pro vita, sanguinem pro sanguine rependeret; prius tamen vt multos grauesque pro salute animarum subiret labores: Vtrumque autem deinde est consecutus: Nam annos nouem, in agro Domini colendo, patiendoque posuit, & demum felici pro Christo morte sanguinem fudit. Post annorum verò aliquot eo in stadio exercitationem, hæc reperitur scripsisse, ex quibus eius temporis misera rerum facies, Catholicorumque constantia cognosci possit, & quo ipse ad patiendum pro Christo ferebatur desiderio.

Eiusdem Aliæ Epistolæ. Apud Nicl rembergiũ nostrum & yepes.

" Hactenus viuimus & valemus, indigni, vt videtur, qui patiamur carceres. Conditio Catholicorum eadem est quæ semper misera, & plena timore & periculo, præcipuè postquam hic timent bella. Nostri in carcere lætantur & exultant; qui liberi sunt neque existimant libertatem duraturam, neque multum curant. Armant se omnes ad patiendum quidquid contingat Dei causa, de cuius gloria magis sunt solliciti, & de salute animarũ, quàm de damno temporali. Nuper duos Sacerdotes captos exercuerũt miris modis in carcere Brigidiano; fame, pædore, flagellis etiam infirmos compellunt ad opus, alios suspendunt per manus dies integros, viuunt in lacu miseriæ & in luto fæcis. Expectamus & nos in horas hoc Purgatorium, & sub Topliffo & Youngo omnia genera tormentorum: Veniat verò quodcunque Deus voluerit. Speramus nos omnia sustinere posse in eo qui nos confortat. Interim confundantur qui nos persequuntur, & loquatur Dominus pacem in plebem suam; & quemadmodum Dauid exoptat, Habitet eius gloria in terra nostra. Preces vestras rogamus. &c. 16. Ianuarij 1591. Alteris octauo Martij eiusdem Anni datis sic loquitur. Ambulamus in medio tempestuosorũ fluctuum cum non paruo periculo, ex quo tamen liberauit nos Dominus. Conueneramus ad Renouationem votorum iuxta consuetudinem, & in exercitijs colloquijsque spiritualibus

1595. bus aperuimus ora & attraximus spiritum. Videor videre initia vitæ Religiosæ in hac Insula, cuius nos cum lachrymis iacimus semina vt alij venientes cum exultatione portent manipulos. Cantauimus canticum nouum in terra aliena, & in deserto suximus mel de petra, oleumque de saxo durissimo; sed gaudium mutatum est in luctum; & subito tinnitu dispersi sumus: sed maius fuit periculum quàm damnum; omnes enim euasimus. In alteris scripsi de Martyrio duorum Sacerdotum. Hoc rore irrigatur Ecclesia; vt in stillicidijs huiusmodi lætetur germinans: Expectamus & nos licet indignissimi, quando venient tanquam Mercenarij dies nostri. Vestras petimus orationes, vt à Patre luminum detur nobis lux cælestis, & à Principe pacis spiritu principali confirmemur. Vale.)

Neque distulit Deus in longum tempus optatum desiderij effectum; Anno enim sequenti captus, vt mox dicetur, post triennalem carcerem, & decies perpessa tormenta grauissima, vinculis quibus tenebatur exutus, ad sponsi cælestis amabiles amplexus admissus est.

Quam vitam in Anglia duxerit.

XX. Erant cum nitteretur, tempora in Anglia perturbatissima: Post septuaginta Sacerdotes anno præcedenti, quasi per beneficium, relegatos, damnata fuerat Francisci Throgmortoni, seu vera, seu ad inuidiam conficta proditio; & Guilielmi Paræi non multo post altera; succesletat Nobilium quorundam commotio, nece plurimorum ac proscriptione repressa, tum eo ipso anno octogesimo sexto, paucis interiectis mensibus, latæ sanguinariæ leges in Sacerdotes, qui in Patriam remearent; Captiuæ etiam Scotorum Reginæ in causa plena suspicionum, plena erant omnia exploratorum; vt vni Deo protegenti tribuendum sit potuisse quemquam incolumem in Insulam penetrare tantis in timoribus vigilantem; Euasit tamen, & domo Baronis de Vaux vnà cum *Garnetto* receptus menses aliquot transegit, Illustrissimo viro huiusmodi hospites amicissimè colligente, tum fidei Catholicæ quam impensissimè colebat, tum *Personij* gratia, cuius fuerat ope in eam fidem restitutus. Demortuo deinde Sacerdote quo duce Conscientiæ Comitissa De Arondel vtebatur, in eam familiam translatus, ab illa nisi cum est abreptus post sex annos ad carcerem non discessit, reliquos tres annos inuicta tormentorum ac necis perpessione coronaturus. Nullibi arctius per Angliam habitatur quàm in Nobilissimorum Catholicorum Palatijs: In magna enim quam ducunt familia, inter plurimos Heterodoxos pauci plerumq; famulantur Catholici, vel quia pauci reperiuntur ad præcipua officia idonei, vel quod à legibus tectius existimantur Domini viuere, quo se paucioribus aperiunt. Itaq; Sacerdos vt plurimum à conspectu quàm longissimè seiunctus, remotus à strepitu, vno vel altero domesticorum conscio, seclusus in conclaui, tanquam passer solitarius in tecto, dies agit & noctes; cautè per fenestram carpens aërem, cautè se commouens, nè ab alijs quàm oporteat aduertatur; sacris operatur ad paucos, cũ paucioribus interdiu versatur: Ab lauta mensa modicum quidpiam furtiuè defertur à famulante, quod naturæ sufficiat, voluptatem certè non valde proritet. Condimentum enim mens est ad

quæuis parata ; quam nisi adferas, in amplissimis ædibus egentissimus habites necesse est. Talem reperit *Southwellus* Comitissæ domum : Mæstam præterea mariti Comitis in Arce Londinensi custodiâ. Huius parens Dux Norfolciæ, affectati Matrimonij cum Regina Scotiæ captiuâ reus; accusatus præterea consensionis cum alijs Elizabethæ inimicis, (Pontifice nimirum atque Hispaniarum Rege,) anno huius seculi Septuagesimo tertio capite minutus fuerat. Auus (leuibus valdè de causis, inquit Cambdenus) eodem supplicio ante plures annos plexus, Proauo non absimili nece olim sublato. Horum in sua stirpe continuato infortunio commotus hic Philippus Comes, legum etiam seueritatem in Catholicos, & magnorum potentiam aduersariorum veritus, cogitauerat se clam è Regno subducere ; Scripseratque ad Elizabetham causas huius discessus tradendas cùm soluisset ; sed antequam solueret suorum infidelitate detectus tenetur, & in arcem custodiendus ducitur. Abit annus; nullum adfertur crimen ; Tum nè penitus innocentem viderentur secluisse, in Camerâ vt vocant stellata coram principibus Regni viris accusato, quòd Sacerdotibus præsto fuisset contra quàm lege præscribitur ; quòd commercium habuisset literarum cum *Alano* & *Personio* Reginæ inimicis ; Quòd scripto calumniatus sit in administrando Regno vsurpatas nunc rationes; & denique quod clam voluerit abijsse Regno vt Hispano militaret; mulctam imponunt decem millium librarum nostratium & carcerem ad arbitrium Reginæ. Neque finis hic dolorum. Post tres annos custodiæ (non enim existimauit Regina liberandum) rei Capitalis arguitur. Capita criminationis alia ferè non fuere, Cambdeno teste, quàm quæ anno octogesimo sexto allata fuerant; damnatur tamen; alijs hunc primæ nobilitatis florem tam cito emarcuisse dolentibus (vix enim attigerat ætatis annum trigesimum tertium) alijs prudentiam, scilicet, Reginæ ad sydera tollentibus, quod hoc exemplo terrorem incussisset ijs qui inter Catholicos erant præcipui, & parcens deinde vitæ satis existimauerit fregisse tanti viri potentiam, & eam quâ apud Romanum Pontificem valere putabatur gratiam obstruxisse ; decem annorum carcerem perpessus, atque in his noctes dies(que orationi deditus, & operibus pœnitentiæ, diem clausit extremum, Anno eius seculi nonagesimo quinto.

1595.

Familiæ Hawardorũ calamitas.

Cambdenus Ao 15. Ecclesiæ.

Item Ao. 28. & 29. & 32.

Vide eiusdem signe Elogium apud Cornelium à lapide ad Hebræos 10. v. 34.

XXI. *Southwello* interea curæ fuit par istud coniugum quocumque poterat medicamine solari. Comitissam præsentẽ quâ verbo, quâ pijs quandoq; scripto traditis exercitationibus erigebat ad eam solitudinẽ non modò tolerandã, sed amore melioris sponsi Christi *Iesu* amplectendam, & prece ad Deum frequentiori fusâ cumulandũ obsequium quod absenti marito non poterat opere exhibere. Illius causâ scripsit regulam benè viuendi quæ deinde typis mandata pluribus profuit : Tum etiam Epistolam consolatoriam prolixiorem, quanquam & illa omnium Catholicorum vexationibus leniendis fuit vtilissima. Comitem etiam solabatur suauissimis literis ; in quibus illæ sunt,

Literæ Southwelli ad Comitem Philippum mortẽ damnatum

1595. Inter familiares Epistola 39.

post mortis latam sententiam datæ, quò ad extremam (quæ expectabatur) vitæ aleam fortiter subeundam incitatum per se nobilem animum confirmaret his rationibus. Inter argumenta Immortalitatis animarum & futuræ vitæ iudicijque vniuersalis certissima signa, illud in primis numeratur, quòd bonos videamus hic opprimi, impios in altum euehi; virtutem vexatione, vitium honoribus cumulari. Nam cùm in cæteris rebus omnibus, quæ infra hominem sunt, apta naturæ vniuscuiusque atque accommodata vniuersa sint, & ratio doceat bono laudem & præmium, malo deberi supplicium, quis cogitare potest rerum omnium moderatorem & ducem Deum, in rebus infimi generis tam prouidum, tam æqualem, in præcipua totius vniuersi portione, homine, tam fuisse, vt ita dicam, negligentem aut præposterum? Aliud igitur tempus est in quo hæc rerum inuersio corrigatur; alia vita, & locus alius, quò vitium quod hic laudatur alibi puniatur; virtus isthic depressa, debitis laudibus & præmiis decoretur. Quo argumenti genere quemadmodum vniuersæ ratiocinationes contrariæ facilè concidunt & euanescunt, ita qui ad hæc non aduertunt animum, fato & casui tribuunt omnia, & cuidam quasi naturæ ordini; arbitrantes rerum auctorem omnipotentem, prudentemque moderatorem (si quis eorum iudicio exultat) præmia & supplica æquiori consilio distributurum: Qui vero à Christo edocti norunt certissimè hanc vitam esse *militiam, peregrinationem, exilium*, intelligunt profectò, neque in *itinere* inueniri *quietem*, neque in *exilio patriam*, neque ante finitum *prælium* expectari posse *Coronam*. Illis sanè sua sit isthic *pax*, quibus volupe est magis vinci quàm vincere; sua illis *requies*, quibus Ægyptiorum allijs vesci sine labore est dulcius, quàm in terra promissionis lacte & melle saturari, aliquo hîc interim labore exercitati; Illis sit hæc solitudo *Patria*, qui damno suo incredibili malunt de itinere in vili casa obdormire, quàm pergere in Cælestem Hierusalem, ciuitatem veræ pacis, & æternis frui deliciis. Cur autem Deus in hac vita tam dispari ratione supplicia partiatur & præmia, si quæratur causa, ea in perfectissimam eius iustitiam referenda est: Nihil peruerse gestum relinquet illa impunitum; nihil sine laudis & honoris præmio quod fuerit actum cum virtute: Inferiora verò virtuti longo interuallo sunt huius vitæ bona, & impar præmium: Pœnæ quoque sempiternæ grauior vindicta quàm piorum peccata mereantur, si vnà consideres quantum eos hic doleat pœniteatque: Horum igitur culpæ istius temporis afflictionibus corriguntur; merita seruantur æternis præmiis remuneranda: Id ex aduerso quod exiguum est boni in malis, cùm æternâ non mereatur felicitatem, compensatur temporali: Peccata grauiora quàm vt humanarum miseriarum modus par illis esse possit, æternorum tormentorum flagellis castigantur. Suauissimus quisque flos primo quoque tempore à radice, & culmo, à consueto succi alimento auulsus carpitur; vilis vrtica, & herba quæuis insipida his omnibus gaudens relinquitur, ariditate absumenda: Flos tamen sic viduus in honore est dum principum gestatur manibus, & super-

superba ornat conclauia; herba in nullo est pretio pergat licet crescere, & 1595.
quantam natura dederit gaudeat ætate. Qui flores suauiores quàm qui in Dei hortis enascuntur? Quæ herbæ insulsæ magis, quàm quæ in huius mundi solitudine in altum efflorescunt? Nemini igitur mirum esse debet si illorum suauitate delectatus Deus, carptos in cælum transferat; has insipidas & malcolentes herbas negligat, dum sua ipsarum ætate arescentes decidant, fomenta futuræ ignis sempiterni. Optimum tibi est hinc abire dum optimo es animo, & firmissimo. Optabilius plano æquore diuini spiritus fauente aura nauigare, quàm æternitatis incertum de animæ salute (mox in tuto certissimè collocanda) dubiis adhuc in fluctibus periclitari. Maturitas quædam est gratiæ quemadmodum & annorum; & tu quidem fortasse eum nunc modum attigisti qui est secundum mensuram donationis Christi. Iudas ereptus è viuis post primam vocationem, saluus esse potuisset: Saülem si mors obedientem occupasset, non se occidisset; non esset inter viuos problema salus Salomonis, si dum in eo feruebat pietas inter viuos esse desijsset; sed quia eam gratiam non sunt consecuti vt cùm erant optimi tollerentur; malitia mutante intellectum in cogitationibus suis euanuerunt. Multi sunt in morte timores. Primùm, certa est: tempus, locus, modus, conditio, incerta; denique id maximè terret dum quæ sint mortem secutura dubitamus. Hi timores omnes in te vel nulli sunt vel minores; Tempus, modus, locus certus est; merces secutura (vniuersa assentiente Ecclesia) indubitata; conditio deinde animæ tuæ qualis alio vnquam tempore poterit expectari. Mens etiam & sensus integri, quibus mortem, qualis ipsa sit, æstimare potes: non erit enim tam iniucunda propter damnum quod inferet, quàm iucunda propter incommoda quæ præscindet: neque tam erit fugienda propter vitam quam terminat, quàm amplectenda pro inenarrabili felicitate quam inchoat. Etenim hæc tua causa, (quocunque demum infametur nomine, quibuscunque ante oculos hominum deformetur coloribus) *Religio* est. Id ipsa forma accusationis loquitur; id prudentiores omnes sedatioresque sentiunt; id cætera arguunt quæ in tua hac causa allata sunt: Perge quâ hactenus patientia & æquabilitate, & quidquid ab inuidis dicatur, verum erit in hac tua calumnia illud Psalmi: *In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.* Multorum te gemitus, multorum te deflent lachrymæ: morientem neminem plures iustioresue prosecutæ sunt querelæ; passim augurantur homines tuam in morte constantiam, in patientiâ humilitatem, præ omni longioris vitæ industria Ecclesiæ Dei profuturam tam acerbo ferunt animo vniuersi iniquam hanc sententiâ. Martyrium in vnoquoque hominũ summo cum honore coniunctũ est semper, tibi duplicatam afferet palmam, qui poteris cum psalmista dicere *præstitisti decori meo virtutem*, cùm gloriâ Crucis Christi coronaueris nobilitatem. Si peccasti, nullũ est tali morte potentius Sacramentum, nulla validior satisfactio: si benè es meritus (quod ego quidem arbitror) corona nulla excellentior, nulla Martyrio laurea glorioſior.

1595. Non te igitur aut furor aut fictio, aut gladius, aut splendidæ vestis gloria, non pretium, non preces, non vlla violentia separet à Charitate Christi. Natus es vt esses Dei; quod vixisti à Deo est; pro Deo mortem hanc oppetis; illa mors firmabit vacillantes, fortes reddet fortiores; noti plaudent; ignoti hærebunt attoniti; frangentur animis aduersarij, dum tu in vtroque orbe æternum tibi paries nomen. Felix initium feliciorem sortietur exitum: Quem hactenus neque carcer diuturnus, neque mortis sententia terruit, non spes veniæ, non fucatæ promissiones emolliant. Causa Dei est; conflictus breuis, præmium æternum; animæ denique tuæ res agitur. Ieiuniis, oratione, pœnitentiæ laboribus noli te nimium affligere, quò sis in extremo conflictu vegetior. Desiderium confitendi (nunc cùm præclusa est via) & cordis humilis contritio, quam fuso in hac causa sanguine signabis, plena erit vt in baptismo peccati remissio & omnis pœnæ. Tanta est prærogatiua Martyrij: Iniri certaminis exitum opto tibi felicissimum; & spero nos, Dei ope, vnà olim videbimus in gloria. Vale.)

Camdenus Ao Elizabethæ. 38.

XXII. Hæc ad Comitem *Southwellus* de morte & mortis causa gloriosa; At ille vitam quam alienâ manu eripiendam expectabat, piis excolens meditationibus, anno post sententiam sexto religione concluſit austeriore quàm segnes animi aut probandam, aut ferendam existimarunt: Fluxa enim hæc, non quâ cæteri mensura, sed lance metiebatur æternitatis. Corpus nulla pompa primùm terræ mandatum est in sacello eius Arcis in qua vixerat captiuus. Post annos fermè triginta, Iacobo Regni habenas moderante, Illustrissima Comitissa obtinuit vt domesticæ sepulturę possent ossa inferri, conditaque Sarcophago ferreo, reposuit in ædicula à se fabricata Arondelij, sub hac inscriptione. *Philippi comitis olim Arund: & Surr: Ossa veneranda hoc loculo condita, impetratâ à Iacobo Rege veniâ, Annæ vxoris dilectissimæ curâ, Thomæ Filij insigni pietate, à Turri Londinensi in hunc locum translata sunt. Anno* 1614 *Qui primo ob fidei Catholicæ professionem sub Elisabetha carceri mancipatus, deinde pœnâ pecuniariâ decem mill, libr: mulctatus, tandem capitis iniquissimè condemnatus, post vitam in arctissima custodia in eadem turri, Annis* 10. *Men: sex, sanctissimè transactam pijssime* XIX. *Octobris* 1595, *non absque veneni suspicione, in Domino obdormiuit.*

Southwellus verò non tam solitarius agebat apud Comitissam, vt non surriperet se domo aliquando, ipsa assentiente, vt alijs subueniret; accedebat enim vtrique illud spiritualis vtilitatis, vt quos ille labore & periculo, illa collato sumtu lucrifaceret. Tum cum aliquamdiu abfuisset, reuocabat se ad notam solitudinem; vt cum Propheta *præstolaretur cum silentio salutare Dei, & tacendo leuaret super se*; quam vicissitudinem quantum prætulerit incerto & vago viuendi generi, vtile erit discere ex literis ad Sacerdotem quendam scriptis qui oberrans nullo loco consistebat.

Thren. 3. 26.

"Doleo, inquit, vehementer, cùm te audio instabili quadam viuendi ratione

tione

tione, m esse plurimorum, domesticum nulli. Sumus omnes fateor peregrini; at non vagi: Vitam habemus, non viam, incertâ; Cain maledicto factus est vagus & profugus in terra; quantû scelus displicet, displiceat & vita. Inconstantia ægritudo quædam est mentis, in noua semper se versans loca, dum sanctam cogitationem nullam inuenit in qua conquiescat. Varietas cõuersationis Mater est otij & instabilitatis, aptior ad inficiendam quàm perficiendam naturam quantumuis bonam. Quis magis à sole liuidus quàm qui semper est in itinere? Pascuntur fortassis oculi mutatione obiectorum; sed à vento & puluere patiuntur grauius. Virtutem non frequenter inuenies in via regia; rara est Societas à quâ discedas innocentior. Experientia cara est, si emitur securitate benè agendi: Melior est morum alienorum inscius, quàm Domi peregrinus, Difficile est vnam tabulam ad tam varia exemplaria perfectè fingere: Diuersitas parit confusionem, non perficit artem; difficulter rectè vel vnam imitamur. Stipiti alicui excellenti tuas insere cogitationes; fuge humorem ab radice frugifera; mutatione succi non maturant, sed acescunt fructus. Nulli est amicus qui omnibus est familiaris. Tuus nunquam eris, si sis semper cum omnibus. Inter multos hospites paucos habebis beneuolos: In tam varia nè transfer mentem; da veniam vt in vno aliquo solo radices agat: Herbæ frequenter transpositæ arescunt sæpius, quàm floreant. Ille appetitus cacochymicus censetur, qui cùm omnia gustauerit in nullo sibi placet; qui se cuiuis applicat cùm sectetur neminem, leuis est corde. Reuoca igitur sensus; collige vagantem mentem; noua agita consilia; decerne te dignum quidpiam quod in futurum teneas: Esto alicubi domi, vbi quæ facienda erunt ordines; tum prodi ad aliena, tanquam hospes domum respectans. Imitare apes quæ volatu floribus inhiant, ex quibus cùm mella collegerint, redeunt confestim ad aluearia domesticis laboribus exercendæ, in quibus initium est à prouidentia, finis emolumentum. Vt ingenio tuo sociali modum ponas opto, non vt volucri impono carcerem, aut vt noctuæ sempiternas indico tenebras. Est modus inter mutam solitudinem, aut silentem obscuritatem, & continuam variorum sociorum commutationem: sunt hæc vtraque æquè damnanda; medium inter vtraque optimum; cùm scilicet ex causa conuersamur, & statis nos horis colligimus. Ipsarum naturam rerum ob oculos pone; in anni tempestatibus, in dierum noctiumque vicissitudine leges huius ordinis quotidianas probationes. Alia nos tempora foras euocant, alia inuitant ad recessum: disce cùm domi es, quo te modo inter homines geras, & tuam ipse mentem doce in secreto fouere cogitationes, quæ in omnium virtutum exercitatione tibi sint præ omnibus delicijs iucundæ, quò & diuturnam & sanctam (quod ex animo opto) vitam viuas. Vale.

1595. Eiusdem literæ de vitando vago viuendi genere. inter familiares.

XXIII. Inter primas curas habuit eum gignere Christo parentem, qui ipsum in huius mundi lucem genuerat. Is enim cùm esset opulentus, & vxorem duxisset ex Aula (Elizabethæ Reginæ in Latina lingua olim magistram) quanquam cum Catholicis sentiret, sacris Catholicorum abstinebat, seruiens

Parentem in viam reuocat.

1595. Extat impressa.

tempori, & legum præsidio (quæ conformes in precibus cum Hæreticis immunes volunt esse à molestia) opes tuebatur & gratiam: scripsit ad eum *Southwellus* benè longam Epistolam, veniam à limine orans, quod minor ætate maiorem præsumeret docere, & cunas videretur capiti genitoris imponere: At rationum sententiarumque tanto eam artificio ornauit, vt non eloquentiæ modò laudem inter primas consecuta sit, sed & effectum assecuta optatum, quemadmodum sibi & parenti alijs literis adgratulatur, Deo gratias agens quod eum sibi quasi futuri lucri pignus initio dedisset, quem in vltimorū conatuum præmium accepisse fuisset gratissimum. Communem vero nobilissimorum ingeniorum ęgritudinem prospectans, quæ si quid vacui nacta sunt temporis, id omne impuris vel certè inanibus libris euoluendis aut conscribendis insumunt, huic malo vt remedium pro suo virili suggereret, & pietatem legentibus cum delectatione propinaret, ab Apostolico munere alienum non esse existimauit pijs tractatibus componendis solitudinem suam dedicare, vulgari idiomate modò metro, modò soluta oratione, dictionis elegantiam & ingenij flores sectatus. Quo in genere *Petri* post lapsū gemitus, & *Magdalenæ* pro mortuo dilecto lachrymę, & odæ quàm plurimæ lucem cum plausu aspexere, præter consolatoriam, quam dixi, Epistolam, & eam quam ad parentem dederat, aliaque opuscula, quæ hodieque cum voluptate teruntur. Siue igitur lateret domi, siue prodiret in publicum, neque solitudo erat tædio, neque societas damno. Id ei inter cætera contulit temporis recta æstimatio, ordinataque distributio: Nam vt in reliquis frugi, huius erat parcissimus. Cogitabat enim eum qui plurimum in hac vita ageret, perdere magnam partem vitæ, quid qui agendo nihil? Quid qui malè agendo hanc omnem transcurrit? Præsenti igitur vtendum tempore, cum semel tantum, & vno solo momento præsens sit, eoque frui nunquam, vti semper liceat. Etenim omni tempore vti datur, præterito memoriâ, futuro prouidentiâ, præsenti vtili negotiatione. In quem sensum dixisse interpretabatur Christum Dominum. *Tempus vestrum semper est paratum.* Magnam verò arbitrabatur esse stultitiam cùm obnoxios nos agnoscamus homini de creditis quæ nostra culpa deperdita quoquo modo possunt reparari; tempus inter debita Deo non censere, quod deperditum neque gratissimus potest restituere, neque opulentissimus compensare.

Epistola 2. familiar.

Scribit de rebus pijs quædam

Epistola 37 famil. de tempore rectè distribuendo.

Io. 7. 6.

XXIV. Itaque orando, studendo, scribendo ea digerebat, quæ in proximum vt occasio se offerret effunderet, vel quæ in se tanquam susceptī in cælum itineris sumptum reconderet; & præcipuo studio fouebat à teneris acceptum pro Christo patiendi desiderium; Quod & quotidianæ Catholicorum Sacerdotumque vexationes accendebant, & frequentia pericula spem faciebant posse tandem in opus exire quod optabat. Erant enim tempora in quibus malitia vires omnes suas intendebat ad perniciem, & quidquid vel potentiâ vel arte poterat, id omne & subdole machinabatur, & furore percita exequebatur. Existimauit igitur & ipse omnibus animi viribus contendendum esse ad palmam

Animat se & alios ad aspera.

quæ

quæ se ex vicino commonstrabat: Meminerat antiquis temporibus multos 1595.
similia esse perpessos, neque ætati cuiusquam, neque conditioni nunc posse quidquam aut aduersi accidere, aut duri, imponi, cuius in prioribus seculis exemplum non præcesserit, patientiâ de immanissimis flagitiosissimisq; crudelitatibus triumphante: Esse debere semper in Ecclesia qui se opponant Satanæ & eius ministris, quique pro Christo in acie stantes immotique decertent: In fluxis istis caducisque rebus principes etiam viros bona sæpenumero & vitam prodigere vt alteri texant aut seruent coronam; Quidni fidelis & constans Christi seruus se totum deuoueat veritati propagandæ, quò æternum sibi quærat regnum & gloriam immortalem? sentiebat esse quidem miserrimum, & carni & sanguini prope intolerandum, cùm quis imminentia quotidie noua mala expectans, primùm in perpetuo est metu, tum etiam bonis, libertate, vita non vtitur nisi ad inimicissimorum voluntatem, atque eorum inimicorum quibus vt te opprimant pietas est, vt spolient lucrum, honor vt persequantur, & quædam quasi imposita necessitas vt è medio tollant: At si aspiciamus ad auctorē fidei, & consummatorem *Iesum*, & meliorem illā semperque manentem, quam speramus, substantiam præ oculis habeamus, neque nouum poterit videri quod huiusmodi mala eueniant, neque quidquid patiaris iniurium: Etenim pretium sunt ista quo emitur Cœlum; & Dei gratia non est prosperitate metienda, quandoquidem Christus eam in carne non est arbitratus se dignam: Certior gratiæ nota est in aduersis patientia, & ad quamcunq; Crucem amplectendam promptitudo: Patientia sine gratia non exercetur: Crucem sine Dei amore non tollimus: In mundi infantia persecutio & patientia humani generis cunas sepierunt, crescentesque cum mundo, Christo adhæserunt in fascijs; vt nemini mirum esse possit eandem nobis Christianis contingere sortem. Primus inter homines, cuius pietatem scriptura commendat, Martyr fuit, & mortis causa ipsa pietas: Primum etiam peccatum non est sine persecutione commissum, quando serpentis malitiosa adulatio parentes primos traxit ad inobedientiam. Non enim mitior fuit ille Tyrannus, quia amicus fraudulentus: Nocentior sanè; sub vmbra beneuolentiæ occultans iniuriam, quàm si inimicitias in fronte gerens palam oppugnasset. Præcipuorum Sanctorum in libro vitæ Nomina descripta sunt vel innocentium sanguine, vel lachrymis pœnitentium; nos qui eodem in libro scribi auemus, cur oculorum venarumque liquorem quo scribamur refugiamus tribuere? Christus ipse nos suis scripsit in manibus, quando apertis ferro vulneribus, & sanguine rubricatis digitis nos attraxit; nunc tempus est vt vicissim nos eius nomen & fidem nostris inscribamus in laceratis corporibus, quò fidos nos probemus talis Ducis milites: Digna denique est cælestis gloria horum omnium, & facultatum, & vitæ, & sanguinis pretio; cumque in illam fuerimus quantâuis impensâ intromissi, vili nos emisse sentiemus.) Hæc *Southwellus* cogitabat, & scribebat, vt se aliosque ad fælix certamen animaret quo temporaneo labore quietem nanciscimur in secula dura-

1595. turam, & breuis vitæ facta iactura mercamur sempiternam; Ad quam, quemadmodum *Campano* Eliottus Apostata, huic similis farinæ fœmina strauit viam.

Occasio captiuitatis

XXV. Vxendenij, non procul Arohillio, erat familia Bellamæorum Catholica, quam *Campiani* & *Personij* exultam laboribus, *Soutl welli* quandoque rigabat industria, cùm dabatur solitudinis suæ æruminam liberiori aura recreare. Huius familiæ filia Anna Bellamæa primum tempus ætatis in tam viuido pietatis & fidei Catholicæ studio posuerat, vt eius causa neque improborum hominum audaciam, neque carcerum atrocitatem pertimesceret (ab virginibus enim vexandis hæreticus furor non se abstinuit quas ab omnis mali suspicione semouet ætatis, sexus, conditionisque innocentia) Hæc in Portam domus apud West-Monasterium tradita custodiæ, virtutem in virtutis stadio paulatim exuit, & quam ex domestica disciplina imbiberat pietatem, in impietatem conuertit; ipe laxioris custodiæ, & libertatis tandem obtinendæ, facta Atrienſi familiarior, & quotidiano otio consortioque malorum sensim hausta malitiâ, Religionem cum gloria mulierum deposuit: Tum post expletam aliquamdiu occultè libidinem, nexus quos induerat fidei causâ, indigni coniugij vinculo conspurcauit. *Peccati via decliuis & lubrica quem semel fefellit agit præcipitem.* Vile commercium cum Atrienſi auaritiam peperit; ad auaritiam sustentandâ ex paternis bonis quando nihil iam seu iure seu gratiâ speraret, iniuriâ aditum patefieri posse existimabat. Qui domo Sacerdotem recepisset, recenti lege, reus capitis dicebatur, & bonorum addictioni obnoxius. Huc igitur corruptum auaritiâ & libidine animum aduertens, *Southwello* per nuntium indicat cupere se eum conuenire, idque domi paternæ, & condicta die: *Southwellus* ad diem adest, seu recentis lapsus ignarus, seu sperans ad vlceratam desertæ Religionis scelere mentem pœnitentiæ medicamine curandam pertinere eum congressum. Illa Atrienſi aperit, & diem, & locum, & virum quem prædæ destinarat, vtque erat omnium quæ domi acta fuerant gnara, latebras Sacerdotum domesticas describit, quâ parte, quaque arte essent inueniendæ. Atrienſis Topliffum in consilium adhibet. Topliffus (qui palam profitebatur neminem quemquam insectandarum ferarum voluptate capi magis quàm ipse perquirendorum vexandorumque caperetur Sacerdotum) aduolat confestim ad ædes cinctus turba satellitum; aditus omnes obsidet nè cassis quisquam euadat; perrumpit domum; obit conclauia; pertentat eam tecti partem de qua fuerat edoctus, *Southwellum* cum supellectili sacra latentem arripit, vincit, ducit, de optata præda claro die populo frequenti accurrente triumphat. Quantum, vel an quidquam de paternis bonis ad perfidam filiam deuenerit incertum est; at vidimus deinde in Belgio senem Bellamæum, ampla deiectum fortuna, extorrem, & reliquam exiguo quod superesse potuit trahentem vitam. Topliffus *Southwellum* domum deductum, & paucis septimanis decem vicibus tam immaniter tortum, vt decies mori maluisset, transmisit ad eum carcerem in quo Atrienſis & Anna cum sceleris memoria fructum auaritiæ aliquem ab nouo hospite

no hospite decerperet. Quo vultu, quaue fronte, aut quo tractationis genere exceptus habitusque sit duobus mensibus quibus illo in carcere restitit, vel qua de causa inde amotus ad arcem, non est ad me perlatum, neque in Arce quid passus, quidue egerit totidem annis quibus in ea latuit seiunctus ab omni hominum commercio. Pridem indixerat sibi seuerum silentium si quando quæstioni admoueretur. Id tam constanter tenuit, vt Commissarij affirmarint, stipitem videri potius, quàm hominem. Cecilius inter Reginæ Consiliarios eo tempore princeps, cùm incidisset sermo de quæstionibus in *Southwellum* exercitis, fertur palam in hæc verba prorupisse; " Iactet antiquitas Romanos Heroas, captiuorumque in tormentis patientiam: Non est hæc nostra ætas illi inferior; neque cedunt Romanis Anglorum animi; Est nunc in manibus quidam *Southwellus* Iesuita, qui ter & decies crudelissimè tortus, induci non potest vt quidquam fateatur, ne quidem cuius coloris equo certo die insedisset; nimirum nè eo ex indicio coniecturam caperent aduersarij quibus ædibus aut quorumnam Catholicorum consortio eo die vsus fuisset; Et extra quæstionem quidem sæpius ab ijsdem interrogatus humaniter respondebat: Si quid verò Topliffus ingereret, verbo vno etiam tum non dignabatur hominem; rogatus causam, expertus sum, inquit, frequenter hunc ratione non capi. Non erat illi nouum dies integros & noctes secum agere & cum Deo; neque potest cuiquam esse dubium quin hac vsus solitudine, ea omnia desideria frequentibus votis accenderit, quæ puer conceperat sanguinem reddendi Christo pro sanguine; impar munus, at quo maius, Christo ipso authore, Deo reddi non queat ab homine: Neque tempus, cuius semper fuit auidissimus, in re alia longum visum est, quàm quod nondum voto potiretur moriendi; at quo ordine, quibusue in exercitijs illud ipse transegerit, cogitandum nobis reliquit potius quàm scribendum: Etsi enim sorori suæ Mariæ (Banisteo cuidam nuptæ) patuit quandoque ad eum accessus, nihil tamen foras emanauit eorum quæ ipse Deo soli seruauit recolenda atque æternis præmiis remuneranda. 1595.

Eius in tormentis cōstantia.

XVI. Nullus ab octogesimo ad nonagesimum sextum abijt annus, qui vnum vel plures Sacerdotes, aut ex Laicis viros fœminasque aliquas non numerarit fidei causâ sublimes actos in Crucem, quique Pontificis authoritatem, & Sanctorum Sacramentorum venerabilem cultum fuso sanguine non obsignarint: Quo in numero annorum sexdecim, cùm propè ducenti recenseantur sublati, si sex tantum vel septem è Societate reperiuntur passi, id vel nostrorū paucitati tribuendum, vel Hæreticorum cuidam timori aut inuidiæ, ne eorum, quos duces cæterorum habebant, tum in morte constantia, tum pietatis & doctrinæ (dum viuerent) fama alacriores redderet promptioresq; ad faciendū & patiendū quos post se in acie relinquebant. Quæ enim alia causa esse potuit cur hunc *Robertum South-*

Cur pauci è Societate passi.

1595. *Southwellum* (cuius excellens ingenium & virtus scriptis libris celebrabatur) triginta mensibus in Arce tenerent clausum? aut ante eum pluribus annis *Guilielmum VVestonum* ijsdem in tenebris occultarent, fama Sanctitatis vniuersam Angliam collustrantem? nam quod Sacerdotes essent non dubitabatur, quâ sola de causa plures centum seculares sustulerant: Quod essent è Societate ferebant ægrius, optabantque omnes vt possent tollere. Inuidia igitur restinguebat nocendi ardorem; nisi plus nocuisse existimandi sint parcendo, quàm occidendo nocuissent. At diuina Sapientia quæ huius ardentia patiendi desideria tot annis audierat, in apertum prodire voluit eam viri constantiam, quâ & eius virtus, & Hæreticorum in innocentes sæuientium ab omni ratione remota crudelitas, fieret illustrior. Forma verò Anglicanorum iudiciorum (quam Bombinus in *Campiano* descripsit) quemadmodum in isto seruata sit, non sine voluptate lector curiosus perspiciet.

C. 51.

Stylo veteri.

XXVII. Die octauo-decimo Februarij, ab arce ad Portam nouam translatus *Southwellus*, & in tetram sub terra specum (quam ab obscuritate & depressione *Lymbum* vocant) clausus, biduo post ducendus erat West-Monasterium, dicturus de capite; quanto id gaudio sitientem compleuerit animum non facile dixeris; ipse certe cor subsultare aiebat præ lætitia. Ac pridie quidem quàm duceretur, sederant ad Portam nouam Iudices, Poppamus, Odoënus, Euantius, Daniel & alij, nominatisque viginti quatuor Iuratis de facto cognituris; hos Poppamus in hanc sententiam allocutus fuerat. " Quanquam omnium criminum Iudex hîc sedeo, non est mihi in præsentiarum animus de omnibus dicere; Ad illam præcipuè legem aduertite cogitationem quæ anno Reginæ vigesimo septimo lata, eos qui à primi anni festo Sancti Ioannis Baptistæ ordines Roma deriuatos suscepissent, reos facit Majestatis si intra quadraginta dies non discederent Regno, vel deinde huc commearent; eos verò qui huiusmodi aliquem domo susciperent aut fouerent, pari fere crimini, & bonorum proscriptioni iubet esse obnoxios. Quàm fuerint hæ leges necessariæ existimo vniuersis esse perspicuum. Majestati enim suæ nusquam licuisset esse securæ quamdiu his turbarum inflammatoribus locus esset in Regno, neque potuisset subditorum quispiam fortunis frui sine ingenti metu. Quis enim Nort-Humbrios nobiles? Quis Throkmortonium & Paræum, Quis Hekettum, Iorkum, & Guilielmum in Reginæ perniciem concitauit? Quis anni octogesimi octaui Classem Hispanicam instruxit, inflauit, & prope dicam collatis operis construxit præter *Alanum* & *Personium* eorumque administros Sacerdotes vniuersis sparsos regionibus atque huc tandem aduectos? Et quidem cum debito reorum supplicio sempiternis obliuionis tenebris hæc possent inuolui, nisi recentibus semper sceleribus obducta recrudescerent, & leges non ad terrorem, sed ad contemptum latæ viderentur. Audite quid aduersus *Robertum* quendam *Southwellum*

Poppami oratio ad Iuratos.

hoc

hoc in genere adferatur, & vestris consiliis remedium præbete malo. 1595.

Forma accusationis.

Iurati præsentant pro Domina Reginæ, quod *Robertus Southwellus*, nuper de Londino, Clericus, natus infra hoc Regnum, post festum Natiuitatis Ioannis Baptistæ, Anno Regni dictæ Reginæ tunc primo, & ante primum diem Maij, anno Regni dictæ Dominæ Reginæ trigesimo secundo, factus & ordinatus Sacerdos per auctoritatem deriuatam & prætensam à sede Romana, timorem Dei ante oculos non habens, leges & statuta huius Regni Angliæ minimè ponderans, nec pœnam in ijsdem contentam verens, vigesimo sexto Iunij Anno Regni dictæ Reginæ tunc trigesimo quarto, apud Vxenden in Comitatu Middlesex proditoriè & vt falsus proditor Dominæ Reginæ fuit & remansit contra formam statuti in eiusmodi casu editi & prouisi, & contra pacem dictæ Dominæ Reginæ, coronam, & dignitatem.) Si igitur pecuniam rodentes atque adulterantes, si fallacis monetæ cusores Majestatis rei grauissimis plectuntur suppliciis, hi profecto atrocius puniendi sunt, qui hominum mentes superstitiosa Religione corumpunt, & sanguinem sitientes continuis nos exagitant timoribus, insidiis, proditionibus. Qui enim leges violat, qui supplicium in reos constitutum contemnit, cuius criminis, data opportunitate, reus esse verebitur? An iste qui accusatur huiusmodi scelere se obstrinxerit, quandoquidem id vestri nunc muneris est, decernite.) Hac oratione accensi secedunt aliquantulum bis duodecim viri deliberaturi; sequitur Procurator Regius Edwardus Cocus; currentes si esset opus incitaturus; sequitur & perfricta fronte (ô miseram à fide deficientium conditionem) Anna Bellamæa, suum de Sacerdotio additura testimonium: Exiguo interuallo reditur ad Iudices, & (vulgatis verbis, *Billa vera*) Accusatio vera pronuntiatur. Hæc præambula sunt Iudicij: Tum West-Monasterij sistitur *Southwellus*, & erecta dextrâ, post alteram accusationis recitationem rogatur, Nocéntne sit an innocens? "Fateor, inquit, me natum in Anglia Reginæ esse subditum; Initiatum me etiam esse Sacerdotio non diffiteor; eiusque ordinis suscepti gratias quàm maximas refero omnipotenti Deo: quòd fuerim Vxendenij palam est omnibus cùm inde sim ductus huc captiuus; Eo tamen non venissem nisi dolo malo traductus velut in muscipulam: Testem inuoco Deum, me omnis proditionis consensionisue in Reginæ, Regni, seu Republicæ perniciem liberum, id tantum habuisse in votis vt Sacramentis ritu Catholico administratis hominú volentium conscientijs consulerem.) Verbo igitur (vt moris est) dicito, noxium te censes, an Innoxium? "Innoxium prorsus me esse censeo, eiusque Innocentiæ non aliú cognitorem quàm Deum postulo, & vos ipsos Iudices. Absit id à nobis (reponit Poppamus) nostrum est demũ ferre sententiã cùm de facto cognitum fuerit: Facti cognitio ad viros duodecim pertinet (quos cùm ex viginti quatuor selectos curasset à Præcone nominari.) Estne inter istos inquit quispiã aduersus quem iure excipias *Southwelle*? Hi patriam repræsentant, cuius & Dei Iudicio si te submiseris standum tibi est: si resistiteris, id ipsum te sceleris conuictum damnabit.

Southwelli prima defensio.

1595. Tum *Southwellus*; " Quandoquidem sic statuunt leges, & siue istos siue vos cognitores habiturus sim, iniquæ conditioni parendum mihi est; misereor equidem duodecimvirorum, quorum ego cùm neminem nouerim charitate Christiana teneor de nemine quopiam sinistrè sentire; At illi quando ego me ipsis permisero viderint profecto an innoxij futuri sint cùm secundum leges vestras de Innocente pronuntiauerint; permitto tamen, quoniam ita necesse est, vt de meo facto hi cognoscant.

Procuratoris regij oratio ad duodecimviros.

XXVIII. Audierant isti accusationem conceptis verbis secundò recitatam, atque de ea cum alijs duodecim seorsim deliberauerant; poterant & ipsi more suo atque odio Religionis sat esse prompti ad reum euertendum; nè qua tamen ad scelus deesset diligentia, exit in medium quem dixi Procurator Regius, & partitâ in tria capita oratione affatur duodecimuiros. " Accusatio quam audistis tribus continetur; quòd iste subditus sit Reginæ; quòd ordines Romano ritu susceperit; quòd post susceptos fuerit Vxendenij. Horum nihil reus ipse diffitetur. Audistis Blasphemiam; quid adhuc egemus testibus? Subditum Reginæ ordines susscepisse Romano ritu rediisseque in Angliam læsæ Majestatis crimen est iubente lege: Etenim Regina neminem in Regno nouit Superiorem; sola inter suos potest & debet omnia moderari: Cuius itaque temeritatis est potestatem ab alieno Principe acceptam huc transferre, & eandem tanquam in subditos exercere? Atque ab eo Principe acceptam potestatem, qui & Reginæ sit inimicissimus, & Religionis quietisque nostræ infensissimus hostis. Securitati vtriusque vt prouideatur variis cautum est legibus. Primùm, nè quis externi Principis in huius subditos auctoritatem agnoscat; deinde vt literæ nullæ Pontificiæ huc aduehantur; Tum cereis quibusdam imaginibus, & globulis (quos Agnos Dei vocant, & Grana) aditus est præclusus; post etiam libris qui sub pietatis & doctrinæ vmbra pestem occulunt, quam omnes fugere necesse est qui salutem caram habent; denique cùm ad malorum culmen greges Sacerdotum Iesuitarumque immittebantur in Regnum, per quos toto orbe terrarum in Hispani Regis & Pontificis gratiam discordiæ seminantur, fouentur bella, sternitur via ad aliena occupanda, quæ diligentia, aut quæ legum asperitas nimia esse poterat huic malo vt obuiaretur? Christus præcipit ea reddi Cæsari quæ Cæsaris sunt; Apostolus monet, Principibus & Potestatibus subditos esse; dicto obedire, & ad omne opus bonum paratos esse. Hi neque potestatem agnoscunt, neque volunt Reginæ subdi; imo verò auocant ab obedientia subditos; dicto obedientes; sed Pontifici; ad omne opus parati; at quale id opus sit vos certè perspicitis: Religionem lacerant, Majestatem non verentur, fidem etiam & commercium inter homines tollunt fictis implicatisque ad interrogata responsionibus. Tu *Southwelle* inter primos docuisti si quis esset rogatus, An te domi cuiusquam vidisset, posse iuratum respondere non vidisse cùm certe viderit. Id si negas, est hic qui affirmet. Quid porro istud est præterquam mendacio, periurio, fraudi, & dolo malo apertam tenere ianuam, vt nihil

vt nihil iam lege, nihil iure, nihil in posterum more maiorum agatur, fraudi cuncta pateant atque fallaciæ? Quid tandem istis hominibus facies? Quibus supplicijs, quânam digni pœnâ censendi sint in aperto est, qui Regnum, qui Religionem, qui pacem, qui mores hominum & vitam tam fœdis conatibus, & præceptis miscere, inficere, subuertere nituntur. 1595.

XXIX. Stabat ad hæc inuictus Pugil animo erecto & intento: Sæpe rogauerat fieri copiam ad singula cùm primùm objciebantur respondendi; sæpe conatus ea interponere quæ opportuna occurrebant; memoriam aiebat vires q; tortionibus debilitatas difficulter retinere cuncta quæ sparsim & prolixè dicerentur; Deum testem vocabat se decies tormenta pertulisse tot mortibus grauiora; nihil obtinet: clamoribus, cachinnis, sannis loquentem excipiunt, & interturbant. Eorum autem quæ vel continua oratione, vel per interualla repoluit hæc summa est." Scio legibus vestris Sacerdotes in Reginæ quæcunque dominia remeantes Majestatis postulari; non est autem in vestrum quacunque industria aut scientia ostendere leges illas legibus Christi aut verbo Dei esse conformes. Nam quod adfertur de reddendo Cæsari quod Cæsaris est, & obediendo Potestatibus; nos etiam agnoscimus, & Reginæ reddimus quod Reginæ est, in corpora & quæ ad corpus spectãt potestatem: Animarũ alia est ratio: Ad has pertinet ea omnis potestas quam in Põtifice veneramur: ad has eius literæ, numismata, & grana, & quæcunq; Sacerdotes huc missi per Sacramẽta exequuntur. Sit sanè regnũ istud pace florentissimũ, id precamur; Vt Religione Sanctum sit (pace vestra dixerim) vestris Religionibus nunquam perficietur; Majestatẽ veremur in ijs quæ Majestatis sunt; At meminisse potestis, in re, quam nos tractamus, dictum esse ab Apostolis, *si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate.* Regi Hispano in nullo aduersus Majestatem seruimus; neque probari vlla ratione potest in classem quam dicitis nos quidpiam contulisse. Habeat ille sua; Regina vt suis gaudeat cunctorum est votum: Hanc fidem fides nostra nos docet. Et si de implicata responsione quæ dixi dabitis veniam explicãdi, non illa à ratione tam dissita reperietis, quàm voluit is qui aduersum me modò dixit. Quæro enim ex te, Domine Procurator, si Rex Galliæ factâ manu huc irrumperet, & vrbe vniuersa potitus, Reginam quæreret redactam in Palatij aliquas latebras, quarum tu esses conscius, teque in Aula præhensum rogaret ille Rex, vbinam locorum illa lateret, neque crederet nisi iurato? Quid ageres? Hæsitare, detegere est, non iurare, prodere: Quid responderes? Monstrares credo locum: At quis horum omnium qui hic circumstant te non egregium conclamarent, & fidelem, scilicet, subditum, Reginæ traditorem? Iurares igitur si saperes te nescire, aut omnino te scire nullibi in Palatio Reginam latere, vt videlicet scientia tua vtaris ad tam nefarium scelus; quemadmodum Christus in Euangelio dixit, *de die illo vel hora, nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque filius*, Vt sanè aliis reuelaret, quæ est huius loci constans Patrum interpretatio: Hæc nostra est conditio; Periclitantur Catholici Southvvelli defensio altera. Actt. 4. 19.

1595. tholici de libertate, de fortunis, de vita si domi habeant Sacerdotem; isthæc responsione dubia vitare quis vetet? Etenim huiusmodi in euentis tria consideranda veniunt; Primùm, iniuriam fieri si non iures: Tum non teneri te cuicunque interroganti respondere de omnibus: Denique iusiurandum quodcunque licitum esse, si cum veritate, iudicio, iustitia iuraueris, id quod in re nostra palam est.) Plura parantem dicere maledictis, conuicijsque coërcent: Appellant puerum, Thrasonem, ignarum, qui se de Patrum sententia iactet quos nunquam viderit: Cumque rogatus de ætate respondisset, se eius esse ætatis quâ Christus vixit in terris, trium scilicet & triginta annorum & quod excurrit, istud etiam ad calumniam vertunt, quasi Christo se parem faceret: Itaque cùm nihil ratione aut modo agi, omnia ad contentionem & contumeliam retorqueri perspiceret, versus ad Iudicem." Quod ex me est, inquit, paratus sum verborum factorumque meorum rationem, si auditis, reddere; si vocibus & maledictis agendum est, nos talem consuetudinem non habemus; nihil ego proditione, nihil contra pacem, dignitatemúe Reginæ, aut egi, aut locutus sum: Moribus vestris me iudicandum commisi; quod ex recta aliqua lege, quod ex æquo decernere potestis decernite.) Iudex pauca ad duodecimviros præfatus, iubet rursus secedere ad deliberandum. Illi non longâ temporis morâ interpositâ redeunt, sontemque denuntiant. Cùm de more quæreretur, num aliud quidquam ad defensionem superesset dicendum? "Hoc tantum, inquit, Deum ex animo rogo, velit omnibus benignissimè ignoscere, qui quoquo modo in meam hanc necem conspirarint:) Tum conceptis verbis dicta sententia, abducitur die altero de medio tollendus.

Stylo nouo 3. Martij. Quo animo acceperit nuntium mortis.

XXX. Is fuit vigesimus primus Februarij; vixdum illuxerat, cùm commentariensis euocatum monet eo die moriendum; quem arctè complexus *Southwellus*," Næ, inquit, tu gratissima adfers noua: Doleo nihil mihi magnopere superesse nunc quo te donem: Hunc tamen pileum nocturnum accipe, grati animi qualecunque signum:) Illum pileum Commentariensis dum vixit in pretio habuit, nullo munere redimendum. In crate viminea humi strato, lætitiâ magis subsultabat animus, quàm corpus equorum incondità agitatione, & frequenter in has voces erumpebat:" O Christe Deus, honor iste nimius est quem in immerentem confers seruum, nimia gloria. In conspectum fatalis ligni cùm venisset, quantum poterat se erigens, salutat optatam à puero Crucem, Andream Apostolum imitatus. Tum subductus in currum, manu ducto Crucis signo, multitudinem suspensam silentemque alloquitur

Eius vltima verba.

verbis Apostoli. *siue viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.* A quo benignissimo Domino & patre misericordiarum, per Christi *Iesu* sanguinem, ego primùm veniam peto eorum omnium quæ quocunque modo à teneris deliqui: Tum quod ad Reginam attinet (cui nunquam mali quidpiam aut feci aut optaui) quotidie pro ea precatus sum Deum, & nunc quanto possum affectu precor,

vti pro

vti pro ingenti sua benignitate per vulnera Christi Filij, dignissimaque merita, 1595.
detilli donibus muneribusq; amplissimis quibus eam ornauit vti fruique ad immortalem nominis sui gloriam, regni totius felicitatem, animæque & corporis solatium sempiternum. Miserrimæ verò huic omnibusque lachrymis deplorandæ Patriæ meæ eam opto veritatis lucem, quâ depulsis ignorantiæ tenebris discat in omnibus & super omnia laudare vt oportet Deum, & æternum bonum quâ necesse est viâ quærere. Et quoniam video à me postulari nè prolixus sim; hanc animam meam in manus Dei mei & Creatoris trado, enixè rogans vt eam virtute sua seruet & roboret, detque in hoc postremo certamine fidelem perseuerare: De corpore quid futurum sit nulla me sollicitat cura. At quoniam mors hac de causa tolerata pro qua ego morior, non potest non esse felicissima atq; optatissima, Deum totius consolationis precor sit mihi purgatio plena peccatorum, cæteris vero solatio & incremento fidei atque constantiæ. Morior enim quia Sacerdos Catholicus, in Societatem nominis *Iesu* ab ineunte ætate cooptatus, neque alia res vlla tribus his annis quibus vinctus iacui aduersum me allata est. Hæc itaque mors, quantumuis nunc ignobilis videatur & ignominiosa, nemini rectè sentienti dubium esse potest quin supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatura sit in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur sed quæ non videntur.

XXXVII. Ea oratio, magnis animis magnoque ardore prolata, multam in audiente plebe mouit commiserationem, vti suos etiam fallaces verbi ministros identidem interpellantes compescuerit. Quorum importunitati vt obuiaret *Southwellus* elata voce protestatus est," Quidquid isti homines (digito notans Ministros) quidquid, inquam, isti dicant faciantue, viuam & moriar Catholicus: Vos qui Catholici hic statis estote mihi in isto testes, & pro me orate.) Tum se colligens, & ad vicinum comparans exitum, latinè tota mentis corporisq; contentione hæc orabat," *Sancta Maria Mater Dei, & omnes Sancti intercedite pro me*; & cùm signasset se cruce; *In manus tuas Domine commendo spiritum meum, redemisti me Domine, Deus veritatis. Deus meus & omnia: Deus propitius esto mihi peccatori*; & quasi pignus futuræ lætitiæ accepisset, *Me expectant Iusti: cor mundum crea in me Deus &c. Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Demum agitatis equis, & curru moto de loco, denuò se armans Christi signo, & in eius manus spiritum commendans, sat diu pependit viuus, pectus manu tundens, & cùm non posset ore plura, familiarè Catholicis figuram crucis manu imprimens Christi se militè professus est, donec lictor, qui restem non vt oportuit adaptarat, pedibus attractum è viuis sustulit; nam cùm iuxta Iudicis sententiam vellent quidam spirantem adhuc exscindi, prohibuit id populus, & qui aderat præses supplicij Magistratus. Ille animam quam virginum Martyrumque gloriæ auidam à prima ætate enutrierat, reddidit Creatori, sempiternis honoribus cumulandam; Cuius gloriæ in occisi etiam vultu resêdere signa; etenim neque pallor mortis, neque restis iniuriosa compressio oris figuram fœdauerat: Cor etiam ex cruenti-

1595. Carnificis manu repente exiliens, neque se flammis facilè permittens exuri, quasi cum Psalmista clamantem expressit. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Ijs denique mortuum deflere pietas fuit qui viuentem dum tollerent existimauere obsequium se præstare Deo. Baro de Montioye admiratus innocentis constantiam, Anima mea sit, inquit, cum huius hominis anima, cohibuitque secundò tertioue conantes præcidere viuenti funem. Neque minor in plebe admiratio. Nemo post mortem calumnioſus, nemo, vt assolet, seu voce, seu facto fuit iniurius. Consuetâ carnificinâ corpus dissectum in partes quatuor & caput nullo acclamante ostentatum in pertica, finem posuit tragœdiæ. At mansit in animis Catholicorum viuens memoria viri in omni genere perfecti. Nam & ingenio, & iudicio, & vsu rerum præditus erat non vulgari, quæ habitus corporis decorus honestabat, tum gratia commendabat elocutionis, illustrabat perficiebatque ingens animi ardor faciendi patiendique pro Christo, & in exequendis quæ arripuerat rectæ vitæ institutis mira constantia. Hæc subijcient oculis protestatio quædam, & pauca quæ supersunt fragmenta, quæ quo tempore scripta sint cùm non reperiam, seruient non incommodè demonstrando vltimis quàm apte prima conuenerint, quemadmodum & à primis, continuata fere serie actionum, postrema dependent. Ita igitur primum de suo viuendi moriendique in Societate instituto decreuerat.

M.SS. Gerardi.

Indicia constantis animi.

XXXII. Ego *Robertus Southwellus*, coram omnipotente Deo & curia vniuersa Cælesti profiteor, affirmo, & firmissime credo (certissimis signis ab ineunte ætate, & toto præteritæ vitæ cursu persuasus, reque in Domino maturè & accuratissimè perpensa) absolutè melius mihi esse viuere & mori in Societate *Iesu*, quàm in alio quouis ordine Religioso: longè autem melius quàm in sæculo, quacunque demum conditione viuendum esset. Et nunc cùm sim, vti spero, ab omni sinistro animi motu liber, accensus etiam desiderio salutis æternæ, vltimique finis mei consequendi, profiteor me decretum istud firmum & stabile habiturum in omni vita, cupioque vt hoc meum scriptum offeratur omnipotenti Deo in die Iudicij extremo, tanquam huius decreti ratum testimonium: si verò contingeret vt illuso ab hoste humani generis, oblitoque propositi alia mihi mens aut cogitatio quocunque tempore ingereretur, volo vt ea mens aut cogitatio omnino nulla censeatur, nullarumque sit virium, quoniam nunc cùm quieto pacatoq; sim animo, mei perfectè compos, atque, vti confido in Dei gratia, sine vllo graui peccato aut peruerso motu & futuris periculis quod in me est prouidens, detestor, abhorreo, abrenuntio, abiuro, & execror, & omni quo possum modo refuto, atque reijcio talem mentem aut cogitationem; & ad finem vsque vitæ inclusiuè ex intimis visceribus totaque anima desidero vt maneat ea mens detestata, abiurata, execrata, atque reiecta. Quamuis etiam omnes Patres & Fratres imo & omnes Superiores desererent Societatem (quod confido nunquam futurum) & præter me nemo maneret, manerem solus, in eaque solus morerer: Etsi Angelus de cœlo descendens nuntiaret non esse manendum, si vel vnum tantum Superiorem

Superiorē haberem qui tanquam Superior diceret manendū, reijcerem Angelum, & sequerer iudicium Superioris: Idq; ie iterum iterumque confirmo. Ad tentationem autem huiusmodi reprimendam, consilium optimum existimo, hunc diem præ oculis habere in quo firmissimis rationibus animoque rectissimè constituto hoc decreui; optimum scilicet mihi esse, atque omnino necessarium viuere & mori in Societate *Iesu*. Sic statuo, omnia hæc cæteraque quæcunque proposita, intelligendo iuxta eiusdem Societatis constitutiones. Quanto autem flagrarit patiendi desiderio, quamque accuratè se ad aspera quæque subeunda parauerit, præter ea quæ commemorata sunt, ista demonstrant. "Qua, inquit, fronte, vel quibus oculis intueberis Christum Cruci affixum? Quo animo ad eius pedes te prosternes, vt beneficium tanti effusi sanguinis postules, nouamque gratiam, si exiguum aliquid aduersi ferre, aut proximi causa agere refugias? Si deinde vno denario vniuersus veniret mundus, nunquid censeretur amens qui denarium difficulter aut omnino non penderet? Quid igitur restitas! Aut quid auersaris eum qui tibi quidpiam duri imponit? Quando vna tali mortificatione mereari potes Regnum cælorum; Quidni potius gratias agis, cùm denariū tibi porrigat quo gloriam coëmas immortalem? Cùm verò Deus vitam suam pro te dederit, omnium Angelorum vita pretiosiorem, quid magnopere feciſſe existimandus es si eius causa & amore vitam tuam offeras, quæ vmbra vitæ potius censenda est esse quàm vita?) Hæ fuere *Southwelli* excelsæ sublimesque cogitationes, quibus cùm diuinitus armatum instructumque intelligamus, nemo iure mirari poterit, eâdem dextera ad Martyrij palmam euectum, quâ à teneris tam accensis desiderijs & conatibus inflammatum perspexerit: huiusmodi verò pluta ex eius aduersarijs excerpi potuissent, si vitam mortemque per se illustrem, pluribus ornare necesse fuisset; videamus nunc porro, quâ luce constantiæ cæterarumque virtutum eodem anno Septentrio fuerit illustrata.

1595.

Desiderium ardens patiendi.

XXXIII. In eadem Norfolciensium Prouincia, honesta est & antiquitate illustris familia *VValpolorum*; Hac ortus *Henricus* Martyrij gloriam splendori suæ gentis adiunxit, primogenitus multarum prolium; parentibus natus quos cùm multi nobilitate anteirent, vinci se illi à nemine voluerunt excellentiâ Religonis & Christianæ pietatis. Cum lacte igitur hausit *Henricus* Catholicam fidem & morum innocentiam, quam grandior factus tanta ornauit moderatione, & prudentia, vt fratribus reliquis parentum loco fuerit: Tres maturè eductos è Patria ad Societatem suo deinde traxit exemplo; Quartum sub Rege Catholico militantem vidit. Post prima Latinitatis rudimenta missus Cantabrigiam, simul Philosophis audiendis, simul linguarum scientiæ quatuor annos impendit: Tum ad iuris municipalis cognitionem translatus Londinum, vt erat acri ingenio, & Catholicæ fidei egregius cultor, quæstionibus quæ ab Hæreticis controuertuntur non minus operæ

Henrici VValpoli natales & educatio.

1595. tribuit, quam legum studio, tanto pij conatus fructu, vt cùm sibi soli non studeret, exiguo tempore viginti ad Catholicam partem addiderit; quorum alij ad Seminaria profecti, alij strictiorem viuendi rationem secuti, alij domi in fide firmi atque constantes, Religionem quam eius hortatu amplexi sunt amplificarunt; quanquam non magis hortatione aut scientia, quàm exemplo vitæ profuerit, sine quo & hortatio languet, & scientia plerumque contemnitur: Quo tempore *Campianus* in Arce cum Heterodoxis de fide disceptabat, ipse interfuit; adfuit etiam cùm de capite diceret, & cùm pro suscepto Sacerdotio moreretur: Notauit in erecto animo, demissionem; in aperta de Hæreticis victoria, modestiam; ad maledicta & contumelias immotum animum; fortem in patiendo, moriendo inuictum; quas in eo virtutes cùm admiraretur, ad eius sequendum institutum non leuiter se sentiebat impelli: Id primam ei mentem iniecit relictâ patriâ alias vt terras quæreret in quibus huiusmodi vitæ rationem florere intelligebat. Quam deinde mentem iuuit Hæretici Magistratus indignatio, commota primum carmine quo *Campiani* felicem exitum celebrarat; tum ad aures perlatâ industriâ in orthodoxæ fidei assertionibus propugnandis, atque in primis quâ in affine quodam suo abducendo ab Hæreticorum commercio adlaborasset. Erat is *Edwardus VValpolus*, parente natus diligentissimo purioris Caluinismi sectatore; quam sectam *Edwardus* non minus altè quam parens imbiberat, primus inter filios parenti carissimus. Huic *Henricus* pro antiqua ab incunabulis consuetudine proque iuuenis læto ingenio, & innato animi candore, cùm optaret quàm maximè rectum iter ostendere, obstabat hausta à teneris impietas, domestico firmata exemplo, parentum fota obseruantiâ, legum etiam munita seueritate; quæ tam difficilem nouæ luci dabat aditum, vt annis duobus tenuerit bellum, modò familiari gestum sermone, modò communicatis scriptis, modò ostensis libris, quos inter præcipui erant Confessio Augustiniana, & Thomæ à Kempis libellus de Imitatione Christi: In illo perspiciebat tanti Doctoris consentientem cum Catholicis sententiam; in isto mirabatur viri (vt tum existimabat) nimium superstitiosi solidam pietatem: Accessit & Fulci, suæ sectæ hominis, in responsione ad *Alani* Cardinalis librum de Purgatorio, omnium antiquorum Patrum familiaris Hæreticis contemptus. At optatum certamini finem posuere literæ ab *Henrico* acceptæ; quæ quo argumento, quoue ardore scriptæ fuerint, quanquam non memoratur, eam vim habuere, vt cùm mensæ assidenti *Edwardo* traditæ essent, confestim surgenti atque in conclaue se abdenti multis obortis lachrymis omnem de Catholica fide amplectenda dubitationem, metum omnem absterserint, qui nè in leges, aut in parentes offenderet, detinuerat. Salutem Filij parentes tam ægro tulere animo, vt de cognato quererentur apud Senatum Regium: Fugiendum igitur *Henrico* fuit nè literis Leicestrij, Cecilij, VValsinghamij, & Cobbami obnoxius, daretur in carcerem:

Campiani exemplo mouetur ad Societatē ineundā

Edvvardi VValpoli conuersio.

Et domi

Et domi quidem paternæ procul Londino latere se aliquamdiu posse existi- 1595.
mauerat; at tantus vbiq; metus, tanta inquisitio fuit, vt noctem cùm tradux- Henricus transmittit in Galliam
isset in campis, in Septentrionem proficisci decreuerit, opportunitatem trãs-
mittendi quæsiturus: Et commodè incidit in nauim nautis abũdè instructam,
nullo vectore grauem, quod in summo beneficio posuit, & in litore Gallico,
portu cui à Gratia nomen, exscendens, Rhotomago Parisios, Parisiis Rhemos
tenuit. Isthic annum vnum Theologiæ dedit; tum Romam profectus an-
num alterum in Anglicano: Inde in Societatem cooptatus quarto Februarij
anni octogesimi quarti, annos ætatis numerans viginti quinque præ rerum
Cælestium dulcedine quid corpori accideret incurius, breui eum pectoris &
ventriculi dolorem contraxit, qui iudicio peritorum non alio curari posset
medicamine quàm aëre mitiori: itaque in Gallias reuertit, & Virduni quod
supererat Tyrocinij exoluens, liber ab ægritudine, post Mussiponti decur-
sa Theologica, initiatus est subdiaconatu Metis, Diaconatu & Sacerdotio
Parisijs.

XXIX. Dux Parmensis Alexander, qui armis Catholici Regis in Belgio In Belgio militibus iuuandis impendit operam.
præerat, *Thomam Saillium* è Societate *Iesu* Conscientiæ adhibuerat modera-
torem. Huius morum suauitas, atque in summos infimosque caritas, pium
Principem permouit vt plures eiusdem instituti homines ad animarum auxi-
lium in castra induceret; quærebanturque præsertim illi qui & animi virium-
que robore, & linguarum peritiâ iuuando variis ex nationibus militi pares
essent. *Henricus* qui præcipuas Europæ linguas callebat, Gallicam, Hispanien-
sem, Italicam, & erat ingenio, prudentia, rerum ac scientiarum cognitione
non vulgari, *Claudij* Generalis voluntate delectus, & Bruxellas profectus, omni
corporis mentisque contentione arduum hoc munus periculorumque re-
fertum aggressus est & omnes Religiosi strenuique operarij partes expleuit.
Hybernis deinde mensibus, quibus ab armis plerumque cessatur, missus Tor-
nacum ad tertium probationis annum, quo Societas suos exercet ad Gradum
in Religione stabilem, dum inde reuertitur Brugas Flandriæ, in Hollando- Captiuus ducitur Flissingam.
rum prædantes milites incidit, rapiturque Flissingam. Non sunt Hollandi in
bello captos intemperantes: Longa dies, parque vtriusque partis necessitas,
docuit conuentione militari statutum quiddam in singula capita pendere, at-
que interim dum paratur solutio sumptum liberaliter facere quemadmodum
in hospitijs. At *Henricus* non in Hollandorum, sed in Anglorum præsidium
datus est custodię, quod id temporis obtinebant qui sub Leicestrio Hollandis
militabant. Illi gentilium Hæreticorotum vitio in Sacerdote Anglo Patriæ
proditorem vexare existimantes, non modò sat asperum nihil arbitrabantur
quod infligerent, sed & necem (à qua Ciuitatis Flisinganæ iure prohibeban-
tur) clam inferre moliebantur, subornatis inter captiuos aliquot latro-
nibus, qui spe impunitatis nihil de nocte opinantem opprimerent. Non
latuit *Henricum* malitiosa crudelitas. Impositamque necessitatem ad
plures menses vigilandi, modò vt somnum simularet, modò vt propin-

1595. quantibus tanquam excitatus occurreret, magna tolerauit patientia; eo videlicet non leui tormento voluit eum Deus exerceri potius quàm vt in noctis tenebris & carceris angustijs tolleretur is cuius virtutem atque constantiam ampliori theatro destinarat. Accessit ad molestiam hyberni temporis, & carceris incommodi tam ingens frigus, vt ex alienæ Religionis aduersaque partis ductore militum expresserit humanitatem; nam cùm pro antiqua notitia eum inuiseret, videretque tectum tenui tantummodò sotana, quam ad iter æstiuum induerat, detracto quo vtebatur ex serico thorace vestiuit, armauitque ad reliquam asperitatem tolerabilius sustinendam. Penetrauit interim in domum paternam fama captiuitatis, fratremque minorem natu incitauit vt qua posset arte succurreret. Elizabetha Regina vt Hispano incommodaret, arma Hollandorum modò sumptu, modò milite sustentabat: Commeabant itaque frequentes vltro citroque; inter hos Capitaneus is qui *Henricum* habebat in custodia: Huic se iungit frater, vnaque traijcit Flissingam; vtque est solers & diligens vtraque caritas, & quæ sanguinis propinquitate, & quæ Christianæ Religionis Sanctitate nititur, postquam de commodiore tractatione conuenisset, de lytro etiam spopondit; quo partim è Belgio partim ex Anglia corrogato, post annum molestiarum, soluto pretio reuertit *Henricus* Bruxellas. Fratri suadet vt deposita cogitatione reditus ad suos Româ pergat, quò eam quam suo exemplo conceperat mentem Societatis amplectendæ (inimicâ Sanctis desiderijs superatâ morâ) quàm primùm in opus felici partu profunderet. Fuit ea merces opima laborum; nam suo fratrisque merito non ita multo post potitus est voto.

XXXIV. Non restinxerat in *Henrico* ardorem patiendi pro Christo frigus carceris; qualesque molestias in alieno solo perpessus fuerat, eas in natiuo vtiliores glorioso fore sque futuras existimans, nullum finem faciebat cogitandi, & orandi, vt tanto eum beneficio dignari vellet Deus; nimirum diuina sapientia quos aut ad excelsa facienda, aut ad patienda aspera disponit, ijs semina inijcit cogitationum & affectuum quæ fota calore mentis & gratiæ, quem fructum cum tempore eductura sint, in herba ostendunt. *Claudius* Generalis *Roberto Personio* vtebatur Missionis Angliæ præcipuo administratore: Ad hunc *Henricus* frequentes literas miserat testes flagrantis desiderij: Is in Hispanijs nouorum Seminariorum curæ implicitus, arbitratusque claris animi dotibus præcellentes viros non minùs ad sementem, quàm ad messem necessarios, *Henricum* ad se vocat; præsentis etiam animum inspecturus; habuitque apud se Hispali duobus mensibus; tum Vallisoleti pluribus; quo in conuictu, & Ministri, & Confessarij munere functus memoratur. Vouerat in Belgio cùm inter arma versaretur, nullum se vitæ discrimen declinaturum, vbi de diuino obsequio ageretur: Hispali etiam familiari cuidam suo affirmauerat, nisi singulare aliquid se offerret pro diuina gloria amplificanda, omni studio ad laboraturum se, vt in Angliam mitteretur, quo breui posset consummari. Id quàm ardenter optauerit non alijs signis certius ostendi potest, quàm

Petit mitti in Angliam

eius votum & aurea cõ sideratio.

quàm consideratione verè aureâ, *securius nè sit, ac melius citò mori, an Sanctum diu cum dolore pro Christo viuere*? Qua de thesi sic secum ipse disputasse reperitur. "Si verè amas Deum, nihil tam graue, nihil tam molestum videri tibi poterit, quàm tantam Majestatem vel in minimo offendere; nihil gratius accidere quàm remedium aliquod quo securus reddaris te nunquam in illam peccaturum; quo cùm in hac vita frui non possis, exclamabis certè cum Propheta, *hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est: Habitaui cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea.* Et cum Apostolo; *Cupio dissolui, & esse cum Christo: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius!* Et iterum. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam*? Quis dabit vt cognoscam Deum meum, & inueniens eum accedam cum fiducia ad thronum gratiæ & misericordiam hanc consequar? O vos felices Sancti Dei! securi nunc ab omni peccandi periculo, felices animæ, quæ amando amatis, & nunquam ab amore Dei vestri deficitis. Magnum sanè est, & excellum, & dignum omni laude laborare, dolere, pati, torqueri pro amore Dei. Magnum est & laudabile lucrari animas: Magnum denique est piè viuere in Societate *Iesu*, & quotidianis mortificationibus & victorijs coronari; Hæc tamen cùm fieri non possint quin etiam Deum quandoque offendam, malo horum omnium detrimentum pati & citò mori, quàm offendendo quotidie in quantumuis minimo, ista præstare. Non recuso laborem; non fugio dolores & tormenta; non est mihi mens vitare duram arctamque viuendi rationem: Si enim Deo meo ita videretur, ipsos inferni dolores libenter subirem nè ab eo separarer. At verus amor non fert dilectum in paruo vel in magno offendi: si ferret, non esset dicendus amor, sed error. Melius enim esset (teste magno Augustino) totum mundum perire, quàm aduersus Deum vnum peccatum veniale committi. Hocque amanti sat firmum deberet esse argumentum ad ardenter optandam celerem opportunamque mortem, quod sciat se hic viuere non posse sine peccato: si tamen Deus cùm hanc miseram hominis conditionem nouerit velit me diutius viuere, veniant labores, veniant carceres, veniant tormenta, Cruces, Leones, Crates ferreæ, & quidquid aduersi accidere potest. Et rogo te bone *Iesu* ex toto corde vt veniant, & per Sacrosancta tua & Sanctorum vulnera humiliter peto vt ex hac hora in qua ista scribo incipiant ad vltimũ vsq; spiritum duratura. Permitte me torqueri, concidi, verberati, in partes distrahi. Nihil recuso, amplector omnia, omnia perferam. At non ego puluis & cinis, sed tu Deus meus in me confortans me, sine quo nihil possum. Foue & auge in me hoc desiderium, & da benignè vt in actum exeat. Peccaui plurimum coram te Domine: Redde in hac vita peccatis tormenta, vt in futura reddas tormentis præmia. Permitte carnem hanc noxiam in hac vita lacerari, vt in futura beatitudine possit per te rursus reparari. Si ista non placent, da obsecro vt moriar, quò vel peccare desinam vel pro peccatis offeram sanguinis Holocaustum. In omibus fiat tua Sanctissima voluntas & fac cum seruo tuo quod 1595.

1595. bonum videtur in oculis tuis: Nam quod tu vis, ego volo: tua voluntas, mea est; atque ista omnia relinquam potius secundum tuam voluntatem, quàm vt eis potiar contra vel præter tuum beneplacitum si fieri possit cum æquali merito. Bonum enim mihi est tibi adhærere, vt tecum vnus spiritus efficiar. Mihi enim viuere Christus est, & viuere & mori lucrum; & quid eligam ignoro; desiderium habens dissolui, & esse cum Christo; multo enim magis hoc melius est. Si tamen pro aliorum bono tu Domine videas permanere me in carne esse necessarium; fiat voluntas tua; Ego seruus tuus sum & filius ancillæ tuæ; fac cum seruo tuo quod videtur bonum. At si fieri possit, ô dulcissime *Iesu*, transfer me citò ex ergastulo carnis huius, vt securus sim à peccato. Quid enim voluptatis esse potest, vbi est nulla securitas? Quæ consolatio viuere in perpetuo periculo æternæ mortis? Felices vos Apostoli in gratia confirmati? Infelix ego qui horam vnam explere non possum sine peccato. Cecidit Lucifer, cecidit Dauid, Petrus Apostolus cecidit: Ego non cadam? Ceciderunt qui erant secundum cor Dei, & non cadam ego qui tota vita seruiui mundo, carni & diabolo? Domine responde pro me, & iudica causam meam: Ignoro enim vtrum amore an odio dignus sim: Hoc tantum scio, alios cecidisse, & me illis esse peiorem. An ego sicut illi casurus sim ignoro; certè timeo, neque sine causa timeo: Video enim te Domine metientem peccata & ingratitudinem hominum; video te permittere peccata grauissima: Quid me reddet securum nisi mors velox? Bone *Iesu* adiuua me, succure, redde securum. Remedium aliud non quæro præter bonam & acceleratam mortem; Estnè pietati tuæ cõtrarium illum perimere qui desiderat mori? In manu tua sunt vita & mors: Non tibi decedet aliquid vtrumuis largiaris; si morior lucrum mihi erit, tibi nullum detrimentum; largire obsecro hoc lucrum, vt citò moriendo sim liber à periculo peccandi, & citò cantem tecum, Gloria in altissimis Deo. At non quod ego volo, sed quod tu; fiat voluntas tua.)

Rursus mi. grat in Belgium.

XXXV. Mortem igitur cùm tam sedulo inuocaret, nil mirum si omnem moueret lapidem eò vt quàm citissimè transmitteret, vbi se mors quotidie offrebat ijs qui ijsdem nixi principijs mortem libentius amplectuntur quàm vt in legem Dei peccent, tantamque Majestatem violent proditionis scelere. Accidit quæ opportunè vt Audomarensi Seminario recenter in Belgio *Personij* industriâ erecto, quærendum esset à Rege subsidium aduersus moram in sumptu ad alimenta assignato. Belgio enim bellis implicito, quæ cum Hollandis, quæq; cum Gallis eodem tempore gerebantur, non vectigalia modò, quibus Seminarij spes erant affixæ, sed neque montes auri argentique quos ex Indiarum thesauro quotannis Rex subministrabat, tantæ voragini explendæ Administratoribus ærarij satis videbantur: vtq; negotia Curiæ inter multas manus, tãquam horologia per multas rotas, tardè vertuntur, Principum virorum promptitudini inferiorum renitentiâ Ministrorum ponente obicem, prope erat vt prosperè editum opus in cunis suffocaretur. *Petrus Ernestus* Mansfeldiæ Comes per eos dies Belgium pro Rege cum amplissima potestate gubernabat: Missò itaque

Henri-

Henrico ad Regem atque impetratis ad Comitem inferioresque Ministros aliquos literis, nullus *Personio* aptior perficiendo apud Belgas visus est operi, quàm is qui apud Regem feliciter inchoarat, quemque vicinior traiectionis in Angliam spes incitabat ad iter & opus accelerandũ. *Præclaris susceptis multa plerumque aduersantur.* Vix mare subierat *Henricus* ineunte Septembri mense, cùm pugnantibus ventis coorta sæua tempestas desperatam nauis & vectorum salutem vulgarat; hauserant enim aquæ quàm plurimas, & diuturnum sine indicio de ista silentium interitum confirmabat: At saluus in Belgio *Henricus* post sat longam moram, risit mendacem famam vulgari diuerbio, non posse aquis absorberi quem fata in aëre pendulum perire voluere: Citusque ad Curiam aduolans, traditis Regis literis impetrat trium mensium promptam sustentationem. Sufficiebat id interuallum ad *Personium* de eo quod à se actum fuerat informandum, cuius deinde auctoritate & reliquorum in Belgio diligentiâ Patrum transigi possent apud Regem cætera quæ desiderabantur. Ille omni conatu iter in Angliam accelerabat, neque deterrebat de Hæreticis itineris conscijs sparsus rumor, nec fœda quæ per Angliam grassabatur lues; neque nautarum insolens obstinatio neminem transuehendi nè de contagione deinde suspecti alijs portubus prohiberentur. Nauis erat Dunkercana quæ in litore Scotico actura prædas propediem dicebatur solutura: cum huius Nauarcho Hispano pacisci-tur vt cum duobus socijs admissum, in quacunque primùm posset Angliæ terra deponeret, securum de terra viuentium siue clam siue in aperto descenderet. Scriptisque ad *Personium* de genu gratijs, quod illo seu auctore seu intercessore factus fuisset voti compos, eo alacrius conscendit quò propinquius aspiciebat periculum, ardentissimoque quo flagrabat desiderio pro Christo moriendi omnem metum quem Caro & Sanguis & inimicus satan affundere conabatur penitus vt aiebat consopiuit. At mare etiam isthic sensit infensum. Ab octauo Calendas Decembris ad pridie nonas eiusdem, variâ iactatus aquarum ventorumque intemperie, decimo post die exscensionem fecit in Eboracensis Prouinciæ Promontorio quod Flamborough appellatur. Illi Prouinciæ præerat Comes Huntingtoniæ, non minus Hæreticæ amator nouitatis quàm antiqua Regij stemmatis nobilitate glorioſus. Ad hunc cùm delatũ esset exscendisse furtiuè quosdam in litore, missi qui inquirerent, repertum in oppido Kilham *Henricum* à mari recentem, ijs in Regionibus peregrinum, atque ad reddendam itineris rationem non satis promptum sistunt, tertioque inde die Eboracum ad Comitem ducunt. Res est sua sponte suspiciosa terram extra portum tangere: De primo tamen delatore variant scriptores: Alij fœminam nobilem ex vicinæ Domus suæ fenestra prospectantem; Alij virum nescio quem in eandem cum *Henrico* nauim fortuitò receptum memorant auctorem; vtcunque fuerit; *Henricus* Comiti oblatus, cùm non difficulter quis esset, & quam ob causam venisset agnosceret, traditus est Otlauio Apparitori custodiendus dum Regina moneretur.

1595.

In Angliam nauigat, & capitur.

XXXVI. Ad famam captiui Sacerdotis & Iesuitæ accurrunt corrupti verbi

Disputat cum Prædicantibus.

1595. Disputat cum Prædicantibus: verbi Ministri tentaturi quid nouus hospes adferret. Quæritur de Ecclesia, de Traditionibus, de cultu Sanctorum, de Sacerdotio, & Sacrificio Missæ, de Sacramento Pœnitentiæ, de legitima Ministrorum vocatione, de Antichristo. Multa ab illis absurdè & ignoranter dicta laudem peperere Catholico propugnatori dum clarè ostendit & Traditionum assertionem, & Sacerdotum ritè ordinatorum potestatem, & cultum præcipuè Beatæ Virgini Matri tum reliquis Sanctis debitum, cæteraque Ecclesiæ dogmata cum Dei verbo scripto conuenire, ad quod solum noui homines appellant, & cuius solius exemplari datum est *Henrico* in custodia vti. Nihil autem magis attonitos reddidit, quàm cùm ad colloquium accedentibus diceret esse se in possessione Catholicæ fidei; monitum verò à Christo Domino vt fide semel acceptâ caueat à falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium: Ostenderent proinde legitimè se missos ad docendum, vt posset à veris lupis discernere Post altum aliquamdiu inter sex vel septem viros aspectu cultuq; graues silentium, Remingtonus, Non ad docendum, inquit, venimus, sed familiariter vt de fide tuo bono conferamus. Fuerat huic olim *Henricus* in Academia Cantabrigiensi discipulus. Quod itaque hisce in colloquijs saluti suæ vtrique consulerent gratum habuit, egitque Remingtono amplissimas gratias, agnoscens se in multis ab illo posse adhuc doceri: In Theologicis tamen vsum fuisse alijs Doctoribus, ijsque in Catholica fide instructissimis; Eius fidei possessionem tueri certum sibi esse, & seruatoris sui consilium sequi de cauendis contraria opinantibus, ijs præsertim qui non discentium, sed docentiũ, speciem gerunt; Etenim si vnumquemque de fide arguentem audire quis vellet, facilè esset à Pseudopropheta se doctiore seduci; supersedere igitur posse rationibus huiusmodi conferendi cum eo, qui cùm rectum teneat tenere statuit quod legitimè possidet, quo nihil ipsi posset esse magis salutare. Hic iterum cunctis silentibus, Thomas Bell, nuperus ex Romano Anglorum Seminario Apostata, Recte, inquit, si rectam fidem possides, at neque materialiter, neque formaliter, neq; mixtè possides; rectam igitur non possides fidem. "Nondum, bone vir, (reponit *Henricus*) ostendisti te legitimâ auctoritate munitum ad docendum; cauere itaque te tutissimum mihi esse sentio. Ne tamen id tu obstinationi tribuas, aut inscitiæ, & quia deuiantium errores detegere est quandoque necessarium, Respondeo, me & rectos articulos fidei possidere, qui sunt materia, & primæ veritati in credendo inniti, quæ est forma rectæ fidei: Vel si mauis, ego Pastoribus Doctoribusque Ecclesiæ Catholicæ adhæreo, qui sunt quasi materiale fidei, & cum ijs doctrinam rectam amplector tanquam formã. Vos qui Ecclesiam deseruistis (quod est Corpus Christi) videte quâ tatione dicatis vos formam retinere; Etenim inseparabilis est hæc forma à materia; sicut destructo corpore discedit anima, & corpus in cadauer vertitur. De mixta possessione quod affers, haud satis intelligo, cùm Apostolus vnum Deum prædicet atque vnam fidem, nullis mixtam erroribus, nullis fucatam coloribus, puram, sinceram, incorruptam. Obmu-

tescente

tescente ad hæc Apostata, cæteriſque ad alia more Hæreticorum dilabenti- 1595.
bus (non enim in causa sunt tam coniuncti, vt velit alterius alter onus subire) post multam de Matrimonij Sacramento, de dispensationibus, de defectione Ecclesiæ tempore Antichristi, de ordinibus sacris altercatione, mandato Regio accedente vt Londinum captiuus transferretur, finem accepit disputatio, iniurijs in res Sacras celebrata magis, quàm rationibus, quemadmodum ipsemet scripsit ad Patrem quendam Societatis, qui illum (cùm primum duceretur) tacito nomine, per literas salutauerat, & quamdiu Eboraci hæsit solari non destitit. Sententia literarum hæc erat. "Tametsi nomen nullum præferant vestræ ad me literæ; satis perui deo ab amico esse, atque adeò ab commilitone, quo nomine multo maximum mihi attulere solatiũ. Si possem verbo congredi, magno gaudio foret, literis perparum explicari potest: Commendo me igitur, mi Pater, orationibus vestris, & reliquorũ Fratrum nostrorum, atque amicorum in Christo *Iesu* Domino Nostro. Quidde me futurum sit ignoro; sed quidquid euenerit, cum Dei gratia iuxta mihi est: Diuinæ Majestatis radij vbique fulgent; & alæ protectionis quaquauersum tenduntur, ad Austrum, ad Aquilonem, ad ortum, & occasum solis, vbi vbi fuerint ij qui obsequium illi præstantes, gloriæ nominis illius Sanctissimi ac pretiosissimi studeant extollendæ. Quæ etiam extolletur, vti confido, in me, siue per vitam, siue per mortem: Qui cæpit, ipse perficiet: Viuere mihi Christus est, & mori lucrum. Veniunt disputatum subinde aliqui, sed clamoribus magis ac vocibus, quàm argumentis agitur. Non possum plura, custos adest. Angelo Custodi vestro, & toti Cœlesti curiæ, & Domino Nostro *Iesu* Christo te peramanter commendo: Memento mei.) Literæ Hẽrici ad Richardum Holtbeyũ.

XXXVII. Alteris explicat pleraque quæ isto in carcere contigerunt. "Literæ, inquit, vestræ summo mihi sunt solatio; at præsentia vel ad horã magis necessaria quàm verbis possum exprimere, docerer enim qua via & modo cũ his meis aduersarijs agendum mihi esset. Verùm quod hominibus est impossibile, possibile est Deo. Spero dulcem *Iesum* meum, ac Dominum clementissimum, alijs medijs suppleturum quod in me deesse potest. Solatia ab illo hactenus præsidiaque præsentissima expertus sum in necessitatibus quæ mihi fuere grauissimæ, idemque posthac futurum certissimè confido, quandoquidem amor quo nos prosequitur æternus est. Si omnia quæ mihi cum aduersarijs acta sunt velim conscribere, exitum non reperirem, & plurimo opus esset tempore. In examine exhibui scripto prolixam rationem vitę transmarę actæ, locorum, actionum, consiliorum. Affirmaui solam Dei gloriam, & amplificationem Sanctæ fidei Catholicæ his omnibus fuisse propositam; eoque animo suscepisse me reditum in Angliam, ingenti cum desiderio reducendi ad Catholicam, non populum tantum vniuersum, sed multo maximè Reginam ipsam, & totam nobilitatem Anglicanam: & palam in os contestatus sum id ipsum me omni ope & studio vsque conaturum cum Dei gratia. Ad interrogationes quæ aliena spectabant abnui respondere. To-

1595. pliffo minitanti dixi, minimè permissurum Deum vt tormentorum quorumcunque metu quidquam admittam quo in Diuinam Majestatẽ, in conscientiam meam, in aliorum innocentiam offenderem. Habui frequentes cum Hæreticis pluribus concertationes. Has omnes scriptas misi ad Præsidem, cùm in præteritis huius vrbis comitijs existimaueram de me pronuntiatum iri. Adiunxi iustæ magnitudinis tractationem in illud Christi Domini *cauete à falsis Prophetis*. Vnus Ministrorum de me questus est multa cum Præside quòd ausus fuerim talia scripto edere; sed refutare non valuit. Benedictus sit Dominus *Iesus*, qui dat os & sapientiam, cui non possunt resistere omnes aduersarij. Miror vehementer cùm audio tam propè admoueri vilitatem meam ad coronam Martyrij quàm quidam sibi persuadent. Certus sum tamen posse me sanguine benignissimi Redemptoris mei, eiúsque per amorẽ dulcissimũ dignum effici, & omnia in eo qui me confortat. Tu, mi Pater amãtissime, versaris in prælio; ego otiosus arenam aspicio: Veruntamẽ Dauid Rex æquas nobis partes attribuit: Et amor, coniunctio, caritas, quæ in Christo *Iesu* nos vnum facit, participes mutuorũ efficit meritorũ. Scisciatus est Præses à me, quisnam hoc in Regno sit Superior Societatis? Sed præoccupauit Topliffus, aiens se id probè scire, eumque nominauit. Oro te vt has literas facias omnibus amicis esse communes; Cupio enim meipsum totum vnicuique dare, præcipuè Charissimis Patribus & Fratribus nostris, quorum in orationibus, laboribus, Sacrificijs, vti partem habeo, ita plurimum spei repono. Circa mediam quadragesimam deliberatũ iri de me spero, tum enim comitia denuo habebuntur. Interea opportunitas mihi multa est mei iuuandi, expectandique magno animo quidquid Majestati Dñi nostri visum fuerit de me statuere. Oro te vt sanctas tuas preces adiungas meis exilibus, vt dignè & congruenter Sancto & excelso Nomini, & Professioni meæ valeam ingredi, vti mihi concedendum iri confido per Dei summi misericordiam. Neq; enim multas meas imperfectiones aspiciet quantum feruidos labores, ardentesque preces & Sacrificia tot Patrum & Fratrum meorum, seruorum suorum, qui toto terrarum orbe eius se obsequio impendunt. Et spero per dulcissimi Saluatoris & Dñi mei merita, promptum me fore semper ad gloriam eius ampliandam, seu viuendum seu moriendum sit, vnde & mihi æternum proueniet bonum. Si mea me indignitas prõtul nunc à corona arcesserit, solicitiore obsequio cõnitar eam postea promereri; si verò pro sua misericordia modò illam mihi concesserit, lauabo stolam in sanguine Agni, & sequar eum (vti confido) quocunque ierit in vestimentis albis. Non inuenio finem cùm temporis aliquid nancisCor quo ad te scribam; Rarò enim conceditur; Et forte hoc erit postremum. Frequentes tuas valde expeto, & prudens consilium. Semper verò me Angelis, & Sanctis, & Gloriosissimæ Virgini Matri, & Christo *Iesu* commenda, qui labores tuos vt fortunent rogo, ad gloriam totius Sacratissimæ Trinitatis. Amen. Fassus sum in examinibus impendisse me operam incremento duorum Seminariorum, Hispali,

Hispali, & Audomari; egisse gratias Regi Catholico pro insigni sua benevo- 1595.
lentia & liberalitate; tulisse literas ad Gubernatorem Belgij & ad Secretarium in beneficium Seminarij; omnem meam actionem spectasse bonum aliorum, nullius optasse incommodum, hæc summa est eorum quæ præsidi & Topliffo rogantibus dedi scripta, & manu propriâ signatâ. Percontati sunt inter cætera, si forte Papa bellum Angliæ inferret, quid essem facturus? Respondi capturum me consilium ex tempore. Hæc, & eiusmodi de quibus postea: *Iesus* sit tecum semper: Oremus pro inuicem.)

XXXVIII. Erant eò loci Catholici quidam qui facilem *Henrico* parandæ fugæ copiam pollicebantur, si modò ipse vellet, idque per clandestinas literas nuntiant, rogantque vehementer vti velit experiri. Ille principio horrescere timore interuertendi Martyrij quod propè iam in manibus esset, eoque consilium aspernari. Mox, nè plus æquo pertinax videri posset, aut suæ addictus sententiæ, è vestigio nuncium cum acceptis literis destinat ad *Richardum Holtbeyum* eiusque arbitrio se permittit, certus propositi sui, nisi missa è Cælo vox ipso interprete iubeat pedem efferre; illud vsurpans identidem *Ecce me Domine: fiat voluntas tua. Richardus* tantæ deliberationis festinatione perculsus, consulto tamen breui precatione Deo, censuit fugæ consilio prorsus abstinendum; Quod claræ virtutis id esset, & meriti singularis: Videri autem posse non nemini fugam defectionem à Domino atque à corona Martyrij, quæ oues in exitium deducat Pastoris exemplo ad mortem pulcherrima in causa obeundam formidolosi: Præterea, vt prouidentissimè parata sint omnia, anceps tamen esse profugium; & si retrahi contingeret, augeri probrum; demum, vt euaseris ad latebram, Hæreticis certè præberi ansam dirioris instituendæ in omnes toto Regno Catholicos inuestigationis, quæ compluribus fortè deprehensis per animi infirmitatem exitio sit. Itaque fugam nulla ratione tentandam videri. His acceptis, respondet per Epistolam *Henricus* in hanc sententiam. Fugiendi opportunitatem recusat.

" Accepi literas, & cõsilium, velut à Deo Domino nostro profectum, libentissimè amplector; eodem me rationes haud dissimiles impulerant: Sed quò alijs facerem satis placuit arbitrio tuo deferre deliberationem, cum spiritum Societatis huiusmodi in consultationibus non ignorem, cui me studeo conformare etiam in manifestis dum valeo. Scio Sancto Petro Angelum opitulatum esse vt è custodia euaderet; est id delatum dignitati Pastoris vniuersalis Ecclesiæ; decreueratque Dñs vt prius Romam peteret, & ibi sedem collocaret: Quæ longe à me absunt omnia, adeoque hic mihi Carcer Roma est, & meum *Domine quo vadis?* Vbi Sancto Petro altera deliberatio ipso Christi Domini nostri ore explicata est, adesse videlicet tempus iam non fugiendi, sed moriendi. Et verò, vt quod res est dicam, non video, (quamuis abesset æterni præmij spes quo tendimus) quî possem vnquam alibi vtilius impendi, cùm hic abundè suppetat efficacium modorum id præ me ferendi quod sum: adeoque nisi vox mihi de Cælo clarè intonet contrarium (hoc

1595. (hoc est, Verbum Christi per Sanctam obedientiam) non me hinc mouebo, sed vsque dicam, *Ecce me; fiat voluntas tua.* Gratias reddo *Iesu* Christo Domino nostro, à cuius liberalissima manu multo quàm promereor amplius cõsolationis accipio; neque me animus deficit, neque fiducia in grandi hoc Saluatore in quo omnia possum; Et quia iussu Præsidis quina mihi papyri folia data sunt, quibus fidei meæ argumenta inscribam, in his iam breuior sum, atque deinceps tecum & cum alijs futurus sum. Si vixero, scribam volente Deo iterum de omnibus; sin moriendum sit, supplebit Deus omnia melius: Ego autem ero in pace: *Iesus sit* tecum: Oremus pro inuicem.

Ducitur Londinum & torquetur.

XXXIX. Lucubrationibus hisce, & frequente cum Ministris congressu, accedebat indies *Henrico* apud plerosque auctoritas, & prudentiæ, doctrinæ, innocentiæ existimatio, quam Topliffius & Præses vt extinguerent, nouis eum fatigare, & inuoluere interrogationibus occuparunt. At cùm se operam perdere conspicerent, Londinum accersiri curarunt. Debebatur nimirum *Henrico* constantiæ experiundæ fortius certamen, quod ab ipso itineris exordio ingressus est: Datâ enim curâ Topliffo Sanctum hominem deducendi, is pro ingenio suo barbaro & crudeli, toto octogenum milliarium itinere non alio tractauit ritu quàm si fuisset de proditione, læsæque Majestatis crimine conuictus: testesque subornauit qui necem Reginæ eo auctore paratam fuisse dictitarent: Qui astus tam sæpe in Sacerdotes tentatus est, vt ipsâ suâ frequentiâ viluerit, & inter accusationis in *Henricum* capita illud recensere sint veriti. Londinum vt appulit, in Arcem coniectus est, tanta rerum omnium cum penuria, vt neque stratum, neque integumentum, neque quidquam ad arcendum frigus asperrimum daretur (erat enim mensis Februarius) neque ad famem leniendam cibus; quæ exaggerata inclementia Præfectum Arcis miseratione commouit vt straminis pauxillum ad nocturnæ quietis fomentum iuberet inferri, & conquisitos *Henrici* necessarios monuerit miserandæ conditionis; At tanta fuit Topliffi atrocitas vt non solum viam omnem intercluserit succurendi, sed quaterdecies acerbissimè tortum sibi ipsi reddiderit inutilem. Quoniam verò sicut totus orbis sapienti patria est, ita omnis locus animo Religioso cælum est, quo potuit vel carbonis vel calcis stylo *Henricus* describsit in pariete confestim nomina nouem ordinum Angelorum; & supernè nomina Sacratissima *Iesu* & *Mariæ*, in supremo vero loco nomen Dei, literis Græcis, Latinis, & Hebræis; sub quibus omnibus suum addens, & quid sibi ijs in latebris agendum esset, & pro quo patiendum indicauit. In his vero abijt annus integer; cum qui Reginæ

Remittitur Eboracum & damnatur.

erant à consilijs pertæsi decreti quo *Henricum* ad se vocarant, vnde nihil præter eius gloriam & existimationem, suam vero ipsorum confusionem collegissent, amandandum rursus Eboracum censuere, vt in quo causam necis nullam reperissent, si ab alijs necaretur, in medio ipsis esset. Quò verò ad metam propius, eò ad patiendum constantius se admouebat *Henricus*, neque voluntate sua remittendum quidquam censuit de vitæ asperitate quam aduersariorum atrocitas ei imposuerat dum Londini teneretur. Itinere toto ad somnum humi procubuit, &

buit, & Eboraci deinceps vnâ tegete seu storeâ ternos longâ pedes ad omne subsidium instructus, eâ nixus magnam noctis partem orando peruigilans, demum fatiscente naturâ se humi sternebat ad carpendam magis quàm capiendam quietem. 1595.

Edictis ad diem tertium decimum Aprilis comitijs processere in publicum Beamontius, Hillyardus, Eluinus causarum Iudices, quos frequens nobilitas, vis magna curialium, turba conferta stipabat, quantum Comitij caperet amplitudo. Vt est confessum *Henricus* grauis compedibus & catenis, inter complures facinorosos, ad augendam ignominiam, in medio sistitur. Ad quem scriba comitatus alta voce, *Henrice VValpole*, extolle manum; Id nempe in Anglia Iudicij principium est, quo se præsentem adesse spectabilemque is qui accusatur ostendit. *Henricus*, ducto prius signo Crucis, manum extulit. Mox ita prosecutus est scriba. " Accusaris *Henrice VValpole* quod Anglus cùm sis, in Prouincia huius Regni Norfolcia natus, Reginæ nostræ Elizabethæ subiectus, natu primus atque hæres Patris tui, excessisti Regno in transmarinas regiones; vbi auctoritate Romanæ sedis Sacerdotio initiatus es; & subinde vt proditor, & hostis Regni & Regię Majestatis reuertisti in Angliam contra leges Regni, & inijsti oppidum Killam vbi comprehensus es. Dic. His proditionibus & Majestatis læsæ criminibus teneris necne obnoxius?) Respondit *Henricus*, nullius se proditionis, aut violatæ Majestatis reum esse. Tum scriba; " Cuinam igitur huius causæ cognitionem permittis? Inoleuit enim in Anglia mos (vti aliàs dictum est) vt duodecim è nobilitate, aut ex ciuibus promiscuè delecti, Sacramento prius obligati pronuntient, feciſse necne videatur id cuius quis accusatus est; si non feciſse dixerint, liber, solutis carceris iuribus abire permittitur: Si dixerint feciſse, tum Iudices periti legum de supplicij genere decernunt. Si quis abnuat huic se permittere iudicij formæ, is atrociore pœna, ceu patrij moris aspernatione perduellis, ita mulctatur vt lumbis præacuto lapidi supinus incumbat, impositoque vrgeatur pondere dum fatiscat. Quod supplicij genus subire malunt aliqui, vt bona ad hæredes possint peruenire, quæ alioqui addicuntur ærario Regio. Pauper si renuat, habetur pro confitente reo, & communi restis supplicio necatur; quod pluribus Sacerdotibus hac tempestate accidit. *Henricus* igitur, quamquam initio tergiuersatus, Deo se causæ suæ cognitionem, & Patriæ permittere dixit. Tum aduocatus Regius Sauellus longam ingressus orationem, in Sacerdotum Romanorum vniuersim, & propriè Iesuitarum nomen inuectus est, & omnium vbiuis gentium molitionum inuidiâ onerauit. Sed primum & grauissimum caput erat, quod gentes omnes in Papæ Romani fidem Religionemque transcribere omni ope & studio enitantur. Ex ijs esse *Henricum*, qui Papam viderit, Regem Hispaniarum conuenerit, cum *Personio* & *Holto* alijsque perduellibus tractauerit; Seminaria lustrarit, coluerit, fundarit; demum vel sua ipsius confessione omne hoc genus proditionis Patriæ lege interdictum susceperit. Flagitanti *Henrico* vt fas sibi esset respondere: Hillyardus, alter Iudex, multum stomachans, tam insignem perduellionum

Hic tertius est ritu antiquato.

1595. artificem aiebat loco tam honesto loqui non oportere; capita Læsæ Majestatis complura confessum, indictâ causâ & purgatione non audita damnari posse. Excipiente *Henrico*, nè flagitiosissimo quidem de capite dimicanti locum sui purgandi fuisse vspiam negatum, concessit Beamontius modo breuis esse vellet: sic ergo exortus est.

Henrici defensio.

X L. " Trium nominum accusor, Domini: Primùm quòd Sacerdos sim, auctoritate Romanæ sedis initiatus: tùm quòd sim Iesuita; Postremùm, quod in Patriam redierim ad faciendum quæstum animarum. Horum nullum potest quidquam habere cum perduellione commune. Quod de Sacerdotio vos ipsi facilè concedetis, atque etiam de Iesuitis, cùm vbique per orbem habeantur in veneratione; Nemo etenim Sacerdotio, neque eius officij munijs perduellis efficitur, sed prauâ atque à Sacerdotio alienâ designatione. Neque regressus in natale solum potest mihi in crimen Læsæ Majestatis verti, si causa mei regressus nec regno, nec Principi noxia sit.) Sed lege cautum est, subintulit Beamontius, vt Sacerdos qui è transmarinis redierit, neque se Magistratui stiterit intra triduum vt se Reginæ legibus submittat, perduellis habeatur." Igitur, resumit *Henricus*, immunem necesse est esse me, qui primo quo pedem in Regnum intuli die comprehensus sum.) Ad inexpectatam ratiocinationem multitudo commoueri visa est; pars probare, pars ridere, pars stomachari: Beamontius sterit pudore confusus: Cui vt ferret suppetias Eluinus, Iudicum tertius; Missas facistas ambages, inquit, & summatim dic; velisnè Reginæ eam auctoritatem adscribere quam Angliæ leges adscribunt? Præses etiam interlocutus, vide, ait, *VValpole* quàm tecum agatur liberaliter, cui tot & tanta perduellionis capita facili submissione lege præscriptâ redimenda permittimus; sin legis gratiam alpernaris, in te lege agi oportet: Cui contra *Henricus*," Nihil rerum humanarum est, (dum nè Deo aduersetur,) in quo non promptè me vobis submisero; sed à me Deus auertat vt admittam aliquid vnde honori diuino decessio qualiscunque fiat. Reginam Principem meam, vt fidelis subditus, obseruo atque amo; Deoque quotidie supplico, vt Sancto suo spiritu illam informet ad ea in hac vita consilia quibus sempiternæ vitæ gloriam adipiscatur. Testem etiam appello Deum me ijs omnibus qui præsentes sunt, & præcipuè accusatoribus meis, salutē & veræ Catholicæque Fidei studium, extra quam salus esse non potest, haud secus quàm ipsi mihi exoptare. Populo his dictis diuersè commoueri viso, Præses ac Beaumontius, ne quid cieretur turbarum, expediendam breuiter causam rati, accusationis capita summatim repetiere, & ad duodecim-viros conuersi iussere officio suo fungi. Hi perbreui deliberatione habita, reum videri *Henricum* disertè pronuntiant. Ille successu lætus, actis Deo gratijs, expectabat à Iudicibus sententiam supplicij: Sed re in alteram diem prolata, *Henricus* reuinctis in tergum manibus, vt iam capitis damnato, in carcerem reductus est. Perendino die frustra diu solicitatus in custodia vt parceret vitæ suæ, iterum in tribunal adducitur, adiudicatur-

que in

que in alterum perendinum patibulo, & excarnificationi consuetæ, vnà cum 1595.
Alexandro Raulino Sacerdote eiusdem causæ pœnæque cõlorte. *Henricus* ingenti gaudio delibutus gratulari sibi, Iudicibus gratias agere, eos qui se frequentissimi adibant gratanter accipere; *Alexandrum* sæpius complexu stringere; inuicem hortari, gratulari, inuicem ad certamen & coronam excitare. Scripsit præterea ad Parentem suum, vt pro patrimonio, quod sibi primogenito ex naturæ & regni legibus debebatur, vim aliquam pecuniæ, octogenûm scilicet nummûm, in suos excubitores pro congiario diuidendam mitteret, cui Epistolæ ita subscripsit: Obedientissimus vester filius *Henricus VValpolus* incarceratus. Epistolæ post sententiam.

Alteras ab *Richardum* nostrum scripsit in hunc sensum. Cùm in me iam mortis sit dicta sententia die crastino exequenda, necessarium duxi tibi me, cunctisque Patribus & Fratribus nostris commendare, nil dubitans quin in hac die necessitatis meæ præuenerit has literas Sanctus Dei Spiritus, & hac ipsa hora moueat corda vestra & Catholicorum omnium quorum gaudeo communione, vt instanter oretis Creatorem, Redemptorem, & Sanctificatorem meum in hoc certamine meo pro eius gloria & propriè pro eius solius nomine, vt adiuuet infirmitatem meam, & muniat interiorem hominem spiritu fortitudinis ad portandam corruptionem hominis exterioris, vt destructa domo hac terrestri, quam ab antiquo Adam accepimus, in nouum ædificium erigar manu omnipotentis Dei, & æternam habitationem in cælis, conformem gloriæ saluatoris nostri *Iesu* Christi; Infirmitas carnis, peccata, & imperfectiones meæ mihi denegant securitatem, sed sanguis Agni Immaculati, intercessio Virginis Matris, & omnium Angelorum & Sanctorum in Cœlis, & in terris, & Societatis nostræ in Christo *Iesu*, comitantes me in Spiritu Sancto, per Redemptorem meum ad suum & nostrum æternum & misericordem Patrem, Deum totius consolationis, excludunt omne dubium, firmantque fiduciam, vti spero, inexpugnabilem. Et eo magis quod dicta sit in me sententia mortis, directè quia Sacerdos Societatis *Iesu* reuersus sum in Angliam; quâ causâ nulla toto orbe glorioſior esse potest. Nam Sacerdotium æternum noui testamenti ad nos descendit à Christo *Iesu*, qui est pontifex maximus, cuius nomine, loco & auctoritate nos offerimus, & ipse suum Sacerdotium exequitur; & quis non libentissimè velit vitam suam & sanguinem offerre in causa quæ tam propè tangit gloriam & honorem Domini ac saluatoris sui? Nam quod ad vota attinet Societatis, Paupertatis scilicet, castitatis & obedientiæ, nonne eadem sunt cum ijs quæ omnes toto orbe Religiosi nuncupant, & Apostolis ipsis cordi fuerunt quemadmodum à Christo acceperant; cuius meditatio vitæ atque imitatio nobis singulariter incumbit qui sub eius nomine militamus. Quæ est igit ur hæc tanta proditio? Quæ & Christo ipsi obijci potuisset. Ignoscat quæso ille patriæ huic, quæ & lege sanxit & opere infert tam immanem iniuriam. Reuerti denique in Regnum, nisi circumstantia, quæ crimini sit, adiungatur, crimen esse non potest: Præsertim

1595. cùm muneris nostri sit animarum lucrum, messis Christi, conseruatio & restitutio fidei vbique Catholicæ, aduersus quæ nemo ferre potest legem. Hæc fusius, quanquam nota sint omnibus, recolenda censui, quoniam capita sunt accusationis meæ. Præterquam quod rogatus à Sacerdote hoc facio, vt tibi, & illi, & omnibus satisfaciam ad Dei gloriam. Etsi enim alia quædam recitata sint, quod videlicet egerim cum Rege Hispaniæ, & cum quibusdam quos ipsi inter proditores recensent, quia tamen nihil à me proditorie actum dictumue probare poterant, neque illi perrexêre vrgendo, neque mihi facta est copia respondendi; sed disertis verbis pronuntiarunt, vi statuti quo decernuntur proditores Sacerdotes in Patriam reduces, me condemnari. Rogo igitur omnipotentem Deum vt nequaquam illis imputet sanguinem meum; Et liberet Regnum istud à participatione tanti peccati; quod illi sanè qui hos laqueos ad capiendos innocentes contexuerunt, si studio & certa deliberatione id fecerunt & sinè pœnitentia decesserunt, æternum soluent. Aperiat Deus Reginæ & optimatibus oculos vt videant & emendent quod peccatum est: Et Spiritus Sanctus destruat potestatem satanæ & Antichristi potentiam, quæ in hæreditatem Christi tanto impetu irrumpit, qui interficiet impium spiritu oris sui, & conteret eum velociter. Amen. Non possum nunc reddere rationem annuæ meæ probationis in arce Londinensi, neque aliorum multorum; In Cœlo legemus alter alterius secreta cordis, & quæcunque scire cupimus in lumine Christi. Ista sufficiant, scripta festinanter, sed multo cum affectu & propensissima voluntate. Tempus est vt valedicam calamo, & ad preces me conuertam assiduas, eiusque præsentiam cui milito, donec illi occurram; crastinus vti spero, nos coniunget dies cùm fruar æternum eius glorioso conspectu facie ad faciem; vbi tui non obliuiscar, neque eorum qui illius sunt; Hæc est spes mea in infinita potentia, sapientia, & bonitate Creatoris, Redemptoris, & Sanctificatoris mei, per Christum *Iesum* Dominum & Saluatorem meum, cui cum Patre & Spiritu Sancto sit omnis honor & gloria in Cœlo & in terra in sempiterna sæcula, per passionem & merita seruatoris nostri, hâc feria sexta, & quarta Quadragesimæ, tam vicina Passioni Domini nostri; cui vt me velit conformare & nos omnes, enixissimè rogo. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto in æternum. Amen. Hæc *Henricus* ad *Richardum*: Non tamen sequenti die, qui erat Sabbathi, sed proxima feria secunda passus est.

Ducitur ad supplicium

XXXXI. Vt illuxit autem optata supplicij dies, adest Magistratus ad custodiam; primus producitur *Alexander*, & pro foribus in crate, quâ rapitandi erant, supinus procubuit, cuius læuum latus cùm occupasset, dexterum meliori se concedere dixit. *Henricum* duas amplius horas detinuit vnda adeuntium, qui pars salutabant, pars sibi pacem ac bonam precationem exposcebant, alij peruerso studio præposterè scisscitando disputandoque fatigabant. Ipse de Regina modestè ac perhonorificè loqui, testari obseruantiam, & obsequium suum, omnia illi fausta & fortunata precari. Ergo nonnulli vana

spe freti

spe freti eius de constantia dimouendi si mora supplicio fiat, festinant 1595.
ad Præsidem, oblecrant procrastinet. Præses qui nec supplicium in diem alterum reijcere poterat neque indulgentiâ vllisue artibus *Henricum* labefactatum iri sperabat, vt flagitantibus tamen aliquid concederet, *Henricum* curat interrogari, quid esset capturus consilij, quid alijs daturus si Reginæ sacris interdictæ Romanus Pontifex bellum inferret? *Henricus* declinata priuatæ quæstionis inuidia, nihil se vnquam quod nefas esset, nihil ab officio aut conscientia alienum facturum respondit. Atque ita deiectis inani spe solicitatoribus iussus est ad traham produci. Excepit venientem *Alexander* impensè gratulans, & procumbentem veneratus est. Ministri vt vel eo solatio quod ex mutua collocutione capturi erant illos destituerent, in storeâ composuere diuersos, vt *Henricus* obuerso ad equum capite, *Alexander* pedibus eodem conuersis raptarentur. Vbi ad locum supplicij mediam tracti per vibem venere, prior *Alexander* constantia & pietate illustris actus est in patibulum. *Henricum* eo spectaculo nihil commotum, iamque scalæ primos gradus animosè prementem, sublato clamore hortari pro se quisque de populo, vt vitæ suæ, dum integrum esset, consuleret: Satis fore ad illam seruandam, si se Reginæ voluntati quaque tandem ex parte accommodaret, aut certe consultationem cum ipsius concionatoribus admitteret." Respondit, "conformare se in minimo contra fidem ritusque Catholicos non posse sine scelere; frustra verò fore consultare cum ijs quos pridem ad colloquium adhibitos, nihil pro se solidi afferre posse conuicerat: Rogare itaque nè sibi pergant esse molesti.) Monentibus vt in extremo hoc articulo Charitati saltem ac paci studens vnâ secum pro sua salute preces ad Deum & vota coniungeret: " Sibi quidem pacem constare aiebat cum omnibus, seque vel suis interfectoribus ignoscere, & Dei misericordiam illis implorare; non posse tamen se precum cum illis, qui ab Ecclesia alieni essent, habere communionem; obsecrare, obtestarique Catholicos, si qui præsentes adstarent, vt pro impetranda cæteris veræ fidei luce sempiternæ saluti necessaria, sibi vero in finem vsque perseuerantia, Deum vnà secum orarent; sublatisque in Cœlum oculis atque erectis, vt per vincula poterat, manibus, è scalarum gradu orationem dominicam clara voce percurrit. Cui cùm in argumentum sui in Deiparam studij salutationem Angelicam ordiretur attexere, deturbari iussere de scalis, & paulo post func præciso corpus exceptum in partes de more secuêre, tanto spectantium luctu & dolore vt plurimi sibi non possent à lachrymis temperare. (Eboraci res gesta est ad diem decimum septimum Aprilis, quem alij septimum Stylo veteri signant, Anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, Ætatis omnis trigesimo sexto, actæ in Societate vndecimo, tam magno optimatum

1595. concursu quàm vix vnquam visus esset ; tanto bonorum solatio , vt magnum gloriæ Dei & Sanctæ Catholicæ Fidei incrementum speraretur.

Edwardi VValpoli in fide & Religione progressus.

XXXXII. Proximum est vt ab hac arbore excisa quis fructus ad reliquam *VValpolorum* familiam manarit ostendamus ; *Henricum* enim diximus cæteris parentis loco fuisse. Et *Edwardum* quidem affinem cùm primùm parentes intellexerunt ad Catholicam propendere,euocatum Londino , quâ increpando , quâ blandiendo conati sunt ab incepto auertere , diuersisque ficti verbi præconibus traditum noui pugilis tentauere constantiam : Ille terroribus illecebrisque superior, argumenta etiam falsorum dogmatum quæ adferebantur facilè ad inuictæ petræ soliditatem elisit ; & quanquam nemini ad id tempus Sacerdoti Catholico notus, tenuit quam arripuerat fidem. In parentum animis certabant cum indignatione amor & dolor: Metus etiam legum cohibebat nè Filio Catholicam profitenti ea quæ filijs debentur pietatis officia præberent. Post varias frustra tantatas vias reuocandi eum ab instituto, Mater multis cum lachrymis octo aureorum donatum pecuniâ dimittit domo,iubetq; abire quo liberet.Sperabat terrenis affixa mulier eiectum patrijs ædibus filium respecturum retro , & amplæ hæreditatis cum exigua pecuniola commutatione carorumque desiderio emolliendum. At *Edwardus* cuncta præ Dei lege posthabens , perstitit inuictus , & latuit aliquamdiu apud affinem in Catholicos propensum operiens commodum nauigandi tempus tentauitque abire Regno. In portu detectus ducitur Londinum & summi Tribuni sedi addicitur captiuus . Voluit Deus hac etiam ratione eius probare fidem , & nuperi hospitis remunerari beneuolentiam . Etenim data opportunitate pridem ab vxore dissidentem habitationi thoroque restituit , & morbo correptum conciliari curauit Deo. Ille vero moriens sine liberis *Edwardum* instituit ex asse hæredem : quâ hæreditate auctus , obtentâ Concilij Regij licentiâ ad annos tres nauigat.

Exuitur hæreditate

Thesauro ostenso nunquam desunt qui inhient. *Edwardi* in suscepta fide perseuerantia iuncta diuturnæ è Regno absentiæ spem fecerat non nemini apud Reginam pollenti gratiâ , ordinibus Romano ritu initiatum aut rediturum nunquam in Patriam , aut si rediret facilè possessionibus exuendum . Impetrat igitur primò potestatem in bona huiusmodi inuadendi tanquam fugitiui . Tum eadem iudicio postulat vt Reginæ inimicis adhærentis & Majestatis rei. Nondum apud se statuerat *Edwardus* quam vitæ rationem esset initurus , expletoque triennij tempore redit in Angliam , ignarus eorum quæ auaritia malitiosa confinxerat : Fratrem Londini morantem adit , & initio beneuolè accipitur : Paucos post dies commutatâ mente frater obnuntiat suum nè in conspectum se det ; non posse se per leges Magistratum celare tam fædi sceleris nomine proscriptum ; neque subministrare quæ iure debebantur, ni se purgaret,

garet, & legibus obediens eum se redderet cui sine periculo subueniri 1595.
posset. *Tam parum fida est in discrimine ipsa sanguinis propinquitas.*
Vulgato itaque reditu cùm susque deque quærerentur plurimorum apud Norfolcienses & Suffolcienses ædes vt vnum hunc reperirent, aliquantâ collectâ pecuniâ rursus transijcit, fidei pietatisque seruandæ solicitior quam hæreditatis. Romæ altioribus studijs dantem operam à sacris ordinibus suscipiendis deterrebat humilis de seipso existimatio; Sacerdotij enim dignitatem dum meritis laudibus extolleret, nihil in se par tanto muneri perspiciebat. Sed quam ipse mentem verebatur induere, induxit Deus in itinere Neapolitano: Sæua etenim orta tempestate vouet se reducem in potestate futurum Rectoris Seminarij, ordinesque suscepturum si id opportunum ille iudicaret, testem voti aduocans *Richardum Smithæum* comitem viæ, eum qui deinde Episcopi Chalcedonensis titulo claruit. At *Edwardus* vt dignitatem Sacerdotij virtutum omnium ornamentis decoraret, Societatem etiam *Iesu* amplexus est, anno eius seculi nonagesimo quarto, ætatis trigesimo tertio, missusque est Tornacum: Tum expleto Tyrocinio, Louanij, Bruxellis, Antwerpiæ biennio altero operam proximo iuuando impendit, atque in Angliam postliminio reuersus, quadraginta totos annos eam missionem excoluit, vir natura comis, & quem innatus candor omni hominum generi gratum reddebat. Fidei tuendæ causa octingentarum minimum librarum nostratium annuarum possessione excidit, vnde *VValpoli* appellatione relictâ, nomen assumpsit quod Anglicè *pauperem* significat, vt qui pro Christo pauper & esse & dici voluerit. Octo supra septuaginta annos numerabat cùm in morbum extremum incidit: premebatur pertinaci catharro; Itaque præcludi sibi sentiens paulatim respirandi facultatem, post sumptam Sacrosanctam Eucharistiam, petijt sacro oleo muniri sibi ad cælestem patriam viam, & ad singula magno cum pietatis sensu respondit. Tum ex libro precum sumptam chartulam tradidit Sacerdoti legendam, repetijtque ipse clara voce singulas post legentem periodos; Erat autem hæc sententia:

Vouet se sacros ornes susceperturum.

" Viuam & moriar in fide Christi *Iesu*, atque in eius Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia. Credo omnia quæ Apostolorum Symbolo continentur: Septem etiam esse Sacramenta; & quicquid Christus per Ecclesiam credendum proposuit; Hæreses omnes detestor. Humiliter peto veniam peccatorum, & propono firmiter abstinere in posterum, si vitam Deus dederit longiorem. Inimicis omnibus condono iniurias, & si in aliquo quemquam ego offendi peto mihi condonari. Dolores hos & mortem perferre desidero ad Dei gloriam & peccatorum meorum satisfactionem.) Legentem deinde Christi Passionem comitabatur frequentibus Theologicarum virtutum actibus, postulatoque rosario cum numismate sacro, atque ad collum appenso, clausis tanquam ad quiescendum oculis

Morientis Professio fidei.

1595. placidè animam efflauit tertio Martij Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo: Trium votorum Profeſſus anno eius ſæculi nono.

Cur pauca de noſtris extent narranda.

XXXXIII. Quadraginta annorum difficillimis Elizabethæ Reginæ & Iacobi temporibus labores & pericula, magnam in hoc vno præclarè factorum ſegetem narrationi noſtræ præbere haud dubiè potuiſſent niſi pericula ipſa aditum narrationi præcluſiſſent. Dum etenim nihil vſquam tutum fuit ab immani perquiſitorum grege, non familia, non domus, non in domo antrum abſtruſiſſimum, non diei, non noctis hora; dum Sacerdoti in ædium aliquem angulum retruſo vix ſpirare dabatur, dum Patres Matreſque familias ab ipſis domeſticis nunquam ſat ſe munitos credebant, in perpetuâ verò ſuſpicione & quotidiano metu cunctis viuendum erat, verebatur merito vnuſquiſque chartis illa committere quæ ſi in malevolorum forte manus incidèrent, familiam vniuerſam euerterent; viuentes igitur moriturosque noſtros in obſcuro eſſe neceſſe fuit, & quæ agerent, quæque in domibus aut per itinera paterentur latere vniuerſos, præter eum qui videt in abſcondito, & vnicuique pro meritis præmium reddet. Pauca quæ commune euaſere incendium, & in Belgium vel Romam perferri potuerunt, & quæ per manus tradita oblitioni ſubtracta ſunt, præter ea quæ publicè in iudicio ſunt peracta, Hiſtoriam hanc vt non omnino nulla eſſet potius, quàm vt pro dignitate illuſtrari poſſit effecerunt. Id quod in hoc vno aduertendum duxi vt benevolo Lectori plura & maiora in alijs etiam requirenti, pateat vnde orta penuria, & narrationem non ex factorum perpeſſorumque numero, ſed ex cauſa metiatur. Nunc ad *Henrici* Fratres reuertatur oratio.

Chriſtophorus VValpolus

XXXXIV. Vnum memorauimus Regis Hiſpaniæ ſtipendijs militantem; Alterum, qui poſtquam captiuo fratri in Zelandia ſuccurrerat, exemplo & hortatione fratris petijt Societatem. Is erat *Chriſtophorus*, Academiæ Cantabrigienſis alumnus, noſtri *Ioannis Gerardi* operâ Eccleſiæ conciliatus, & ad iter Hollandicum viatico adiutus; profectus Romam in Anglicano aliquamdiu ſtuduit; Annum deinde ætatis cùm ageret vigeſimum quartum in Societatem admiſſus vigeſimo ſeptimo Septembris Anni nonageſimi ſecundi, & miſſus in Hiſpanias non diu ſuperfuit. Nam ſexto ſupra milleſimum ſexcenteſimum Valliſoleti obijt, ſpiritualium rerum Præfectus, quarum & ſanctæ ſolitudinis fuerat perquam ſtudioſus.

Richardus VValpolus

Richardus, *Chriſtophoro* ætate prouectior, Societatem anno vno poſterior cùm inijſſet, euaſit (teſte Pitzæo) egregius Theologus: Studijs Adoleſcentum in Anglorum Seminarijs Romano, Hiſpalenſi, Valliſoletano plerumque præfuit, ac demum poſt *Ioſephum Creſwellum* rexit miſſionem. *Edwardus* quidam *Squire* Franciſcum Drake celebrem in Oceano piratam ſecutus, prædas acturus in Indijs Regi Hiſpaniarum obnoxijs captus eſt in mioparone cum alijs eiuſdem farinæ prædatoribus & ductus Hiſpalim: Iſthic dum liberè vagatur per vrbem, liberiore lingua & geſtu dixit geſſitque quidpiam quod indignantes Hiſpani ad inquiſitores retulerunt. Hi tentum hominem

Calumnia in illum ex citata.

mittunt

mittunt in carcerem, & post aliquantam temporis moram tradunt Carmelitis 1595.
ad duos annos custodiendum, spe ducti ad sanam illum mentem reducendi. Tædio solitudinis simulat se velle esse Catholicum; aduocari curat *Richardum VValpolum*. Hic qui multa de indomito viri ingenio audierat, hominem viderat nunquam, subitam miratus rerum conuersionem caute lenteque agendum decernit: Ad dies multos rem extrahit, erudiendo, experiendoque. Queritur Squirus sibi non credi; orat, obsecrat expediri rem; ea quæ vehementius dixerat in Catholicos, non suo sensu, sed eorum qui ista acrius defendunt dixisse aiebat. Assentitur tandem *Richardus*, & Deo quæ intus in animo abdita sunt permittens, ore confitentem excipit & absoluit. Sperarat hoc stratagemate festinandam libertatem, quæ cùm non daretur, clam ante annum aufugit, relictis in conclaui literis ad *Richardum*, excusantibus quòd eo insalutato se subduxisset: Quæ literæ cùm in inquisitorum manus primùm venissent, ab illis ad *Richardum* peruenere. Edwardus Squire reperto in portu Lucarensi naui promptâ ad soluendum Angliam repetit, & confestim in Classe Essexiana quæ ad vexandas Terceras nauigabat denuo se dat in mare. Meminerit Lector in caula *Campiani*, Cradocum quendam narrasse cùm sermo esset de fœdere Sancto ad Angliam bello subiugandam se interfuisse sermoni: haud absimilis hic fabula cuditur. Squirus vt peruenit in Insulam, adijt ad optimatum quempiam, quò se secundum leges sistendo suspicionem abstergeret quam fama loquax sparserat de adiunctione ad Catholicos, & per iocum narrans quidquid ficte cum *VValpolo* transegerat, promptum se spondet fore ad Magistratus obsequium. Nondum sciebat miser Deum quâ quis peccat viâ eâdem punire peccantem, & facinus in caput vertere facinorosi. Fingitur ex ijs qui cum Squiro capti fuerant reuertisse ex Hispaniis quempiam cum literis quæ per inuoluera verborum significabant à Squiro quidpiam actitandum esse ex quo multa & magna pendebant. Primùm literæ vt erant fictæ, reijciuntur: Tum quoniam alijs res tanta haudquaquam negligenda videbatur, reuocatur Squirus à mari: Examinatur: negat sibi quidpiam huiusce modi interfessisse sermonum cum *VValpolo*: Admouetur quæstioni: Vi tormenti victus fatetur quidquid subdoli fabularum fabricatores illi imposuerant. Accepisse nimirum à *VValpolo* puluerem venenatum in vesica, quem si equitaturæ Reginæ ad pomum sellæ asperfisset, (aspergere autem facilè posset vesicâ perforatâ ad pomum pressâ) Illa manu ad nares aut ad os, vt fit, admotâ, veneno concepto interiret: Neque sat fuit fateri se accepisse, nisi & attentasse fateretur, quod etiam tormenta expressérant, atque vt manu propriâ quęcunque fassus fuerat signaret.

XXXXV. Hæc vt ad *VValpolum* delata sunt, ridere primùm vani capitis inane somnium; Tum constantibus literis certior factus rem serio narrari, scripsit Epistolam & exorsus verbis Magni Athanasij. " Magna, inquit, & clara voce, manuque extensa (quod didici ab Apostolo) Deum in meam ipsius animam testor, & vt scribitur in libris Regum, Iusiu- VValpolus se purgat.

randum concipio, testis sit Dominus, & testis sit Christus eius, quod hæc omnis accusatio falsa est; & protestor coram Deo & Cœlesti curiâ vniuersa, & in verbo Sacerdotis, mihi in cogitationem nunquam venisse quidquam eorum quæ obijciuntur. Quamuis verò mihi planè persuadeam hanc meam protestationem abundè omnibus, qui cauteriatam non habent conscientiam, fidem facturam de mea innocentia, (nam apud lapsos, & profanos, & extra Ecclesiam positos (vt loquitur Cyprianus) de quorum pectoribus excesserit Spiritus Sanctus, quid aliud esse possit, nisi mens praua, & fallax lingua, & odia venenata, & sacrilega mendacia, quibus qui credit, cum illis necesse est inueniatur, cum Iudicij dies venerit.) Circumstantias hic aliquas adiungam quibus clarum efficitur hanc omnem accusationem meram esse fabulam ab ijs confictam qui vt Societati nostræ quoquo modo noceant nihil pensi habent quid aut dicant aut faciant mali. Principiò igitur tam exigua mihi intercessit cum Squiro consuetudo, vt nè nomen quidem hic meum rectè tenuerit; nam in accusatione dicor *Guilielmus* quem *Richardum* dici oportebat. Deinde reor eos qui istud scelus mihi imposuerunt, existimare aliquid mihi esse cerebri: Quis vero tantilli iudicij homo rem tantam committeret homini nouo, & prorsus ignoto, de quo etiam non frustra suspicio esset neque in Sacramento fidelem esse, sed omnia simulatè agere vt euaderet? Addè quod sæpe sæpius rogarit, vti reuersurum se in Angliam commendarem Catholico cuipiam qui foueret domi Sacerdotem; qua in re cùm me parum illi fidentem repererit, quâ ratione existimari potest in tanto flagitio futurum me confidentem? Tum inter cætera fertur dixisse, si quid dubitationis in facinore perpetrando occurrisset, iussisse me vt Doctorem quendam adiret inter Sacerdotes seculares carcere tentum, quem nominauit; Nam cùm dicant etiam isthic me rem aperuisse nostris, cur non potius eum ad nostros remisissem, quàm ad Doctorem illum, quem palam est vniuersæ Insulæ quàm nullo erga Societatem affectu feratur? Sed Dei fuit hæc prouida ratio, vt vero nil simile toti negotio misceretur. Denique Squiri prima negatio, deinde post horarum quinque tormenta, confessionis in quæstione retractatio, & iterata coram iudicibus cùm de capite diceret, protestatio, quod neque venenum accepisset, neque quidquam in Anglia attentasset mali aduersus Reginam, ostendunt hominem in laqueos aliorum nequitiâ immersum, modò in hanc se partem versasse modò in alteram vt se extricaret; & cùm nihil inter omnia certi dixisset, metus & spei vndis iactatum suiipsiusmet inconstantiâ perijsse. Nam cùm per tormenta examinantes manu propria signatam expressissent confessionem, non immeritam videbantur necis pœnam quanquam mendaci intulisse, & vero supplicio tantæ falsitati veritatis vmbram adfinxisse, quò Iesuitarum nomen apud populum ab odio non esset immune. Ita potentum seu astu, seu auro luditur in hominum innocentissimorum fama ac vita ob fines sibi propositos profligandæ.

Epistola 69.

XXXXVI.

XXXXVI. Mendacem verò fictamque fuisse hanc omnem tragædiam (præter veram Squiri necem) & vel ab ipso Squiro consarcinatam vt se Magistratui in insulæ ingressu commendaret, vel ab subornatis testibus Stanleyo, Mundæo, Rollo illi impositam, multa sunt quæ suadent præter ea quæ *Richardus* obseruauit. Narrant enim qui fauent conspirationi non fugisse Squirum ex Hispanijs; sed permutatione facta cum captiuis Hispanicnsibus excessisse, cùm palam sit ex ipsiusmet literis subduxisse se clanculum. Tum *VValpolum* aiunt cùm videret Squirum nihil in isto genere attentare, permisisse cuipiam ex Hispanicnsi captiuitate redeunti in Angliam, rem vt optimatibus detegeret, & Squirum accusaret: Quasi verò *VValpolus* tam prodigus esse potuerit famæ suæ, vt cùm tantum scelus latere potuisset, nullo fructu suo nisi ingentis probri, propalandum permitteret cuilibet transfretanti. Hic verò, cui res permissa dicitur, redux in Angliam, non se missum, aut permissum aiebat eo fine, sed clam literas, quas ferebat, subfuratum esse ex conclaui. Tam *difficilè est sibi inuicem cohærentia proferre inter mentiendum.* Illud non potui sine admiratione, dicam? an indignatione aliqua legere in actis à quodam qui intererat recitatis, Squirum cùm in iudicio de capite se defenderet, palam repetijsse se quinq; horarum diuissima quæstione laceratum fassum esse quæ neq; dicta, neq; facta vnquam à se fuissent, tantum vt à tormentorum acerbitate liberaretur; Procuratores verò Regios, eodem loci affirmasse adhibitum eum nunquam fuisse quæstioni; quæ lectori concilianda relinquo: Mihi enim hinc confici certissimè videtur, rem totam non sine apertissima partium collusione transactam: Cùm interim Rollus, quîcum ex Hispanijs traiecerat Squirus, in Arce teneretur clausus, nè Squiro neganti se quidquam cum illo de huiuscemodi rebus habuisse sermonis si contentiret iudicium de capite interturbaretur; liberiorque Stanleyo, & Mundæo, notis quadruplatoribus daretur potestas quæ vellent crimina Squiro imponendi: Quæ ars non est apud illos infrequens qui vt fines suos consequantur nullum arbitrantur scelus esse indecorum. Hæc acta sunt dum Hispali degeret *VValpolus*: Qui amotus inde Vallisoletum non modò quædam edidit in lucem eius temporis Hæreticis laruam vt detraheret, (Quæ apud Pitzæum videre est, & Alegambe) sed in conuersione *Pickeringi VVottoni*, lethali morbo decumbentis insignem nauauit operam, & Sancto Dei Zelo plenus ad misericordem eius in supplices pietatem experiendam prudenti consilio morti proximum præparauit. 1595.

Argumentis alijs detegitur fabula.

Baconus in literis ad amicum Patauij.

XXXXVII. *Pickeringus* hic, primus Filius Baronis *VVottoni*, magnam partem Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ peragrarat, morum & linguarum discendarum studio, pro ea quæ Septentrionalibus nationibus familiaris est antiqua consuetudine: Corruptæ Religionis quam à teneris hauserat erat tenacissimus, tum natura sua, tum Patrui Henrici Wottoni qui apud Venetos agebat Orator institutione: Cum multis multa de fide

Pickeringi VVottoni conuersio.

1595. contulerat sat auidus audiendi, seu humanitate, seu curiositate magistra; doctus vltra aures nihil in animum demittere. Vallisoleti dum ageret quid ei in postrema ægritudine acciderit ipsummet audire iuuat referentem.

Tertio Octobris Anni sexcentesimi quinti, feria secunda, correptus febri, accersitum eum qui mihi erat à cubiculis, iureiurando adstrinxi nè quenquam ex Patribus Societatis ad me vocaret. (erat enim is Catholicus) aut de morbo quidquam nuntiaret. Etenim animo meo prorsus federat viuere & mori in Religione Protestantium, neque vltra quemquam audire de fide differentem; videbar enim sat multa à pluribus audiuisse in Italia, Hispania, & alibi; die Sabbathi, qui fuit morbi decimus tertius, Pater quidam Societatis, qui casu de ægritudine audierat, me inuisens, petijt quid esset causæ cur eum moneri noluerim de tam graui corporis intemperie. Timebam, inquam, nè de Religione inferres sermonem; & nunc rogo, si me amas, vti de ea nè verbum facias. Cumque Pater ille nihilominus aliquoties offerret rationes cur Catholicè viuere & mori expediret, totidem vicibus flagitaui vt desisteret, totidemque asseueraui apud animum me meum omnino decreuisse in ea quam hactenus colui Protestantium fide viuendum mihi esse & moriendum, certum de remissione peccatorum meorum per Christum *Iesum*, si eam fidem ad mortem vsque tenerem. Abiturus Pater rogat an beneuolè accepturus essem si me rursùs inuiseret? vtique aio, si vt amicus inuisas; si verò vt de Religione iterum commoneas, oro obsecroque ne venias; discedens considerare, inquit, te tamen velim primo & tertiò perpendere, Tibi cæterisquè plerumque Protestantium persuasum esse Catholicos posse saluari: Ex aduerso quotquot sunt, vel qui vllo vnquam tempore fuerunt, Catholicos tanquam indubitatum fidei articulum tenere, Protestantes & reliquos Hæreticos extra Catholicam Ecclesiam salutem consequi non posse: Si igitur Catholicis me adiungerem, vtrisque consentientibus securam initurum esse viam. Quæ consideratio non valdè me tunc temporis commouit. Monuit deinde nè animo esse vellem prorsus obfirmato; cauerem verò nè resistendo cogitationibus, quas diuina bonitas parata esset ingerere, excluderem obstinatè media quæ pro animæ meæ salute misericorditer disposuisset: Permitterem me potius illi integrum cum omni indifferentia, obsecraremque si à recto tramite hactenus deuiassem, docere vellet viam rectam qua illi seruire, & animam meam seruare possem. Tum valedicens rogauit, si vlterius aliquid audire cuperem de Religione se accerserem: venturum se quauis intempestæ noctis hora. Postrema hæc oratio altè insedit animo, visaque est tam vicina rationi, vt non possem tam æquo non vti consilio. Itaque non multo post quam discessisset, erexi me vt potui in genua, & protensis ad Cœlum manibus, quàm ardentissimè, intimis ex visceribus multisque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tisque cum lachrymis rogaui Deum Creatorem, vt me facturam suam oculis misericordibus intueretur, dignareturque voluntatem suam mihi & rectam salutis viam, si in recta non essem, demonstrare. Quâ in precatione dum quanto potui ardore persisto, oculis ipsis obijcitur subitò clarissima lux in Crucis figuram efformata, animo verò tam multa pro fide Catholica argumenta quod illa sola sit via ad salutem, atque ex aduerso Protestantium Religio absurdissima, & damnationem inducens, vt nullum mihi penitus dubium adhæserit. Inter hæc autem argumenta, multa fuere quæ à nemine me quoquam ante audiuisse memineram; tanto vero gaudio exiliebat cor quantum verbis exprimere nequeam. Confestim igitur accito Patre, atque interea orans Deum vti hunc in me spiritum feruoris conseruaret, mox vt aduenit petij vt peccata confirenti præberet aurem; narrauique quæ acciderant vniuersa: Illa autem dies perpetuo me compleuit solatio & salutis consequendæ fiduciâ, vnà cum firmissimo proposito faciendi, si viuam, quod in me erit pro exaltatione fidei Catholicæ; si verò Deo visum fuerit me modò ex hac vita educere, libenter moriar, tradoque me penitus in eius Sacratissimas manus; & Cælites omnes rogo vti me iuuent, quo debitas Deo gratias agam pro hac tam magna misericordia, quâ tam singulari vocatione me fecit membrum Catholicæ suæ, ac Romanæ Ecclesiæ, in qua gratia eius adiuuante viuam & moriar: Quorum omnium veritati vt fidem faciam, hæc propria manu signaui, hac decima septima die Octobris Anni millesimi sexcentesimi quinti. Præsentibus *Richardo VValpolo*, *Francisco Young*, *Ioanne Persal*. Iam erat morbi dies decimus quintus; qui ingrauescens, postero deinde die vitam illi sustulit cum meliore commutandam; sepultus est honorificè in Ecclesia Sancti Laurentij, magno Nobilium Hispanorum concursu, quos per id tempus Vallisoletum Regis Philippi tertij aula vocauerat. Scripta & morientis manu firmata relatio missa ad Parentem Baronem magno incitamento fuit vt quàm primùm etiam ipse sepposito legum metu, contemptisque huius sæculi perituris bonis, fidem Catholicam amplecteretur; eaque propter in Iudicium vocatus perstitit imperterritus; certus reliquorum omnium quàm certissimæ firmissimæque Religionis subire iacturam. 1595.

XXXXVIII. *Richardo VValpolo* aliquot post annis Vallisoleti vita functo, successit in Præfectura studiorum primùm, tum in cura Missionis *Michael*, eius frater minimus natu; Fuerat post Patrem *Robertum Iones* Superior nostrorum in Anglia. Tum reuersus in Hispanias, quanquam valenti robustaque corporis constitutione, sicut & cæteri fratres, æstuantibus cessit caloribus, migrauitque è vita Hispali, non multum quinquagenario maior, quatuor votorum Professus ab anno no- Michael VValpolus

1595. no supra sexcentissimum. Hos ex sua gente manipulos Martyr obtulit Christo, cepitque cum exultatione prouentum quem nata est parere maritata virtuti masculæ doctrina.

HIS-

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER SEXTVS.

SEculi decimi quinti Anno nonagesimo quinto regebat Collegium Anglorum de vrbe *Mutius Vittelleschi*, is qui deinde totis triginta annis Societati Vniuersæ præfuit *Generalis*: Vir suauissimis moribus, atque orbi Christiano multis nominibus pergratus. Nullâ tamen mitissimi hominis arte euelli, nullo ad dulcedinem medicamine emolliri posse videbatur amaritudo animi aduersus Patres, quam apud eius temporis Alumnos pepererat noxiæ libertatis fallax amor, fouerat maleuolorum occulta astutia, annorum aliquot peruicacia roborarat. *Claudius Aquauiua* ex consilio Assistentium Patrum de abdicando tandem eius domus regimine cogitarat. Inconsulto verò *Personio* cùm nollet susceptam semel curam diserere, scripsit in Hispaniam rationes consilij responsum expectaturus. *Barretus* Collegij Duaceni Præses eo etiam tempore venerat Romam vt quâ posset industriâ mederetur malo. Cumque familiariter inquisiuisset in causas tantæ acerbitatis, *Clementi* Pontifici obtulit quæ ex vsu existimauit, multa præfatus de Societatis in Clerum Anglicanum beneficiis, quæ sine infami ingratitudinis nota negari occultariúe non possent; dissidijs verò huiusce modi statum Religionis vehementissimè labefactari affirmauit, eamque communem esse omnium Catholicorum vocem, à qua nemo, extra paucorum æmulorum coniurationem, dissentiret. Causas verò omnino

Res in Anglicano de vrbe iterũ turbatæ.

29. Octobris. 96.

1596. nino octo recensuit ijs in literis quas eius anni quarto idus Aprilis dederat ad *Personium*. Primò quod mortuo *Alano* Cardinale studiorum posthabitâ curâ, publicis se miscuissent Alumni negotijs, tum alteri ad eam dignitatem promouendo, tum facultatibus amplioribus ac priuilegijs impetrandis intenti; quibus in rebus cum societatem reperirent non vsquequaque consentientem, primùm irâ, tum odio permoti in partes discessérant, Patres infestis oculis tanquam causæ Patriæque aduersantes aspiciebant. Earum deinde partium nonnulli quorum studium erat vt amotâ Societate Collegij bona sub nomine Congregationis administrarentur, spem quibusdam Alumnis fecerant officiorum præmiorumque si conspirarent, & laxioris disciplinæ. Tum in conuictum admissi fuerant aliqui quos ipse Rhemensi Seminario turbulentos expulerat. Quidam etiam non iniuriâ suspectus grauiter de simulatione submissus ex Anglia sub larua pietatis incautos vt falleret: Plures vero casu, & iniquâ regimini commiseratione cooptati, absque debito an apti essent examine. Compleuerant præterea plurimorum aures falsi rumores de dissidio Sacerdotum in Anglia à Patribus Societatis, auctâ in immensum famâ controuersiæ; quæque factio incruduerat Bruxellis aduersus Hispanos & Coronæ Hispanicnsis fautores, eadem in Seminarium istud irrepserat non minoribus animis sustentata: Quæ vt mentes otio deditas auidasque licentiæ occuparant, quid mirum si iuuenile ardore impellente ad peiora ruentes impatientesque disciplinæ, iugum excutere sint meditati? Consentientium denique fiduciâ numeri, & veniæ quadam desperatione, & iureiurando roboratæ conspirationis firmitate animati, quiduis audere potius quàm retrò ad incepto recedere decreuerant.

Personius in Italiam nauigans conciliat dissidentes.

11. Hæc ad *Personium* Barretus, qui opportunè in Italiam nauigauit eo tempore quo Deus viam aperuerat ad conciliandos dissidentium animos: morte sublatis sex vel septem pertinacis consociationis sodalibus. *Claudius* etiam Generalis proficiscens Neapolim rem integram eius prudenti pietati transmiserat administrandam, non minus beneficium arbitraturus pacem induxisse, quàm fundasse Collegium. Arduam igitur in rem ingressus *Personius*, & Dei occultâ dexterâ moderandam, post ardentissimas preces & quotidiana pro successu vota, quidquid vel prudens caritas, vel benigna seueritas cogitare poterat remedij diligentissimè contulit. Deprehensis quibusdam à Satellitibus in taberna, impetrauit in Collegio conclauia aliquot nè in vincula raperentur: Tum per Accaritium Lateranensem Canonicum Procuratorem Pontificium legitimè examinatis, atque de fædis sceleribus conuictis, cùm non minus decem aut duodecim amandandi iudicarentur, procurauit & vestem nouam, & ad iter sumptum, ipsis sibi noxie fœderatis adgratulantibus & agentibus gratias, quod & tacitis criminibus & absque grauiore supplicio & quodam cum honore exire sinerentur. Tum quâ hortando, quâ suadendo quâ etiam laudando ipsorummet Alumnorum quædam consilia, auctoritate præterea quâ & in Societate & apud Principes viros plurimâ valebat, coniunctâ cum vultus morumque lætitiâ, & prudentiæ in omnibus summa cum laude, id apud reliquos effecit,

cit, vt quæ in futurum constituenda erant, non tanquam ipsius decreta, sed tanquam ipsorummet consiliorum effecta obuijs vlnis amplecterentur; scriberentque ad Generalem *Claudium*, nullum potentius remedium videri ad pacem optatissimam conseruandam stabiliendamque, quàm si apud eos *Personius* diutissimè maneat; vt cuius prudentia, mansuetudo, industria, caritas, terminis contentioni positis quietem induxerat, eandem in futurum tempus illius præsens virtus & auctoritas roboraret. Similia scripsere ad amicos, Doctores Hillus, & Guilielmus Giffordus Decanus Insulensis, benedicentes Deum qui quemadmodum post Moysem Iosue, post Ionatham Dauidem, ita ad populi sui præsidium post *Alanum* substituisset *Personium*. Et durauit ea pax ad annos plurimos; neque inquietorum deinde turbulentiâ, quanquam tentata, potuit vsque quaque infringi. Fructus autem qui ad pietatem accendendam emanauit quantus quamque excellens fuerit dici non potest, reuocatâ pristinâ sublimis vocationis existimatione, & cum in studijs diligentia virtutum omnium recuperatâ exercitatione.

1596. 17. Maij 97. 15. Maij & 10. Iulij

III. At *Personij* in Italiam profectio aliam habere causam visa est ijs qui publicarum rerum rationibus immersi, Principum priuatorumque studia & actiones pro suarum modo cogitationum interpretantur. Meminerant Regis *Philippi* Secundi aures apertas ei semper fuisse & faciles, tantumque eius tribuisse vel auctoritati vel consilijs, vt & gratum esset quodcunque proponeret, & quidquid petijsset haud difficulter impetraret: adiutumque sciebant ad itineris sumptum quingentorũ aureorum nummûm pecuniâ. Tum *Alano* Cardinale demortuo quæri videbant eius gentis hominem qui res Angliæ cum dignitate moderaretur, neque segniter agi vt aduersæ Hispano parti is honor adderetur, quâ in re neque Regem dormire, neque quemquam *Personio* prælaturum animaduertebant. Exemplo autem *Toleti* ad illam dignitatem anno nonagesimo tertio euecti non ægrè *Clementi* Pontifici persuadendum, vt vniuersales Ecclesiæ Regnorumque rationes priuato Societatis instituto præhaberet: Ipsius denique *Personij* virtus, industria, zelus, rerum experientia publicarum, orbi Christiano vbique notissima, & fama viri longè lateque per omnium Principum aulas dispersa, sermonem haud leuem concitarat propediem in Patrum Purpuratorum Senatum adsciscendum: Eorumque ex numero Hispani aliqui non grauabantur eius dignitatis id temporis consueto Illustrissimi titulo illum honestare. Quæ vox cùm in Belgiũ vsque esset perlata, *Oliuerius Manaræus*, & *Richardus Gibbonus*, pro eo quo Societatis institutum colebant studio, literis ad eum datis obtestati sunt, nè se pateretur huiuscemodi honoribus abduci ab ea quam hactenus cum laude professus fuerat vitæ ratione. *Oliuerius* ipsissimis his verbis illum alloquitur.

Opinio de Personio ad Cardinalatum promouendo.

Reuerende in Christo Pater, Pax Christi, &c. Iam tempus est vt V Ra. Societati vniuersæ, & orbi ipsi testatam faciat integritatem suam, & fidem erga Societatem ipsam. Occasione obitus Illustrissimi Domini *Alani*, nihil

Literæ Oliuerij Manaræi super ea re.

1596. non moliuntur Angli nostri, nobiles, Sacerdotes, Seminaria vt capiti tuo imponatur diadema Cardinalitium. Hunc in finem obtinuerunt literas ab his proceribus, nominatim à Duce de Feria, & forsan ab ipsomet Archiduce ad Regiam Majestatem atque ad suam Sanctitatem varioſq; Cardinales, ad quam etiam ipsi varijs ex locis suas precatorias dederunt. Actum est quidem cum aliquibus à nostris ad inflectendum eorum animos potius ad Reuerendissimum Episcopum Cassanensem, quod multo vtilior sit opera V. Reuerentiæ Angliæ, & particularibus, & Seminarijs in statu in quo nunc versatur simplici & Religioso, quàm ad Cardinalitiam dignitatem euectæ; in qua minimè possit tam liberè versari cum omnibus Anglis, intelligere secreta, præscribere necessaria particularibus & secretis personis sicuti nunc; neque emendicare eleemosynas à Principibus & Nobilibus, à Prælatis & Ecclesiasticis, à Ciuibus & Mercatoribus Cardinalis effecta, sicuti nunc sub priuato habitu, & modestia Religiosa apud omnes liberè & sine offensione facit: Non conuerteret à Religione Catholica alienos, non Catechisaret, non visitaret ægros in carcere, & priuatis ædibus, neque aduentantes Anglos in nauigiis in portubus varijs; neque administraret deniq; Sacramenta, sicuti nunc facit, & hæc præstat omnia summa cum vtilitate, & omnium ædificatione: Sed totam solicitudinem cogeretur transferre ad negotia publica Ecclesiæ, & ad œconomiam & curam domesticam, quæ non posset non esse permagna, vbi prouentus exigui sunt, domestici multi, pauperes & peregrini plurimi, desiderium omnes iuuandi ardens. Nam quid posset conferre in Seminaria auxilij aucta dignitate Cardinalitia? haberet, inquam, prouentus octo vel decem millium ducatorum: Quid illud esset ad opitulandum tam multis, ad succurrendum Seminarijs, & ad honestam necessariamque familiæ sustentationem? Hæc, inquam, suggerimus, & ostendimus Dominum Cassanensem iam habere prouentus certos & paratos, & maiores quam habuerit optimus Cardinalis *Alanus*: Sed hæc non eos mouent, propter causas Vestræ Reuerentiæ notas, cuius candor, humanitas, rerum Anglicarum peritia, & in omnes caritas, sic eos capit, vt non intendant alijs quam suis consilijs. Superest igitur vt vestra Reuerentia, quod factura erat me non monente, valdè generosè agat, ne porta semel aperta laxetur magis, magisq; pateat aliquorum ambitioni. Aduigilet autem nè clam se cum Rege agant, & eius animum inducant in hanc persuasionem, quod licet Societati non expediat, expediet tamē bono communi Ecclesiæ, & Regni Anglicani; nam vt pientissimus est, verendum est ne sibi persuaderi patiatur: Illud autem persuasum habeo, nullum esse in Societate qui vel facilius, vel efficacius amoliri possit à Societate hoc malum quàm Reuerentia Vestra, quam vt Deus Dominus noster conseruet precor, & Sanctis suis precibus multum me commendo. Bruxellis 24. Nouembris 1594.

Reuerentiæ Vestræ seruus in Christo *Oliuerius Manaræus*,

IV. Erat id temporis Hispali *Personius* cùm has accepit, quid responderit *Manaræo* non reperio: Sed missis eius literis ad *Claudium* Generalem hæc adiungit.

Admo-

Admodum Reuerende in Christo Pater Noster Pax Christi. Quod rarius breuiusque his præteritis mensibus ad Paternitatem Vestram scripserim in causa fuit partim valetudo aduersa, partim etiam quòd negotium nullum magni momenti occurreret de quo scriberem: Nunc verò quando febribus nostris quartanis, Dei beneficio, magna ex parte, leuatus sum (licet non omnino liber) & negotium se offert grauissimum, copiosius mihi scribendum duxi. Post mortem Illustrissimi Cardinalis *Alani* rumusculi nescio qui his in partibus spargi cæperunt mihi impendére Cardinalitiam dignitatẽ; quod etsi mihi eo tempore ridendum potius & contemnendum, quàm resistendum videbatur, & quod nullo certo fundamento aut auctore niteretur, & eiusmodi esset negotium de quo ego sine verecundia vix loqui aut mentionem facere possem, nè quod dicitur, dum fumum conarer reprimere, flammam viderer velle accendere; tamen cùm postea Madriti etiam nonnullorum hominum sermone agitari rem comperi, neque non Romæ, magis me commotum sensi; postea vero cùm ante biduum opinor, vel triduum literas à Patre *Oliverio Manaræo* acceperim, (quarum exemplar ad Paternitatem Vestram vnà cum his transmitto) quibus intellexi serio id negotium ab Anglis nostris in Flandria agi, vel saltem bonum Patrem sic existimasse (quanquam alij recentius contrarium scripserint) non amplius mihi tacendum omnino iudicaui, saltem apud Vestram Paternitatem, cuius præcipuam in me caritatem semper expertus sum, & cui ex officio Paterni sui regiminis, tum mihi tum Societati etiam ipsi prospicere incumbit. Primò igitur verissimè Paternitati vestræ affirmare possum, molestissimam mihi extitisse huius rei mentionem: Nihil enim ab animi mei vel sensu vel iudicio alienius cogitari potest, quàm vt ego ab hoc tranquillo vitæ genere, in quo summa animi consolatione, nonnihil in Sanctum Dei seruitium, & commune Patriæ meæ afflictissimæ subsidium, per eiusdem Domini nostri gratiam, conferre videor, ad aliud vitæ exercitium tam longè dispar transferar, ad quod licet illustre & per se Sanctum & Venerabile, ego tamen in me nullam vel aptitudinem vel inclinationem sentio, nec vires habeam quibus illud expleam. Deinde etiam, vt quod verè sincereque in Domini nostri conspectu, re bene perpensa sentio eloquar, omnino iudico ea omnia verissima esse quæ Pater *Oliverius* enumerat incommoda, quæ causæ nostræ publicæ accidérent, si ego ab hoc vitæ cursu remouear, nimirum quod Seminaria tum Hispanica tum ea etiam quæ in Belgio sunt detrimentum paterentur; & si quid modò particularibus hominibus præsto, id minus præstare possem extra hoc vitæ genus, vtilioremque omnino esse operam meam Patriæ, ciuibusque meis modò (si tamen vtilis est) quàm esset alio illo in genere quod aliqui mihi obtrudere vellent, non intelligentes incommodare se sibi ea in re qua maxime prospicere & cõmodare cupiunt. Quod cùm verissimum sit, Paternitatem Vestram humillimè, omnique quo possum affectu ob Dei causam precor, vt veri Patris officium hac in re præstet, & periculum hoc (si quod impendeat) nihil enim

1596. Literæ Personij ad Claudium Generalem

1596. adhuc certi habeo, auertere conetur. Quibus autem illud medijs fieri possit, Paternitatis Vestræ prudentia optimè constituet; ego solummodò rem ipsam significandam, & Paternitatis Vestræ caritati proponendam iudicaui. Deus ipsam multos in annos incolumem nobis conseruare dignetur, cuius Sanctis Sacrificijs me humillimè commendo. Hispali. Die 20. Februarij 1595. Reuerendæ Paternitatis Vestræ indignus Filius & seruus, *Robertus Personius*. Hæc *Personius* ad *Claudium* Generalem; quibus liquido ostendit superfluum esse eum cohortatione auertere qui sponte fugiebat?

Eiusdem literæ ad Franciscũ Inglefield.

V. Multo tamen id apertius legitur in literis ad Franciscum Inglefield aliquot post mensibus exaratis: Erat Franciscus Inglefield *Personio* ab antiquo tempore coniunctissimus,, integerrimè Catholicus, & Catholici Regis rationibus addictissimus; Quem *Personius* in Purpuratorum Patrum Collegium cooptari & iudicabat dignissimum & vt amicissimum optabat: Fuerat enim *Philippo* & *Mariæ* regnantibus à consilijs, vir maturo iudicio, propensâ in omne bonum voluntate, omnibus ad dignitatem Cardinalitiam adiumentis ornatissimus. Hic frequentibus literis rogarat *Personium* vt suam vellet Regi Catholico sententiam aperire de Cardinale in *Alani* demortui locum substituendo; In illud tandem descendit *Personius*; & scriptis literis ad Dominum Ioannem Idiaques (virum in consilio Regio fidentissimum) explicuit, quàm id primùm, eo præsertim tempore, esset necessarium, & quibus hominem oportebat esse dotatum ornamentis. Dein, si quinam essent futuri idonei quæreretur, remisit ad *Iosephum Creswellum*; tum quia sciebat hunc & instituti Societatis esse studiosissimũ; & cùm comperisset huiusmodi agitari inter Principes viros cõsilia, atque in *Personium* coniecisse oculos, respondisse pro more suo quibusdam per parabolam, "Non esse Deum aut opis aut consilij tam egenum, vt cùm in animo esset vestem nouam parare, eam sineret ex veteri & lacernoso confici pallio.) Tum etiam nominare quemquam refugiebat quoniam inter primos nominandus videbatur ipse Franciscus Inglefield, qui tamen pro veteri amicitia rogarat *Personium*, ne sui hac in re mentio fieret. His Francisco expositis, quid de se ipse sentiat his verbis aggreditur enarrare.

Nunc verò quoniam occæpi tecum clarè his in literis & cum omni fiducia agere, progrediar aliquanto vlterius, & quod ad hoc negotium spectat, totum effundam animum meum, & quidquid intus in me sentio, siue iudicij, siue propensionis aperiam in conspectu Dei, sine vlla simulatione post multam apud me & Deum meum deliberationem, cum quanta potui indifferentia & summo desiderio & voto cognoscendi diuinam voluntatem. Primum igitur, vt tu probe nosti, licet salus totius mundi penderet ab hac mea promotione ad dignitatem quam tu mihi optas (quod quàm sit incertum Deus nouit, & euentus ipsi mirè varij nos commonent, vti in quibus quotidie fallimur siue nostras inspiciamus siue aliorum rationes) Ego tamen neque directè possum, neque indirectè prætendere, aut ambire hanc promotionem, quoniam voto adstringor vt nè ambiam: Quod votum vt inuiolatum custodiam det mihi, obsecro, Deus suam sanctam gratiam, atque vitam istam mihi

mihi auferat potius quàm voluntatem illum non offendendi hoc in genere; 1596.
& hoc fateor, vnicum est ad quod ex voto obstringor, non ambire videlicet directè vel indirectè.

Secundo; licet ambitu sepositò, posset quis sibi placere in huiusmodi promotione, vel eam etiam desiderare, gratias tamen Deo meo, sentio me ab vtroque (vti confido) liberum: Etsi enim speciosæ multæ rationes se offerant quandoque de rebus magnis quæ præstari possent ab homine in illa dignitate constituto, sincere tamen dico, quod quãdo cogitatione penitus ingredior in deceptiones quas secum ferunt huiusmodi longè positarum rerum imagines, atque in euentus incertos, & in pericula, molestiasq; quæ mihi in ista atq; in futura vita possent oriri; & animo deinde verso conditionem hanc viuendi securam & plenam consolatione in qua dego, vtiliorem etiam mihi fortasse & alijs; Ista inquam, dum mihi ante oculos statuo, & quædam præterea quæ mihi â multis retro annis sunt proposita, per oppida, scilicet, & vicos in Anglia discurrendo tradere Christianæ doctrinæ præcepta, si Anglia meo tẽpore reduceretur; ab alio illo vitæ genere tam me sentio alienum, vt ne cogitare quidem de illo sustineam, multo minus vt cupiam: Qua propter liber sum (vti spero) ab omni tali desiderio; & quod amplius est, his argumentis & spirituali quodam sensu & affectu ducor in hanc sententiam, vt omnino iudicem hanc esse Dei voluntatem, non vero illam; Ista non clarè quidem rem euincunt fateor; si enim euidenter euincerent, iam non esset in me locus deliberationi, quantumuis videri res posset alijs aut vtilis aut necessaria. Attamen Tertio hinc sequitur (quod & tu facilè dabis) quod cùm non sciam esse Dei voluntatem vt promouear, dubitem verò plurimum propter rationes positas, teneor, & tenebor semper, non solum non desiderare promoueri, aut prætendere, sed animo esse semper in contrarium inclinante; Atque si altior potestas (quæcunque demum illa sit) vellet mihi istud imponere, obsistere debeo, & rationes afferre cur contra sentiam. Idque non solum vt quod voui præstem, & fidum me probem Religioni meæ, quæ detrimentum pateretur ex tali promotione; sed vt animæ meæ periculo caueam, quæ mihi carior esse debet quàm orbis vniuersus etsi plures essent; quandoquidem ingressus in huiusmodi dignitates solet esse iucundus & blandus, exitus molestus & luctuosus; Quod in vltimo nostro bono Cardinale nemo fortasse me attentius obseruauerit. Denique post hæc omnia diligenter in conspectu Dei perpensa atque agitata, & quæ à me fieri possent cuncta accuratè præstita ad Dei voluntatem cognoscendam quoad fugam huius promotionis, si per auctoritatem cui resisti non posset imponeretur, (quod spero nunquam futurum) posset equidem eo euentu sperari illam esse diuinam voluntatem, & (quod consequitur) daturum illum gratiam sufficientem ad onus sustinendum pro eius gloria; & quo magis sincerè conatus fuerit quispiam onus declinare, eo maiora præsti-

1596. turum susceptо onere, quemadmodum multis & magnis Dei seruis olim contigisse legimus; atque hic habes, quidquid aut dicere aut cogitare possum in hoc negotio, non aliter scriptum quàm si ad pedes Confessarij mei essem Deo redditurus confestim animam. Quod apud te, quæso, serua reconditum, quoniam tua solius importunitate victus hæc scripsi, vt tibi satisfaciam; nisi ex intimis aliquis particeps tuo iudicio fieri debeat, qualis est Fitzherbertus &c. Deum tibi rogo esse propitium, decimo Maij Anni 1595.

VI. Vides, lector, sincerum *Personij* animum, & quàm nulla honoris ambitione tangeretur: Cùm verò Romam, anno vertente peruenisset, & aucto sermone rumor increbesceret, abijt ad Generalem & ad Assistentes Patres, paratum se offerens vt vel confestim vrbe se clam proriperet, vel quamcunque suggererent rationem ocyus amplecteretur. Illi Pontificem adire suadent deprecabundum, argumentisque instructum quibus rem consiliumque interuertat. Res dubia, & multis implicata nodis. Quid enim si Pontifex huiusmodi nihil in mentem venisse responderet? Quid si deprecationem ambitum interpretaretur? Quid si requireret prudentiam? si argueret præcipitationem? Quid deinde si Rex neglectum se arbitraretur, atque post tot beneuolentiæ signa posthabitum, quando nisi se mouente Pontifex nil esset decreturus. Nam quod illum honoris auidi cultores viri aliqui vilis abiectique animi hominem dicturi essent, qui de summa spe deijci mallet, quàm vento spirante prosperè ad portum celsissimæ dignitatis conari prouehique, tanti illi erat, dummodo ab receptis in Societate moribus periculum depelleretur. Atque ex aduerso de prudentia periclitari videbatur consultius, quàm tarditate remedij locum dare confirmandæ sententiæ; in quam si Pontifex Rexque conspirarent, serius Societatis indemnitati, serius *Personij* integritati prouideretur. Regi verò Societatis institutum veneranti non futurum ingratum quoquo modo pro eo stetisse. Die igitur sibi ex consuetudine addicto adit Pontificem, exponit qui sermo per vrbem, qui per Hispanias Belgiumque inualuisset: Ratione contendit operam suam in ea quam gerebat veste, quam in purpura, futuram Angliæ vtiliorem: Honores æmulationem, dignitates negotiorum varietatem ac molem parere inimicam sedulitati quam præsens Angliæ status flagitabat: multa hæreticos quotidie in lucem edere falsa, blasphema, pernicioſa Catholicis, quæ promptum attentumque calamum cùm postulent, quandoquidem ipsius defuncti Cardinalis *Alani* iudicio, ea hactenus quam tenuerat scribendi agendiq; ratione, afflictæ in patria Ecclesiæ profuisset, eandem vt tenere posset humilibus precibus obtestabatur, in summis beneficijs positurus si per eius excellentem benignitatem vitatis nouis itineribus ignotisque scopulis consueta sineretur maria nauigare. Ad hæc Pontifex laudato Societatis instituto quo ambiendis honoribus aditus præcluditur, nihil sibi, ait, à Rege esse

esse perscriptum: Sermonibus neglectu facilius quàm conatu obuiari: Gratam sibi esse operam quam hactenus scribendo agendoque impenderat; eandem porro teneret studiorum cursum, quibus ad palmam meliorem quàm hic mundus offert contendens, Deum habiturus esset, & se propitium, neque facilè se quæ feliciter inchoarat interturbatum. Ea Responsio *Claudio* Generali satisfactionem, *Personio* ab importunis de dignitate sermonibus quietem attulit quam expetierat. 1596.

VII. Quoniam verò in literis ad Franciscum Inglefield facta est Fitzherberti honorifica mentio, opportunè hic dicetur qualis vir & quantus is fuerit, quandoquidem & à *Personio* numerabatur inter eos quos dignos censeret qui *Alano* in purpura succederent, & multis ante obitum annis Societatem complexus, præter alia munera, seminario Anglorum de Vrbe diutissimè præfuit, & rexit pacatissimè. Thomas Fitz Herbertus.

Natus in Comitatu Staffordiæ claritatem generis quam à progenitoribus traxit perillustrem, omnis literaturæ genere reddidit illustriorem, virtute verò atq; uitæ fidei propugnatione ornatissimã. Paris nobilitatis adscita Coniuge, cùm familiam duceret susceptis liberis, non minorem Religionis quàm rerum domesticarum curam gerens, *Campianum* & *Personium* cùm primùm in Insulam descendissent, amicè excepit, & fouit liberaliter. Inquisitum est deinde acriter in eos qui heterodoxorum templa non frequentarent, pœnis propositis in absentes, specie quidem conformationis ad leges omnibus communes, re autem vera vt frequentatione ista paulatim inflecterentur animi ad opiniones à Catholica alienas, vel certè mulctis ex absentia corrogatis ærarium impleretur. Fitzherbertus inter primos eam fraudem impietatemq; detestatus, non ipse solùm abstinuit, sed edidit rationes cur abstinendum omnibus esset, nisi fidem debitamque Deo obedientiam in discrimen venire vellent. Garnetus in sua defensione. Neque hac vna arte in Catholicos pugnatum est: Suspiciones in vulgus seminatæ consensionis cum Pontifice cæterisque Principibus ad inuadendum regnum pacemque publicam perturbandam: Itaque præcipui quique aut carcere coërcebantur, aut ad ædes suas restringebantur & ad pauca circum milliaria. Sua in istis sors Fitzherberto contigit qui cùm mitissimi esset ingenij, & constanter licet, ferret tamen dolenter in perpetuo metu vexationeq; versari, empta libertate transnauigat & primùm in Gallijs sedit, quamdiu spes erat Reginæ Scotiæ, arcta detentæ in Anglia custodia, Regis Galliæ, & Ducis Guisij affinis auctoritate subleuandæ: Illa per summam iniuriam, & coniuge necessaria morte sublata, Guisijs etiam acerba cæde interfectis, migrauit in Hispanias, atq; eius Regis in aula multam præstitit operam ad Religionem in patria sustinendam, donec pertæsus seculi, & vitæ tranquillioris auidus, primũ Mediolanum cum duce Feriæ, tum Romam concessit, & sacris initiatus, qua orando, qua scribendo reliquã ætatem Deo & Ecclesiæ consecrauit. Nam cùm sibi de statione prouidisset non longe ab Anglorum Seminario disiuncta, ad illius domus Cam-

1596. panam horas omnes moderabatur, surgendi, orandi, iucumbendi, Mensæ, studiorum, iam tum excludendarum nugarum tam diligens, vt fenestram in aduersam domũ prospectantem nunquam sineret patere. Hic primum edidit latinè contra Machiauellũ de hac thesi, *An sit vtilitas in scelere?* doctum opus & pium. Tum Anglicè eodem fere argumento iustis voluminibus duobus docuit Ciuem bonum, aut moderatorem vtilem esse posse Reip. neminem qui eius rationes cum vera Religione non coniungat; Ac deinde, Quę sit vera Religio: vtraque multiplici auctoritate & solidis probationibus confirmans atque illustrans exemplis. Anno verò huius seculi decimo tertio palam susceptâ Societatis veste, præfuit deinde Missioni Bruxellis annis duobus, & in eius temporis controuersijs scripsit quæ Alegambe recenset; Tum Rector Seminarij de vrbe annis prope viginti duobus, licet vitare omnino non potuit (quantumuis benignus & commodus) inquietorum Adolescentum turbulentas machinationes, compescuit tamen, & paucorum dimissione paci consuluit cæterorum, atque ætatis annum agens octauũ supra octogesimum in æternam transferendus requiem placidissimè quieuit, decimo septimo Augusti, Anno huius seculi quadragesimo. Viget in hanc diem memoria viri non apud solos Catholicos, sed & qui ab istis Religione dissentiunt famam eius existimationemque recordatione conseruant, recoluntq; sermone, & inter cætera antiquæ nobilisque familiæ decora hunc vtrique locant. In cuius commendationem virtutis narratur, tam feruido frequenter caluisse pietatis sensu, vt familiari sermone Hymnum aliquem, vel Psalmi versum explicans, tantis subito æstuarit ignibus, vt neque lachrymis singultibusque temperare, neque vocis sonum, aut corporis contremiscentis motum cohibere posset. Sed de istis ipsummet audire præstat postquam mandante Generale suos ipse sensus explicare coactus est. Sic igitur loquitur.

Eius pietatis sensus.

VIII. Ego *Thomas Fitzherberti* Anglus Annorum nunc sexaginta duorum, Filius Guilielmi Fitz herberti, & Elizabethæ Swinerton, mandante Sancta obedientia respondeo quæstionibus mihi propositis in ordine ad vocationem meam ad Societatem Iesu.

Primum; quod ad deuotiones particulares attinet (omissis ordinarijs) præcipua pietate per gratiam Dei colui semper Beatissimã Virginem; vnde cùm annos circiter viginti numerarem, voui recitare quotidie eius officium: addidi deinde alias obligationes, non modò ieiunandi in omnibus eius vigilijs, sed in ijs abstinendi quoque ab ouis, pisce, & lacticinijs quibuscunque: recitare etiam singulis diebus vnam coronam, Sabbathinis vero duas, tum etiam cõfiteri & communicare & recitare Rosarium integrum in eius festis, vel per octauam; denique ieiunare diebus Sabbathinis, cùm domi meæ me esse contingeret.

Anno octogesimo octauo (vxore iam mortua) post factam Confessionem generalem apud Patrem quendam Societatis, in festo Annuntiationis voui in honorem Virginis Castitatem: Et anno sexcentesimo primo cum essem

in

in Hispania in Festo Natiuitatis eiusdem voui Sacerdotio initiari, quò maius 1596.
Deo & Sanctissimæ Matri præstare possem obsequium: atque ea propter anno sequenti in Festo Purificationis, hic Romæ, habitum indui Sacerdotalem, suique Sacerdotio initiatus in peruigilio Annuntiationis eiusdem anni, & cecini Missam primam in ipso Festo. Voui præterea legere quotidie officium de Spiritu Sancto, & alias preces in honorem Sanctissimæ Trinitatis & Patronorum, & ieiunare diebus Mercurij & veneris quando apud me essem.

Ad Religionem in genere præcipuè me mouit consideratio quod omnes Christiani tenentur ad perfectam sui abnegationem, ad quam cùm multo facilius perueniatur in statu Religioso quam in seculari decreui eum statum amplecti. In particulari verò videbatur mihi Institutum Societatis *Iesu* & magis necessarium, & magis hoc tempore vtile Ecclesiæ Dei, quandoquidem Actiuam cum Contemplatiua vita perfectissimè iungens habeat pro fine proprio propagationem fidei Catholicæ & salutem proximorum, atque adeo ad Angliæ conuersionem præ alijs esset idoneum; vnde Anno millesimo 600. in Sancta Maria Maiore atque in Festo Assumptionis glorioſissimæ Virginis voui viuere & mori in Societate *Iesu*, modò Reuerendus Pater *Claudius Aquauiua* Generalis dignaretur me admittere, cuius voti hoc est exemplar. Confisus gratia Dei & auxilio Spiritus Sancti, per merita Passionis seruatoris nostri *Iesu Christi*, & intercessionem Beatissimæ Virginis *Mariæ*, Sancti Angeli mei Custodis, Beati *Ignatij* & omnium Sanctorum, Promitto, & Voueo omnipotenti Deo, me humiliter & enixè à Reuerendissimo Patre Generale Societatis *Iesu* petitutum vt me in eandem Societatem cooptare dignetur; & quandocunque visum ei fuerit me ad probationem faciendam admittere, me statim Nouitiatum ingressurum habitumque Societatis sumpturum, & deinceps Regulas atque instituta eiusdem seruaturum quamdiu vixero; Atque interim promitto ac voueo me obtemperaturum suæ Paternitati Reuerendimssimę, ijsque omnibus quorum curæ & regimini me cõmiserit; nec non & omnibus alijs eiusdem Societatis Generalibus, & Superioribus. Ita vt intelligendum sit me nunc penitus renunciare voluntati meæ, ac illam, meque totum in perpetuum dedere, & subdere Reuerendissimo Patri Generali nunc existenti, cæterisque Generalibus successoribus Societatis *Iesu* quoad moriar. In cuius rei testimonium hæc scripsi manu propria, & subscripsi. Romæ. 15, Augusti in Festo Assumptionis Beatissimæ Virginis *Mariæ*. 1606. *Thomas Fitzherbert*. In Festo vero Natiuitatis eius fui ab eo admissus à prandio in eius cubiculo, præsente Patre *Personio*. Cum verò existimaretur vtilius fore ad Dei gloriam & obsequium Societatis vt neque irem ad Nouitiatum, neque ad aliquod tempus mutarẽ habitum, datus est mihi Superior *Pater Thomas Odoenus* tunc temporis Minister Seminarij Anglorum, coram quo emisi deinde tria vota Societatis, & renuntiãs omnibus quæ habebam conatus sum omnes Societatis Regulas obseruare quantum poteram extra Collegia vel domos eiusdem, tempora videlicet orationis, examinum, lectionis, renouatio-

1596. num, & reddendæ rationis Conscientiæ; singulis etiam mensibus legebam Regulas, & Epistolas omnes quas vel scribebam ipse, vel recipiebam, ostendi Superiori meo, neque obolum expendebam sine particulari, aut generali eius licentia, vt idem Pater testari potest qui iam est eius Seminarij Rector.

Cum vero de gratijs etiam particularibus respondendum mihi sit, Agnosce varias à Diuina bonitate mihi indignissimo & grauissimo peccatori esse communicatas, etiamsi aliud non meruerim præter Infernum; Et primum quod quanquam natus sub Rege hæretico Edwardo sexto Anno millesimo quingentesimo secundo, quando nulla erat publica professio Religionis Catholicæ in Anglia, habui, ex peculari Dei prouidentia & misericordia, Parentem vtrumque Catholicum, & fui Baptizatus cum omnibus ceremonijs Sanctæ Ecclesiæ, & & educatus Catholicè. Et meminì cùm puer essem quinque vel sex annorum habuisse me lumen & donum fidei, quoniam solebam stans aspicere Cælum, & cogitare de Deo, atque inprimis de eius æternitate, & quod fuisset semper sine principio, conabarque multum intelligere quomodo hoc esse posset; & licet non capiebam, credebam tamen multa cum admiratione. Videor etiam habuisse expressam fidem Resurrectionis licet conceptu infantili inuolutam: quoniam anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo, qui fuit sextus ætatis, cùm familiaris quidam meus mihi primum narraret mortuum esse parentem meum, & expectaret quid essem responsurus, diu hæsi tacitus, quasi aliquid meditans, quod cùm ille animaduertens, rogaret quale esset, respondi, dolere me de mortuo parente, quia quando esset resuscitandus in die Iudicij, appareret exesus à vermibus, & plenus foraminibus. Reduxit mihi hoc in memoriam idem ipse amicus postea, & videtur mihi aliqua semper hæsisse eius dicti memoria.

Semina præterea aliarum virtutum inseuit Deus in ipsa pueritia, licet defectu discretionis, & ex multa malitia naturæ meæ, non tulerunt fructum debitum. Nam cum nonum vel decimum ætatis annum attigissem magno desiderio capiebar faciendi eleemosynas, & cùm aliud non suppeteret, de cibis domesticis clam surreptis abscondebam quod deinde distribuerem pauperibus. ieiunabam etiam aliquando indiscretè cum non haberem patrem spiritualem qui me dirigeret: nam annos numerans non plus duodecim tribus postremis diebus quadragesimæ indixi mihi ieiunium in pane solo & paucis fructibus. Cumque multa intellexissem de Patribus Societatis & eorum instituto, valde erga illos afficiebar, & erga quoscunque illis addictos: magnoque in illa ætate concepto desiderio Martyrij sæpius Deum precabar vti mihi eam faceret gratiã. Crescente vero cum ætate lumine fidei, creuit (Deo benigne donante) zelus erga fidem Catholicam, & odium hæresis, neque conuersabar libenter cum hæreticis aut interfui eorum concionibus. Qua in re non possum omittere beneficium à Deo mihi præstitum. Nam cum sexdecim annorum iuuenis studerem in vniuersitate Oxonienſi superuenit ex curiositate tentatio audiendi hæreticam concionem: Nolui tamen sine consilio consensuque illius quo tunc temporis vtebar ad Sacramentum Confessionis, erat autem is Sacerdos senex non multum

doctus

doctus, qui latebat Oxonij propter persecutionem) petenti eius sententiam 1596.
respondit posse me sine peccato interesse modò non animo discendi, sed audiendi tantùm (Et sane illis temporibus pauciſſimi Catholici abstinebant à concionibus, etiamsi nollent interesse precibus) Audita igitur sententia Confessarij, egressus sum quodam die vt audirem insignem quendam Concionatorem qui iam conscenderat cathedram antequam peruenirem: confestim verò vt intuli pedem in templum, inuasit me horror tam vehemens vt nullo modo potuerim ibi manere; itaque proripui me, verbo nullo audito præter nomen Christi *Iesu*: Atque ex illo tempore palam omnibus professus sum me esse Catholicum, & vbiuis contra Ministros & alios hæreticos defendebam Religionem Catholicam, confirmabamque Catholicos. Vnde etiam duobus annis coactus sum latere, & comprehensus sustinui carcerem magna cum mea consolatione. Quo verò tempore Patres *Campianus* & *Personius* venerunt in Angliam, illis me adiunxi & quo modo potui ministraui, donec crescente in me persecutione statui migrare, & viuere exul quamdiu hæresis dominaretur.

Agnosco etiam summam Dei gratiam & bonitatem quod nunquam permiserit me hærere in peccato aliquo mortali ad viginti quatuor horas quantum recordor, licet iuuenis sæpissimè illum offenderem mortaliter; ingratissimus & indignissimus tanta misericordia.

Sæpius etiam iam inde à pueritia excitauit in me diuina Majestas sensus & affectus spirituales vehemẽtes magna cum animi mei commotione. Nam decennis puer suggerente matre vt pararem me ad sacrosanctam Communionem, cùm egressus fuissem in agrum & cogitarem magnitudinem Mysterij, rogaremque Deum vt me tanto beneficio faceret dignum, tam magna subito obruit mentem consolatio vt in abundantes lachrymas prorumperem; durauitque is motus aliquanto tempore, magnoque cum fructu (vti spero) confessus sum & communicaui: atque exinde in hoc vsque tempus multa similia mihi acciderunt in Anglia, Gallia, & Hispania; præsertim post factum votum Castitatis. Atq; (vt alia omitam) in Hispania per aliquot dies oblata est mihi representatio Christi Domini Crucifixi tantopere impressa memoriæ vt semper occurreret nisi cùm dormirem: quam gratiam perdidi mea culpa, quoniam ingratus non æstimaui illam vt merebatur, neque studui conseruare.

Alias dum legerem vitam Sancti Benedicti à Sancto Gregorio conscriptam, resolutus in lachrymas magnam noctis partem ingentem sensi consolationem & dulcedinem donec somnus me opprimeret. Postquam verò admissus fui in Societatem multo frequentius, multoque copiosius huiusmodi fruitus sum visitationibus, visusque sum mihi quandoque totus ardere amore diuino; & quadam nocte orans in lecto cùm non possem dormire, visum est mihi quasi quoddam flumen seu dicam torrens quidam irruere in cor me-

1596. um, implens me inenarrabili dulcedine, certumque faciens diuinæ præsentiæ in anima mea, vnde cæpi laudare Deum magno cum iubilo, & copiosis lachrymis, frequenter etiam repetens *Benè venerit Dominus meus*, *Bene venerit Dominus meus*, & gratias agens de tam dulci visitatione.

Aliàs etiam dum in nocte Natiuitatis Domini canerem sacrum in Collegio Anglorum, & ministrarem Sacrosanctam Eucharistiam studiosis, tanta superuenit consolatio tantusque lachrymarum impetus vt neque possem progredi in communicando, neque canere quod supererat sacri, quamuis multum & sæpe conarer: vnde multum dolens & confusus quod hoc mihi publicè accidisset, rogaui Deum vt tolleret illam vehementiam, non fuit tamen mihi possibile canere, & vix secreto legere quod reliquum erat præ abundantia lachrimarum & singultuum: durauitq; ad duos vel tres dies illa sancta lætitia & consolatio. Ex quo videre est quanta fuerit Dei benignitas & misericordia in me miserum & ingratum peccatorem.

Denique singularissimam gratiam mihi fecit Deus ponendo me in protectione Beatissimæ Matris suæ toto vitæ meæ cursu ac præcipuè in eius festis, eamque expertus sum in multis magnisque necessitatibus spiritualibus & temporalibus, vt etiam in obseruatione voti Castitatis quod in honorem illius voui; Atque in calumnia quadam grauissima & falso testimonio in Belgio aduersum me lato ex quo de vita periclitabar: In multis etiam periculis in mari & terra, in quibus manifestum sensi auxilium Sanctissimæ Matris, vt merito dicere possim id quod Beatus meus Pater *Ignatius* solebat ex profundissima humilitate de se dicere, Quod duæ hæ res non possent simul in alio homine inueniri, recepisse videlicet à Deo tantas tamque excellentes gratias, & tam ingratum nihilominus fuisse erga diuinam suam Majestatem.

Quod verò attinet ad vltimum quod quæritur, respondeo me tantam consolationem & ædificationem percipere in omnibus quæ video in praxi Instituti Societatis vt magnam spem habeam per media in illa disposita peruenire ad finem quem ambio salutis meæ & proximorum. Laudetur semper *Iesus* Christus Dominus noster & eius Sanctissima & dulcissima Mater. Hæc de se *Fitzherbertus*. Cuius in vltima ætate lucrandarum Indulgentiarum studium curaque hoc monimento commendatur. " Cum ego Thomas Fitzherbertus Societatis *Iesu* Sacerdos, octoginta septem annos natus assiduis laborem infirmitatibus, isdemque adeo grauibus vt expectem quotidie donec veniat immutatio mea, atque interim tamen publicis & communibus Ecclesiæ necessitatibus pro virili mea parte contribuere cupiam, offero Domino nostro *Iesu Christo*, in vnione Sacratissimæ Passionis ipsius omnes illos corporales dolores, cæteraque ægritudinis meæ molestias quas patior & passurus sum vsque ad horam mortis meæ, pro Ecclesiæ pace & fidei Catholicæ propagatione ad intentionem Sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. iuxta Bullam Iubilei

à San-

à Sanctitate sua nuper editam. Et cum præ mea debilitate alias corporales pœnitentias subire nequeam, Rosarium Beatissimæ Virginis *Mariæ* vnà cum septem Psalmis pœnitentialibus & Litanijs, singulis diebus (diuina me adiuuante gratia) per totum hoc tempus quadragesimale recitare decreui, modò vita viresque mihi suppetant, quod iudicio Confessoris mei relinquo. Redeamus nunc ad *Personium*. 1596.

IX Domesticæ disciplinæ Seminariorum mittendorumque in Angliam Sacerdotum cura immediatis Superioribus incumbebat, *Personio* tamen ab eorundem origine commendata fuerat vniuersalis quædam inspectio, tum volente *Aquauiua*, tum Pontifice assentiente, vt cuius industria tam magnum subsidium perituræ Angliæ fuerat comparatum eius solicitudine foueretur perficereturque. Conatus vero plurium annorum felici successu, ac Religionis in ea insula non leui incremento comprobatus mentem *Claudio* iniecit, vt cum Rectoris Seminarij de vrbe officio in eum collato, in reliqua etiam autoritatem illi confirmaret sub nomine *Præfecti Missionis Anglicanæ*: Quæ Præfectura Societatē ipsam præcipuè eiusq; subditos in Seminarijs & in Anglia commorantes, & per varia Collegia dispersos Anglos spectaret, ab illis autem ad cæteros ad Seminaria pertinentes, aut in Anglia laborantes, quantum commodè fieri posset, deriuaretur. Et anno quidem nonagesimo inchoata primum est illa administratio institutis Seminarijs Vallisoletano & Hispalensi; sexto verò post anno in eam formam est redacta quæ vsque ad nouæ Prouinciæ in Anglia erectæ initia annis prope triginta durauit floruitque; excogitatis regulis quibus Præfectus Romæ & per Hispanias & Belgium vice Præfecti inter se, & cum Prouincialibus cæterisque Superioribus ad tam præclaræ missionis bonum promouendum iunctis operis conuenirent. Quarum exemplar Regularum Anno sexcentesimo sexto confirmatarum hic adnectere operæ pretium visum est, vt quâ animorum coniunctione, quaque prudentiâ res tanta tam multis annis est administrata, posteritati commendetur.

Officium & Regulæ Præfecti Missionum, tam pro Missione Societatis dirigenda, quàm pro Seminarijs Anglicanis, quæ Societatis regimini subsunt iuuandis.

CLaudius *Aquauiua* Societatis *Iesu* Præpositus Generalis vniuersis Prouincialibus, Rectoribus, alijsque eiusdem Societatis Superioribus, & Religiosis, qui Anglicanæ Missionis iuuandæ occasionem habent, salutem in eo qui est vera salus.

Cùm Anglicana Persecutio, præter hominum expectationem, ex diuina permissione, ad maiorem probationem & consummationem eorum qui sunt saluandi, prorogata sit; & sancta sedes Apostolica omnibus vijs & modis prouidendum censeat nè Sacerdotum Missiones deficiant; neue Catholici in tantis periculis positi Sacramentorum beneficio, alijsque Ecclesiastico-

1596. rum ministeriis destituantur'; nobis visum est pro ea parte solicitudinis quæ Societati commendata est, quæ antea pro Seminariis ac Missionibus nostræ curæ subiectis ritè administrandis seruanda commendaueramus, hæc eadem nunc recognita, Prouincialibus, ac Rectoribus, cæterisque Societatis nostræ Religiosis plurimum in Domino commendare.

In quo quidem hunc præcipuè scopum nobis propositum habemus vt missio hæc (in se satis ardua, nullisque vel exiguis humanis fundamentis nixa, partim domesticis suorum persecutionibus, partim externis difficultatibus ac necessitatibus agitata) aliqua saltem ratione, quantum per nos fieri possit, stabiliatur; atq; ea eiusdem portio quæ ante multos annos non sine fructu & nunc iterũ diuina, & sedis Apostolicæ ordinatione Societatis nostræ Caritati (ad maiorẽ Dei gloriam) est commissa, ipsius fauore & auxilio (quantum sine Prouinciarum incommodo liceat) ad finem sibi constitutum promoueatur.

Quare cùm missio hæc Anglicana ad instar Prouinciæ cuiusdam gubernanda sit, & propter præsentem persecutionem in diuersis Societatis nostræ Prouincijs dispersa, non possit ab vno aliquo Præposito Prouinciali omnino administrari, multaque occurrant in dies in Seminarijs Anglicanis Societatis nostræ regimini commissis præstanda, quæ à Prouincialibus & Rectoribus (cùm eiusdem Nationis non sint) facilè sciri, aut commodè, & suo tempore præstari non possunt, (Eiusmodi sunt, Iuuenum idoneorum ex Anglia euocatio, & eorundem, cùm venerint, cognitio, & per Seminaria debita distributio, vel ab vno Seminario in aliud sanitatis aut studiorum causa commutatio, vel etiam dimissio, viaticorum limitatio vel dispensatio, missionum directio, mittendorumque institutio, aliaque plurima, quæ vt ritè ad Dei gloriam, Angliæque maiorem vtilitatem fiant, particularem rerum Anglicanarum notitiam atque solicitudinem requirunt) ideo præter eam curam atque Caritatem quam dicti Præpositi Prouinciales atque Seminariorum Rectores Anglicano operi promouendo adhibent, adiungendum etiam Patrem quendam Societatis nostræ, ex eadem Natione Anglicana, ad partem solicitudinis atque laboris duximus; ipsique ad meliorem Missionum ac Seminariorum administrationem (sicut in alijs Prouincijs immediatis Superioribus pro eisdem benè gubernandis concedere solemus) vices nostras committere; ex quo tam Prouinciales quàm Rectores, non solum lumen, sed auxilium quoque atque leuamen, multis in rebus accipient; eique sequentes Regulas, directionis causa, præscripsimus.

Primo itaque ad hunc Patrem (qui Missionum Præfectus nominari poterit) præcipuè pertinebit curare vt Iuuenes idonei ad Seminariorum institutionem ex Anglia, alijsque locis vicinis, suis temporibus euocentur, quò Seminarijs iustus Alumnorum numerus non desit, non obstante temporum difficultate, aut hæreticorum contrario conatu.

Hoc autem vt efficacius præstet, nosse debebit vias modosque quibus ante ipsum vsi sunt alij ad iuuenes Catholicos euocandos, certasque personas

quibus

quibus tutò fidere possit notas habebit, tum in Anglia, tum etiam in Scotia, 1596.
Hybernia, & Belgio, quarum ad hoc operâ secreto vtetur.

Aduentantes verò quoscunque iuuenes, siue à se vocatos, siue alia quacunque ratione accesserint, curabit siue per se, siue per alium Sacerdotem Anglum Societatis nostræ (ne fraus vlla, aut fictio lateat) diligenter examinari, iuxta formam hac de re præscriptam; idoneosque inuentos (adhibito Rectoris, & consultorum iudicio) admittendos curabit, eosdemque cùm opus fuerit, eadem ratione amouere poterit, obseruatis ijs quæ alibi de modo admittendi præscripta etiam sunt, & in Seminariis habentur; neque vllus Scholaris qui receptus fuerit in vllo Seminario, transibit ad aliud, neque in eo recipietur, nisi patentes literas Præfecti habuerit.

Diligenter studebit conseruare vnionem & amorem inter Seminaria, omnesque dissensionis, ac æmulationis, quantum in se fuerit, ansas maturè præscinder; æquum & indifferentem se præbebit in Alumnis dispertiendis, cæterisque rebus distribuendis, quæ vel ad honorem Collegij, vel commodum cuiusque Seminarij pertineant. Quod vero attinet ad cursus siue Artium siue Theologiæ, siue casuum conscientiæ incipiendos, ac numerum qualitatemq; Alumnorum illis applicandorũ in quolibet Seminario, ad Præfecti arbitrium iudiciumq; adhibito Rectoris ac Consultorum iudicio, nos remittimus. Quod si aliquando Rectores (vt fit) de viaticis persoluendis, vel de Alumnis inter se permutandis discrepent, ipse controuersiam cum amore dirimat; & intelligat hanc præcipuam esse officij sui partem, vt omnes difficultates quæ vel inter differentes nationes, vel domesticos, vel Alumnos, vel ipsos etiam Rectores oriri possunt, prudenter componat, admonito semper Prouinciali cùm aliquid maioris momenti acciderit.

Hic Missionum Præfectus à Præposito Generali assignabitur, cui in iis quæ ad vniuersale bonum Seminariorum, Angliæque reductionem spectant, immediatè subesse oportebit, cum ad nullum ea certum Prouincialem pertineant, neque ipse Præfectus certo aliquo in loco moram semper facere possit; si in Hispaniis est, aliquando Vallisoleti, aliquando Hispali, aliquando etiam in Curia Regia, pro negotiorum necessitate versandum erit. Dum tamen in aliqua Prouincia versabitur, Prouinciali eiusdem in omnibus quæ ad personam propriam, moresque, & ad ordinarium regimen disciplinamque Societatis pertinent subiicietur. Præcipua etiam negotia cum ipso communicabit, vt postea dicetur; ita tamen vt per eum impediri non possit in iis quæ ad officiũ suum pertinent, neq; in aliis occupari, nisi prius consulto Præposito Generali.

Rectoribus verò Seminariorum, dum apud eos morabitur, licet subiectus non sit, omnem tamen Reuerentiam eis debitam exibebit, primùm locum dabit, ipse secundum in Seminarijs habeat, & vtriusque Seminarij indigena censebitur. Regimen tamen Rectorum, aut gubernationem ordinariam nullo modo impediet; sed si aliquid momenti in Seminario emendandum videatur, priuatim cum Rectore, vel Prouinciali tractet; quod eâ

1596. prudentiâ & moderatione faciet, vt auctoritatem Rectoris apud Alumnos, vel apud domesticos, vel etiam externos, non imminuat; & querelis quidem domesticis (si quæ oriantur) non sè facile commisceat, sed ad Rectorem eas ordinariè remittat: Ipse vero vniuersalioribus Seminariorum commodis præcipuè insistat, & Rectores adiuuet, tum in pace Collegij conseruanda, disciplinaque & virtute, studijsque Alumnorum promouendis, tum etiam (vel maximè) in rebus temporalibus procurandis & negotijs expediendis, Missionibus faciendis, vt dictum est.

Has ipsas ob causas Rectores etiam libenter eum apud se in Seminarijs habebunt, quamdiu apud eos morari poterit, magnaque amoris significatione in omnibus tractabunt, consiliaque sua confidenter cum eo communicabunt, siue præsente, siue absente, neque facilè quidquam quod maioris momenti sit, ipso inconsulto, aut contra ipsius iudicium, vel ipsi vel Prouinciales facient in rebus Seminariorum & Alumnorum, nisi habito prius ad illud Præpositi Generalis consensu; præsertim in contractibus aut ædificijs faciendis, aut si quid mutandum, aut innouandum maioris momenti videatur eorum quæ antea facta, instituta, aut recepta in Seminarijs sunt, aut si aliquid de nouo inducendum; quod parcè quidem, & non nisi prius auditis Seminarij Consultoribus, ipsoque Præfecto Missionum assentiente faciendum erit; ad incommoda plurima quæ mutationes frequentes consequi solent euitanda.

In rebus autem temporalibus quæ ad Seminaria pertinent, & quas Præfectus maximè curare debebit, Rectores præter eam rationem, quàm semel quouis anno Prouincialibus reddere solent, efficere etiam debebunt vt sæpius cum Præfecto Missionum statum Collegiorum fidenter communicent, acceptique, & expensi (quoties ipsi videbitur) rationes ei significent vel explicent; quò maturius eorum necessitatibus, quantum in ipso fuerit, opem afferre possit. In sumptibus etiam faciendis vel moderandis libenter eius iudicium audient, & sequentur: Quod si non fecerint, ipse Prouincialem admonebit, quo remedium efficax adhibeatur.

Cum tam Seminariorum, quàm totius causæ Anglicanæ sustentandæ firmamentum Regio fauore præcipuè nitatur, eiusque rei gratia sæpius ad Aulam recurrendum sit, videbit Præfectus Missionum si vel ipse vel suo nomine Procurator aliquis pro Natione Anglicana, per Generalem Societatis approbatus, apud Curiam tam in Hispania, quàm in Belgio residere debeat. Is autem omissis, quantum fieri potest, particularium hominum negotijs, (quanquam etiam eorum necessitatibus caritas aliquando negari non debet) communia tractet, quæ ad totius causæ Catholicæ, & Seminariorum præcipuè, vtilitatem spectent, eaque cum Prouinciali, dum aderit, quantum ei licebit & rerum ipsarum conditio postulauerit, communicabit, eiusque iudicium in exequendis, quoad poterit, sequetur.

Expensæ vero quas Procurator, vel ipse etiam Præfectus necessario facient, tum

tum pro se, tum etiam pro literis quæ ex varijs locis deferuntur, cùm ad com- 1596.
mune bonum Seminariorum pertineant, sumptus etiam itinerum quæ Seminariorum causa facturus est Præfectus Missionum, ipsius distribuendi erunt iudicio in Seminaria, si aliunde non suppetat; curabit tamen vt quàm minimè fieri potest Seminaria hinc grauentur; & Rectores ex alia parte ad id quod iustum est & necessarium facilè beneuoleque se accommodabunt, nec respicient solummodo bonum particulare cuiusque Seminarij, sed vniuersale potius totius causæ Catholicæ quam tuentur, & ad quod sunt instituta Seminaria.

Mutatio Alumnorum de vno Seminario ad aliud ob rationes studiorum, aut valetudinis aliaue de causa ad hunc ipsum Præfectum Missionum pertinebit, auditis Rectoribus & consultoribus Seminariorũ, quando opus fuerit. Quod idem de Anglis Societatis intelligitur qui in Seminarijs viuunt, consultis prius Prouincialibus Prouinciarum è quibus euocantur, & ad quas destinantur. Et quia Seminarium Anglorum Audomarense quod est in Belgio, institutionis suæ proposito Hispanicis subordinatum intelligitur, hanc ipsam facultatem & assistentiam habeat Præfectus Missionum in illud etiam Seminarium Audomarense, viceque suas absens alicui Sacerdoti Anglo Societatis nostræ (Præpositi Generalis approbatione) committere poterit, qui in omnibus se habeat cum Rectore Audomarensi, & Rector cum eo, vt hic supra explicatum est; Præfectoque Missionum qui in Hispanijs vel alibi fuerit, rationem reddet frequenter, de rebus quæ ad illud Seminarium pertinent, & iste de omnibus ad Præpositum Generalem, vt sic maiori vnione & robore causa Religionis Catholicæ per Seminaria promoueatur. Atque hæc eadem qnæ de vice-Prefectis in Hispania & Belgio commorantibus dicta sunt, erunt in omnibus etiam intelligenda de Superiore nostrorum in Anglia, & de Rectore & Superiore, aut Magistro Nouitiorum, domusque probationis, in Belgio commorantibus, vt per omnia eadem vbique subordinatio teneatur.

Hac etiam de causa licebit Præfecto ex eleemosynis quas ipse procurauerit, vel alijs nonnullis aliquando in Anglos Catholicos qui transierint (si egentes sint) distribuere, prout in Conscientia videbitur ei expedire; Et quando eleemosynæ extraordinariæ non se obtulerint, poterit ex ordinarijs Seminariorum redditibus aliquid excerpere, sicut etiam pro viaticis Patrum Societatis qui mittuntur in Angliam, vel euocantur ex Flandria, Italia, alijsque locis, cùm hæc omnia ad commune causæ Catholicæ tuendæ bonum pertineant, atque ad hos ipsos vsus generales poterit nonnullas pecunias aliquando etiam deputare, vel apud se retinere, aut suo iudicio distribuere, præsertim earum eleemosynarum quæ suo arbitrio ab elargientibus permittuntur.

Ex Seminario Audomarensi, cùm ei videbitur, euocabit Alumnos quos iudicauerit idoneos ad Seminaria Hispaniæ, neque reclamabunt ij qui Audomari præsunt, neque aliò iuuenes amandabunt sine Præfecti ipsius expressa

1596. voluntate, eo quod hæc fuerit Regis Catholici in fundando Seminario Audomarensi, eorumque qui negotium solicitarunt ac promouerunt intentio præcipua vt in illo Seminario Seminariis Hispanicis soboles idonea pararetur, quæ suis temporibus in Hispaniam mitteretur. Quoad viatica quæ ad iter Hispanicum erunt necessaria Præfectus statuet quid quantumque Seminario Audomarensi, ex quo egrediuntur, quidue aliis Seminariis, ad quæ scholares proficiscuntur, erit imponendum.

Ad maiorem autem Nationum diuersarum vnionem, notitiamque tum rerum tum personarum, & vt maiori luce, suauitate, & amore procedatur cum Alumnis, curabit Præfectus Missionum, quantum fieri potest, vt Sacerdotes aliqui Societatis ex gente Anglicana, qui boni exempli probataque virtutis sunt, in quolibet Seminario collocentur, vt paratiores inde ad Missiones Anglicanas exeant; quod vt commodius & suo tempore fiat, aget Præfectus opportunè cum Præposito Generali de personis quæ maximè ei videbuntur idoneæ. Ad infirmorum etiam curam, aliaque similia Seminariorum ministeria, in quibus Societatis caritas cum Alumnis exercenda est, si qui eiusdem Nationis Anglicanæ Coadiutores Societatis idonei, probataque virtutis fuerint in Prouincijs, qui linguam, mores, & necessitates Alumnorum intelligant, ipsisque benignè ac solicitè prospecturi censeantur, inter cæteros Coadiutores qui Seminariorum res temporales tractant, ad ipsa Seminaria sunt vocandi; nusquam enim Deo & Societati magis seruire, neque vtilius operam suam præstare poterunt; Aget igitur cum Præposito Prouinciali Prouinciæ vbi situm est Seminarium his de rebus, id est, de subditis aptis procurandis; qui eum libenter audiet benigneque ac maturè prospiciet Seminariorum necessitatibus, cùm plurimum referat, tum ad diuinam gloriam, tum ad honorem & æstimationem Societatis vt Seminaria rectè, & per homines idoneos administrentur.

Cum Residentiæ Sacerdotum Anglorum apud Ciuitates Lucarensem & Vlyssiponensem in Bætica & Lusitania, his annis institutæ, ad Missiones Anglicanas valde sint necessariæ atque etiam opportunæ, neque vlli tamen ex Seminarijs Hispanicis subsint, sed omnium Missionibus inseruiant, ad Præfectum Missionum pertinebit eisdem prospicere, & de Sacerdotibus idoneis maturè prouidere, eosdemque iterum amouere, & ad Missiones destinare, vel ad Seminaria reuocare, cum opus fuerit, prout ad maiorem Dei gloriam, ipsorumque vtilitatem expedire iudicabit.

Eiusmodi autem Missionum Præfectus, tum Alumnorum, dum sub nostra cura sunt, tum Religiosorum Societatis Nationis Anglicanæ, qui huic Missioni destinati iam fuerint, & in Prouinciæ huius rebus tractandis, & administrandis, siue in Anglia, siue extra Angliam in Seminarijs, Residentijs, vel alibi quocunque modo, in rebus eiusdem Missionis occupantur, Superior censebitur, ipsisque concedere poterit ea omnia quæ sedis Apostolicæ auctoritate nobis concessa, immediatis aliarum Prouinciarum Præpositis ac Superioribus administranda

ministranda & dispensanda commisimus: Ita tamen vt Rectoribus etiam & 1596.
Præpositis Prouincialibus earum Prouinciarum vbi extra Angliam victuri sunt, in cæteris quæ ad communem disciplinam spectant subijciantur.

Quæ vero in his regulis Præfecto missionum pro bona earundem ac Seminariorum administratione committenda & concedenda duximus, hæc eadem intelligantur ordinata & concessa eis qui (nostra vel successorum nostrorum auctoritate & mandato) dictarum Missionum immediatam curam ac solicitudinem, nostrasque ac dicti Præfecti vices gesserint in Prouincijs in quibus ipsemet Præfectus adesse non poterit, cum subordinatione tamen ad Præfectum in his quæ ad huiusmodi Missiones & Seminaria spectant, iuxta instructiones particulares hac ipsa de re à nobis vnà cum hisce regulis datas: Quas Præfectus vicissim obseruabit cum subordinatis, omni confidentia ipsorum consilio & per ipsos tractando, & executioni mandando quæ in Prouinciis circa Missiones & Seminaria agenda sunt, ipsorumq; bonam opinionē conseruando tum apud externos, tum apud nostros, maximè verò ipsis subditos, vt sic vndique maiori lumine, ordine, & vnione procedatur. Omnes vero, tum ipse Præfectus, tum qui in Prouinciis eius vices gerunt, in his quæ ad ipsorum personas, mores, & ad ordinariam disciplinam Societatis spectant, vti superius dictum est, Præpositis Prouincialibus subiecti erunt.

Initio autem cuiusque Anni mittent Rectores ad Vice-Præfectos Catalogos omnium scholarium cuiusque Seminarij & eorum qui sunt nostræ Societatis nationis Anglicanæ in ijsdem Seminariis, cum notis ætatis, classis, studiorum, talentorum ac conditionis, more Societatis, & ipsi, adhibito suo iudicio, si quid obseruandum fuerit, eosdem mittent ad Præfectum: Breuem etiam summam status tam temporalis quàm spiritualis cuiusque Seminarij ad eundem perscribant, eaq; omnia foliis separatis, vt libro qui de vnoquoq; Collegio hic asseruabitur, inseri possint, & notitia inde peti quādo opuserit. Quot etiam Scholaribus indigebunt in quolibet Seminario, quotq; habeant Sacerdotes paratos vt mittantur in Angliam, nomina etiam eorum, qualitates, & talenta, foliis separatis scripta vt asseruentur. Fabricas vero neq; ipsi instituant, neq;. Rectores instituere (præsertim ex Collegiorū sumptibus) neq; contractus maioris momenti inire (maximè si es alienum contrahendum, vel bona Seminariorum oppigneranda sint) nisi consulto prius Præfecto sinant. Scribant præterea Rectores, ac reliqui Patres, præsertim Nationis Anglicanæ, Latinè initio cuiusque Anni ad eundem Præfectum Missionum (præter ea quæ Rectores & consultores Collegiorum ad nos scribere tenentur) breuem relationem eorum quæ præcipuè apud eos anno proximè elapso acciderunt, quæq; ipsis videbuntur necessaria, vt nobis etiam, si opus fuerit, ostendantur. Atque hæc sunt quæ de his in præsentia admonenda atque ordinanda duximus; quæcunque vero à nobis prius circa hoc Præfecti officium, variis temporibus ordinata sunt, his regulis expressa & declarata intelligantur: cæteta tempus atque vsus docebit: Interim verò hæc tam Præfecto

1597. Missionum, ipsíque qui eius vicem in Prouinciis gerunt, quàm Rectoribus atque Prouincialibus obseruanda commendamus, à quibus animari atque paternè iuuari eos qui Missionis huius curam gerunt in tanto onere perferendo, ad Dei gloriam, cupimus, Seminarijsque & Catholicorum Anglorum causæ, qui pro fidei Confessione tot & tanta pertulere, omnem à nostris impendi caritatem quam possunt exoptamus. Datum Tiburi. Die 15. Maij Anno Domini 1606. *Claudius Aquauiua.*

Regulæ seminariorũ.

X. His præsidijs munitus *Personius* sedulam nauabat operam Missioni promouendæ augendæque, præcipuo studio paci conseruandæ inuigilans, nè quâ turbulentorum hominum importunitate aut acerbitate animorum cõmunis causæ amplificandæ desiderium intepesceret: Ac in primis impetrauit vt rescripto Pontificio firmarentur cõmendarenturque Alumnorum diligẽtiæ Regulæ Seminariorũ, addita pœnarũ remissione ijs qui certos dies festos peculiari pietate venerarentur. Tum piarum librorum meditationum vocationi ac instituto Seminariorum accommodatarum cuique studiosorum cubiculo curauit attribui, quibus se cùm primum surgerent exercerent. *Pietas* enim cùm *ad omnia vtilis sit*, secundùm Apostolum, tum præsertim *amorem fraternitatis* parit & *in Deum Charitatem*, quemadmodũ monet Petrus. Deinde vt *Barreto* Seminarij Duaceni Præsidi defuncto substitueretur *Thomas VVorthingtonus*, homo Societati coniunctissimus, alijque adiungerentur pacis amantes, ab dissidiis verò factionibusque per-quàm alieni. Adderetur præterea è Societate vir grauis qui in Collegio Patrum diuersans, quot hebdomadis adiret Seminarium illud, adolescentum confessiones excepturus, & quâ hortatione, quâ consilio dissidia in primo confestim ortu oppressurus.

1. Tim. 4 8. 2. Pet. 1. 7.

Typographia Audomari erecta

Postremò, vt suæ gentis hominibus in promptu esset librorum copia, tum ad alendã pietatem, tum ad Hæreticorum deliria detegenda, comparatum Audomari prælum cum omni necessario instrumento, commisit pio Sacerdoti *Ioanni VVilsono* (qui illi fuerat Romæ Amanuensis) vt quos accepisset libros in lucem ederet. Cautumq; fuit more Prouinciarum Societatis vt Censores constituerentur qui scriptos primùm viderent, suumque de iis iudicium Romam perscriberent; vt veritas argumentis solidis elucidaretur, abstineretur dicteriis, ac præcipuè ab omni rerum publicarum inconsulta tractatione, quâ Regum Magnatorumue animis exacerbatis Religio detrimentum pateretur. Primisque annis, cùm huius temporis Hæreticorum peruersitas, ex odio aduersus sedem Apostolicam trahens originem, nullum non moueret lapidem quo Romani Pontificis dignitatem pessundaret & tolleret venerationem; atque nè Romanis tantum debere videretur Anglia quantum passim Catholici prædicabant, quidam inter ipsos scioli conarentur primam fidem in hanc Insulam non Româ sed ex Græcia deriuare; hæc fabula quàm esset inanis ostendit *Personius*, contextâ historiâ Angliæ ter conuersæ ad eos ritus quos semper Catholica Romana Ecclesia coluit, coletque semper, primùm videlicet sub Apostolis Petro & Paulo; secundo, sub Eleutherio Pontifice,

Liber triũ Couersionum Angliæ.

missis

missis Roma Fugatio & Damiano ad Lucium Regem; Tertio sub Magno Gregorio destinatis Augustino & Sociis ad Ethelbertum; simulque demonstrat eandem fidem Ritusque eosdem propagatos vsurpatosque ad hunc vsque diem, neque Pelagianorum astutiâ, neque VVicklefistarum recentiorumue absurditatibus, neque persecutionum vllâ violentiâ aboleri potuisse; Errores denique si qui irruperunt, nullo nexu, nulla successione coaluisse, iunctaque deinde confutatione Calendarij seu indicis quem *Ioannes Foxius* pridem confecerat, vt suorum Hæreticorum contumaciam constantiæ Catholicorum Martyrum coæquaret, opus exegit absolutissimum, cui nemo aduersariorum quidquam reponere ausus est. Nullus fere abijt annus quo vel ab ipso conscriptus, vel ab alijs de ipsius sententia liber aliquis non prodierit, magno Catholicorum emolumento, heterodoxorum confusione & dolore. Et hæc quidem foris agebantur quò & volentium mentes sanari possent, & ab innoxijs impendentia mala remouerentur. In Anglia vero non minus strenuè à nostris desudatum est. 1599.

XI. *Personio* in Hilpanias cogitante anno post octogesimum octauo, destinatus in illam vineam fuerat cum *Odoardo Oldcorno Ioannes Gerardi*. Hic in comitatu Lancastrensi Catholicis ac Nobilibus ortus parentibus, quindecim annorum puer studia inchoauerat Oxonij, sed cùm Cœnæ Caluinisticæ particeps esse nollet in Paschate, relictâ Academiâ, & domi aliquamdiu institutus, transmiserat in Gallias, Rhemisque multa de Societate *Iesu* audierat narrante quodam valetudinis causâ Româ dimisso; itaque concessit Lutetiam Parisiorum, tum de hac viuendi ratione plura vt disceret, tum vt Latinæ Linguæ studio diligentiori Philosophica in Collegio Claromontano coniungeret. Primo statim anno morbo graui afflictus, vbi conualuit proficiscitur cum *Thoma Darbishier* (quo vtebatur Directore) Rhotomagum ad *Personium*, aperitque ardens quo flagrabat Societatis ingrediendæ desiderium. *Personius* laudato pio adolescentis animo, suadet valetudini confirmandæ & rebus cum amicis componendis natiuum solum paulisper reuisat. Ioannis Gerardi initia. Hic est qui in Belgio Ioannes Tomsonus vocabatur.

Paret: Anno euoluto cùm rediret, quinque dierum passus iactationem, ventorum vi illatus Dorobernium, ductusque Londinum, Auunculo primum Hæretico, tum Episcopo Londinensi datur peruentendus; reque ad Senatum Regium delata (quod illi operam perderent) summo Tribuno militum traditur in custodiam. Anno altero octingentorum aureorum impositâ mulctâ liber nauigat & Romam contendit cum *Guilielmo Holto*, recenti ex Scotia, futuro Seminarij de vrbe Rectore; Huius, & *Personij* consilio (ad tempus prætermisso de Societate ineunda conatu) ad Sacerdotium celerrimè propter aduersum valetudini Cœlum se disponit, auditis quæ de Conscientia dirigenda traduntur quæstionibus. In Angliâ tendit Sacerdos.

1597. Nè verò eorum esset inexpertus per quæ Societatis tyrones probantur, seruiebat per interualla in culina Seminarij, Xenodochia inuisebat, & humiliora alia, nonnullis adiunctis similis propositi socijs, obibat. Tum paulò antequam Classis Hispanica aduersus Angliam solueret, Cardinalis *Alani* auctoritatem secutus, *Claudio* etiam *Aquauiua* consentiente, iter occæpit; ab hoc in Societatem admissus die altero post idus sextiles. Basileæ Sacerdoti Apostatæ origine Lotharingo suasit vt omissa pellice, & illicito cui incumbebat lucro, ad rectam se reciperet vitæ semitam, tulitque quas scripsit veniæ deprecatorias literas ad Episcopum. Præteritis silentio Rhemis atque Parisijs, Augium delatus, quanquam liberum ei fuit per *Aquauiuam* & *Personium* in eo iuuenum conuictu præstolari quietiora tempora, conductà naui cum *Oldcorno*, & duobus è Rhemensi Seminario Sacerdotibus, (claris deinde in Septentrione Martyribus) nocte pluuiâ sub finem Octobris exscendit; & seiunctus à socijs, Aucupem simulans deperditum quæritantem accipitrem, vitatis per auia excubijs, Dei prouida bonitate difficile iter administrante, peruenit Nordouicum, acceptaque ab nobili Catholico veste noua, & equo, Londinum progressus tradidit se *Henrico Garnetto* nostrorum Superiori erudiendum. Quo in primo itinere non suâ solius industriâ *Gerardus* discrimini ereptus est, sed consuetâ huiusmodi in periculis de Cœlo protectione adiutus defensusque. Post noctem enim illam primam per agros ductam in pluuia & frigore Autumnali insomnem, & diei sequentis errando toleratam famem, altero die non procul Nordouico sistitur Toparchæ examinandus; Is forte in Templo concioni intererat, iubetque introduci *Gerardum*; Eo recusante; Quid? inquiunt, non vis Dei Verbum audire? non est hæc ad gratiam tibi conciliandam via; ingredere: Persistente *Gerardo*, egreditur tandem dimissa concione Toparcha commotior; & vultu seuero, vnde, inquit, tu? & cuius rei gratia? Respondet *Gerardus* quæ opportuna videbantur ad fidem faciendam, aliâ de causâ se eo loci non esse quàm vt aberrantem Domini sui accipitrem indagaret: At ille multa de domicilio, multa de conditione viuendi interrogans, ad Irenarcham perducendum decernit.

Dei prouidentiâ eua. dit.

Et quidem si necessarium id esset, non grauatè iturum se fingebat *Gerardus*; diuturnam tamen suam à domo absentiam festinatione egere potius, quàm hac mora; gratam rem facturum Toparcham si absque grauiore molestia abire sineret; esse enimuerò tempora per se suspiciosa, sibi tamen nihil suspicionis adhærere meritò posse rectâ Nordouicum proficiscenti. Cui, cùm fixis eum oculis lustrasset vndequaque Toparcha, mutatâ repentè sententiâ, "vade, inquit, in nomine Domini, viri honesti speciem præferenti nolo grauior esse.) Hic primus ad securitatem gradus. Abeuntem præcedebat eques cum onere, quem cùm properando assequi non posset accidit vt decidente onere assequeretur. Ab hoc rursus plura expiscatus

est quæ

est quæ vsui fuissent si iterum in Excubias incidisset; edoctusque præterea ab eodem est de hospitio opportuno non procul à porta ciuitatis. In illud hospitium post aliquantam temporis morulam ingreditur antiquæ fidei Catholicus, qui & multa Religionis causâ in vicino carcere sustinuerat, & dux fuit *Gerardo* ad Nobilem illum à quo vestem primam equumque accepit, vt Londinum veheretur. Ita incertum itineris nostrum hominem (vt qui illas Angliæ oras nunquam aspexerat) direxit Deus ad metam messemque quam primam à *Gerardo* colendam destinarat. 1597.

Primi fructus post excentionem

Ad festa enim Natalitia reuersus in Norfolciam, eius à quo primum exceptus fuerat domo fratrem, sororesque duas Catholicis adiunxit. In vtrisque accidit quidpiam memoriâ dignum. Nam alteri à puerperio grauiter laboranti, & à medicis desperatæ, cùm facta esset spes Sacrosancto viatico & vnctione extremâ munitæ reddi posse sanitatem, eâ Sacramentorum virtute intra horæ medium secutâ, non illa solum in fide quam recenter susceperat confirmata est, sed inexpectata salus admirabundum maritum re cognitâ impulit vt & ipse fidem Catholicam amplecteretur. Alteri de via ad Cælum inter tot sectas securâ solicitæ, Doctor ex Cantabrigiensi Academia celebris quanquam Acatholicus cùm seriò rogaretur, occultè in aurem dixerat viuere illam posse quidem iucundius in ea Religione quam Regina, & in Anglia plerique profitebantur, at si salua esse æternum vellet Catholicè moreretur. Prouida mulier *Gerardi* consilio, rem eius momenti non existimauit in horam tam incertam differendam, ne quod Doctori deinde contigit, serius experiretur Dei iustam indignationem. Is enim præcognitam postponens salutis viam, cum aliquando opipare apud PseudoEpiscopum cænasset, subito sublatus aberrauit à termino quem mulieri verè dixerat futurum salutarem. Capita deinde familiarum his in Regionibus supra viginti Ecclesiæ gremio reddidit: Inferioris conditionis quam plurimos. Apertâ tamen, quâ in ea domo vti necesse erat, & omnium horis, omnium aditibus & studiis obnoxiam viuendi rationem pertæsus, opportunè incidit in nobilem iuuenem magnarũ possessionum heredem, qui cum per exercitia spiritualia pie viuendi proposita concepisset, vt à quo initia acceperat huic reliqua deberentur, à *Garnetto* obtinuit vti apud se *Gerardus* habitaret. Traditâ igitur prioris Missionis curâ alteri Sacerdoti, isthic & horæ illi fuere certiores, & studia ordinata, & per interualla excursiones. Inter quæ per eadem rerum spiritualium commentationes (quarum erat *Gerardus* diligentissimus cultor & administrator accuratissimus) peperit Societati *Thomam Euerardi*, & *Guilielmum Starkey*, & *Robertum Standish*. Hi duo sub his nominibus, quanquam fratres vterini, latere cupientes, Romam profecti, admissi sunt septimo calendas Iunias: & *Robertus* quidem anno Tyrocinij vno non expleto ad Angelorum Societatem euocatus est, vnius & viginti annorum Iuuenis optimæ spei; *Guilielmus*, postquam humanioribus & Philosophicis dedisset operam Cantabrigiæ, ac nouem deinde annos Iuris prudentiæ, agro locupleti diuendito

Doctor Pearne.

Eius industria in tradendis Exercitijs.

Guiliel. & Robertus VViseman.

1597. uendito, & mille librarum nostratium pecuniâ *Garnetto* donatâ, exacto tyrocinij tempore studiis incumbens in Collegio nostrorum de vrbe, nè tabe periret missus in Belgium, vim morbi superare non potuit, defunctusque est Audomari, non minore pietatis laude quàm omnium dolore.

Thomas Euerardi. *Thomas Euerardi* non dissimili morbo tactus, eluctatus est tamen, & pluribus annis Minister, & Procurator fuit Audomari & Watenis; tum Louanij Magistro Nouitiorum Socius, & demum in Anglia annis iam grauis Apostolico ritu Norfolciam pedestribus itineribus peragrans, ætatem laboribus confirmatam protractamque ad annos septuagesimo maiores sancto clausit fine, Coadiutor formatus ab anno sexcentesimo tertio-decimo, carcerum subinde & exilij incommoda perpessus. Posterioribus vitæ annis, cum crurum, brachiorum, oculorum debilitate vix legere posset aut ingredi, nec domi haberet quibuscum versaretur, solitudinem suam perpetua Rosarij aliarumque precum ac potissimum Psalterij *Iesu* (quod à puero semper vsurpauit) repetitione solabatur. Reliquam vitam quæ ei à laboribus vacua esse poterat, in transferendis ex variis linguis pios tractatus impendit, quorum syllabum sat longum cum noster Alegambe texuerit, plures tamen supersunt qui lucem hactenus non viderunt: Denique cùm omnium vitiorum, tum otij desidiæque quàm maximè fuerat inimicus.

Ioannes Plorat. In ijs verò qui spiritualibus commentationibus exerciti vitam quidem in melius commutarunt, viuendi conditionem retinuerunt, vnus ad penultimum vsque diem nihil sensit singulare quod intellectum afficeret aut voluntatem. Eo die, tanta est illi oborta vis lachrimarum, vt ne inter negotia quidem cohibere eas posset, nec cuiquam in dies plurimos loqui sine lachrymis: vnde inter familiares adhæsit illi nomen *Ioannis Plorat:* Nimirum voluit Deus perseuerantiam in incepto commendare, & remunerari patientiam. *Starkei* etiam frater, qui familiam fortunis & numero opulentam ducebat, ijsdem se exercitationibus tradidit excolendum, auctore fratre, Gerardo instructore, fructu in annos plures deriuato: Nam mixtam Catholicis & Hæreticis domum liberauit ab Acatholicis, quod fuit securitatis & quietis; atque ad pietatem augendam Sacerdoti antiquo, quem hactenus aluerat, adiunxit *Gerardum* ipsum contubernalem. Etenim priore hospite ad *Garnettum* euocato, hîc tertiam fixit *Gerardus* sedem, vt Londino viciniorem, ita Societatis officijs opportuniorem; in eamque induxit Sacramentorum concionumque frequentiam, orationis etiam quæ mente peragitur, examinum, & lectionis spiritualis vsum quam super mensa quandoque audire non pigebat; quæ vt diuturniora essent atque à periculo liberiora, extra domesticos, non omnibus se faciebat communem, sed præcipuis quibusque Catholicis, & ijs quos ipsi habebant necessarios: Non defuere nihilominus occasiones alios conciliandi Ecclesiæ, alios meditationibus sanctis poliendi, alios transmare ad studia, alios ad Religiosas domus mittendi; ad alios denique confirmandos in dissitas Londino regiones proficiscendi; vnde Northumbriæ Comitis filiam secundogenitam Bruxellas transmisit, quæ deinde initium

tium dedit Monasterio Anglarum in ea vrbe ordinis S. Benedicti. Statis etiam temporibus *Garnettum* conueniebat votorum renouandorum, atque reddendæ rationis conscientiæ causâ; quo officio plurimum se iuuari affirmabat: cùm enim diuino planè consilio à Sancto Patre nostro *Ignatio* prouisum sit, propulsandorum periculorum gratiâ quæ in spirituali militia sunt plurima, vt nihil eorum quæ aguntur aut cogitantur à subditis Superiori occultum sit: feruoris verò inter multiplices distractiones conseruandi studio, ea quæ ad Religiosæ vitæ perfectionem sanctè Deo vouimus, & animo & voce coram testibus bis quotannis repetantur; Hæc à constituta Missione duo summo in pretio semper habita sunt, & prudenter vitatis periculis, quæ huiusmodi congressus sequi solent, constanter sunt vsurpata. Nec tamen semper sine discrimine congredi licuit. Narrat *Gerardus* se nonum vel decimum apud *Garnettum* conuenisse, cùm incidit quæstio quid quisque agendum censeret si inopinantibus importuni perquisitores superuenirent? Tum *Garnettus*, Ad peractam vsque votorum renouationem, "Ego, inquit, præstabo securitatem, tum consulat sibi quisque vt poterit.) Eâ peracta confestim discessere aliquot; manere cum *Gerardo* cæteri die postero profecturi. Vix dum illuxerat, tunduntur acriter portæ, vi conantur irrumpere quatuor pessimi perquisitores; *Robertus Southwellus* operari sacris occeperat; clamore incondito admonitus exuit se ocius vestibus sacris, detrahit Altari ornamenta; libros & apparatum omnium nostrum qui itineri seruiebat, se cum reliquis, cum duobus etiam Sacerdotibus secularibus qui de nocte venerant, & alijs duobus Catholicis, abdit sub terra in specum his euentibus paratam: Quatuor horas durauit inquisitio, tum pecuniâ ad vexationem redimendam numeratâ discèditur; redeunt nostri ad lucem & proficiscuntur.

1597. Votorum renouatio; & conscientiæ ratio reddita; quo fructu.

Vide de ea re Epist. Sotueli l. 5. n. 19.

Famuli nequitiâ quæritur Gerardus.

XII. Neque domi suæ perpetuò securo esse datum est *Gerardo*. Inter famulantes Catholicos vno Acatholico familiæ Dominus vtebatur plurimum, vel quoniam ab antiquo seruierat, vel quia gnauus erat & vtilis. Hic incertum an heri bonis inhians, an *Gerardo* priuatim iratus (Heri damno periculouè posthabito) insidias *Gerardo* struere cùm decreuisset, adit Londini Irenarchâ Young, veterem Catholicorum vexatorem; narrat de tribus præcipuè ædibus *Gerardo* familiaribus, vnis Londini, binis ruri, quæ tres ad Dominum suum, eiusque matrem pertinerent. Mittuntur confestim à Senatu Regio mandata: Londini non reperto *Gerardo* (fortè enim *Garnetti* iussu migrauerat aliò) curritur ad Matrem: abripitur illa in custodiam; filius de via sistitur, & datur in vincula. Tertijs interim in ædibus apud filij coniugem *Gerardus* hebdomadæ maioris officia peregerat, famuloque huc-vsque à suspicione immuni vltro citroque commeanti cum literis opportunitas fuit indicia ferendi certiora. Altera Paschatis aduolant matutino tempore duo in eo comitatu præcipui Irenarchæ, iunctis duobus domesticarum latebrarum peritis perquisitoribus: Monitus *Gerardus* abdit se inter parietes perfugio paratos: Illi clausis in certa cubicula cum Domina famulis, totam pro libito lu-

1598. strant inuertuntque domum, metiuntur parietes, perfringunt suspecta. Fessi Irenarchæ duorum dierum irrito conatu, mandant duci Londinum Dominam cum famulis, & abeunt, relictis paucis cum proditore hæreticis. Hunc etiam nunc integrum à suspicione, Domina abducenda domo vocatum docet de conclaui vbi *Gerardus* latebat: Iubet cùm cæteri discesserint, eo conscendat, vocatumque de nomine moneat tutò posse domo vacuâ prodire; Is quia latere diu suam volebat nequitiam, neglectis Dominæ consiliis reuocat cautè Irenarchas, docet de conclaui, aliud nihil: diem alterum frustra impendunt: Nocturnæ illius diei vigiliæ transigendæ luculentus ignis accenditur in eo camino sub quo *Gerardus*: Vi caloris scinditur pauimentum, decidunt carbones penè in caput orantis: aduertunt vitium administri neque tamen suffodiunt: Quarto die incidunt in vicino conclaui in aliud latibulum, in quo cùm *Gerardus* non esset, re desperatâ abeunt, relictâ Dominâ domus contra quàm antea statuerant. Illa quæ seuerâ sibi indicta abstinentiâ quadriduò nihil sumpserat, vt in se experiretur quantum famis alter tolerare viuus posset, vt primùm per absentiam molestorum hominum licuit conscendit, euocat *Gerardum* quatriduano ieiunio, vigiliâ, loci angustijs, longaque sessione emarcidum (nam extra panis biscocti pauxillum, & paululum Cotoneati nihil in antrum illatum fuerat) adstat proditor, tegitque officijs maleuolum animum. *Gerardus* cibo aliquantulum somnoque restitutus summo mane semigrat: Non multo post tempore conductâ Londini domo alterâ, vtitur ad commercium literarum cum veteribus amicis hoc ipso proditore internuntio: scribit, præstolatur responsum: Nocte media irruunt noui homines; *Gerardum* vix è somno vigilem comprehendunt; compingitur in Computorij arctum graueolensque ergastulum; adduntur ferrei compedes, quos osculo salutatos amanter complexus est; secundò tertioque examinatus, respondit scripto quis esset, à quibus, & cuius rei gratia missus; conatum esse homines ad agnitionem & amorem Creatoris inducere; docuisse obedientiam diuinis atque humanis legibus propter conscientiam; abstinuisse rebus publicis; in Belgio fuisse nunquam; *Holtum* nisi cum Romæ esset non vidisse, neq; Stanleyum postquam is sub Leicestrio militaturus discessit Anglia; Quemadmodũ hæc, sic alia quæcunq; ad se pertinerent clarè enuntiaturum; rogare verò nè peruersitati aut obstinationi tribuatur, si ea quæ notos sibi Catholicos familiaresue contingunt silentio premat; neque enim iustitiæ, neque Charitatis esse huiusmodi propalare. Inter quæ cum multa illi obijcerentur, & sermones eius aliqui ab Examinatoribus memorarentur quos extra famulum illum, hactenus existimatum fidum, nemo audierat, nemo referre poterat, & præterea adhiberetur ille testis vestium quæ domi heri sui ad *Gerardum* pertinerent; intellectum est quo prodente hæc tota tragædia ad catastrophen deducta esset, quæ tamen *Gerardo* glorioſior, plurimis vtilior extitit, quàm si ruri nactus fuisset securitatem diuturniorem.

Demũ capitur.

Fructus Carceris.

XIII. Nam computorij molestias ad tres menses passo amicorum pecuniâ

niâ impetratum est vt ad Atrium Wintonienſe transferretur, ſortituſq́; Commentarienſem facilem, nihil eorum quæ ruri peregerat hîc omiſit. Alijs fidei ianuam, aliis Religionis portum aperuit; Sacerdotibus in Inſulam recentibus diſtribuit habitationes; ſuuenes complures tranſmiſit ad Seminaria, tantamq́ue meſſem collegit, vt præoptaret in illo carcere quàm alibi per Angliam vitam reliquam ducere. Etenim præter eam quam carcer præbebat opportunitatem pluribus benefaciendi (cùm facillimus cuiuis daretur acceſſus ad alloquium) ex eleemoſynis quæ copioſè ſuppeditabantur, conduxit in ciuitate domum recipiendis ſuoq́ue ipſius frequenter ſumptu alendis Sacerdotibus; Ei domui curandæ præfectam habuit honeſtam & piam viduam *Annam Line*; cuius demum diligentiæ in miniſtrando præmium fuit vitam fidei & Religionis cauſâ cum ijs ponere quorum ſumma eſt gloria vitam hanc (cuiuſmodicunque ea ſit) fidei Religioniq́ue tuendæ poſthabere. Poſt trien- Annæ linæ Martyrĩ.
nij namque curas, Purificationis Beatiſſimæ Virginis Feſto die, cùm ad Cereorum benedictionem cuncta eſſent parata, irrumpentibus ex improuiſo perquiſitoribus, & Sacerdote ſolerter elapſo ad latebras, illa ducitur ad nouam Portam, tam infirma corpore vt vtrimque eſſet ſuſtinenda, tam animo conſtans vt plus Sacerdotis ſalute quam ſuo periculo tangeretur. Addita ad corporis ægritudinem carceris moleſtia eò illam paucis diebus deduxerat infirmitatis, vt lecto affixam vnà nox vigeſies ablatura videretur. At ſeruauit illam Deus vt & ſuam potentiam in infirmiori ſexu oſtenderet, & immites iudicum noſtrorum animos orbi vniuerſo proponeret ſuſpiciendos. Eius menſis die vigeſimo quinto (etſi retulerat Commentarienſis eam præ debilitate non poſſe pedibus inſiſtere) iuſſa in ſedili vehi ad tribunal, eo maiori cum mentis lætitia ſententiam mortis accepit, quod illo ſolo nomine ferretur, quia Sacerdotem domo accepiſſet. Biduo poſt in carrucam impoſita, optans pro vno potuiſſe ſe mille Sacerdotes recepiſſe domo, fatale lignum oſculata, & ſalutari Crucis ſigno ſe muniens, reſte intercluſo ſpiritu piam efflauit animam. Sacerdos qui Franciſci
iſtâ præhenſâ euaſerat, erat *Franciſcus Pagius*, is qui deinde Tyro in Societate Page initia
veterani militis coronam ſanguine pro Chriſto *Ieſu* fuſo conſecutus eſt. Honeſto loco natus & ad legum noſtratium ſcientiam educatus ſcribebat Iuuenis ſub opulento vtriuſque Iuris perito iunctus contubernali Catholico; hic *Pagium* de Religione pendulum ducit ad *Gerardum* quo vtebatur à Confeſſionibus. Non fuit difficile tenerum adoleſcentis animum in rectam fidem inflectere, quem & ratio ſuadebat & trahebat amor Catholicæ filiæ quæ cum caſti amore coniugij proſequebatur. At *Gerardus* indolem hominis introſpiciens, & candidam verecundamq́ue mentis habitudinem formæ quam habebat non diſſentientem anteferens, ſorte exiſtimauit dignam meliore quàm parere poſſet fœmina quantumuis pia & opulenta. Poſt principia Religionis, fideiq́ue iacta fundamenta, modò ſermone, modò traditis libris, modò tranſcribendis de rebus diuinis commentationibus aperit ei terrenorum inconſtantiam, Cœleſtium firmitatem & pondus, ac pedetentim ad altiora promouens ſuadet cælibatum

1600. tum coniugio, legum studio quæstuoso animorum lucra esse præferenda.

Quærebatur apud *Gerardum* filia, se relictâ aliò auertisse *Pagium* cogitationem: At non erat ille Matrimoniorum idoneus aduocatus, cuius ars omnis & præcepta ad sponsas Christo parandas, non ad coniugia adornanda collimabant. Quæ præcepta (Deo sementem sanctam benedicente) tam firmas radices egere, vt amoto ad arcem *Gerardo* (de quo in loco dicetur) non terram, sed Cœlum respectans, tum maximè *Pagius* à mundanis se curis eripere satageret, cum Magistri consilio auxilioque maximè destituebatur, migrauitque in Belgium, ac necessaria ad Sacerdotium scientia imbutus redijt initiatus circa annum sexcentesimum; atque in nota Dominæ *Lineæ* domo diuersans, fefellit illâ (qua dictum est) vice irruentes perquisitores. Alios mulieri forti prouiderat Deus gloriosæ necis comites, *San-Marcum Barkwith*, & *Rogerium Filcock*, illum Sancti Benedicti discipulum, hunc in Societatem nominis *Iesu* recenter cooptatum.

Rogerij Filcock certamen.

XIV. Hauserat Theologica *Rogerius Filcock* è fontibus domus Vallisoletanæ: debet ei vicissim illud Seminarium exempla modestiæ, grauitatis, cæterarumque virtutum, quarum in commensalibus reliquit expressa vestigia, secum in Angliam transuexit maturos fructus: Reperio enim in Epistola *San-Marci Barkwith* Socij vinculorum & mortis, è carcere ad amicum scriptum præclarum Elogium quod inferius recitabo. Eas virtutes vt consiliorum Christi Domini adiumentis firmaret perficeretque non multo post tempore quàm in Angliam exscenderat, egit sedulo vt in Societatem nominis *Iesu* admitteretur: Admissus, indefessam operam iuuando proximo aliquo tempore cùm posuisset, captus, atque ad nouam Portam in vincula coniectus, die vigesimo tertio Februarij Anni sexcentesimi primi, (si numerum annorum communem sequaris, nam Angli legales annos non inchoant ante octauum Calendas Aprilis) vocatur vt causam dicat de Sacerdotio ordinibusque sacris susceptis; non diffitetur, neque etiam affirmat: Probandam id esse ait per testes aut per signa legitima. Nullus testis adfertur, index nullus. Biduo post rursus producitur: Consuetâ. Accusationis formâ perlectâ, rogatur Innocens censeri nè debeat, an nocens? primum negat se ijs nominibus vsum esse quæ recitabantur; Accusationem proinde infirmam, aut etiam errore personę omnino nullam esse: Tum duodecim-virorum censuram declinat; Ait innocentes homines rerumque vel ignaros, vel ad Iudicum arbitrium decreturos non grauandos esse illâ molestiâ illoque onere; recitat exempla recentia; pronuntiatos quosdam ijs ipsis iudicijs innoxios, quos confestim duodecim viri, iussi à Iudicibus redire ad Censuram, nullâ re nouâ allatâ noxios censuere. Denique iudices ipsos appellat: horum iudicio stare se velle aut cadere qui legum essent intelligētes, quorumque est neq; metu neq; gratia ad cuiusquam perniciem commoueri. Quæ cùm ei fixa firmaq; essent, lata est tanquam de confitente reo mortis sententia verbis solemnibus, Christi seruo benedicente Deum in donis suis & Sanctum pronuntiante in operibus suis. Paucas ante horas simili iudicio, sine teste, sine duodecimvirorum censura,

censura, damnatus fuerat (quem dixi) *San-Marcus Barkwith* è Sancti Bene- 1601.
dicti disciplina Monachus: Vir vt corporis membrorumque robore, ita & San-
animi firmitate & constantia suspiciendus. Huic cùm ex Aduocatis Regijs Marci
Flemingus obijceret Sacerdotium, diceretque illum gerere in fronte signum Barkwith
Bestiæ, subiecit Athleta inuictus (neque enim, seperandos iudico quos Deus coniunxit, aut honore tanto fraudare eum possum vt silentio tegam quæ ex eiusdem autographo ad me delata sunt responsa.) Sum Christianus; In fronte gero signum Crucis. Hoc signo confirmor aduersus diabolum & aduersus omnes Hæreticos inimicos Dei: Verba vestra aut minas non metuo: Vnum Deum verum agnosco & adoro; Ille me creauit vt ei seruiam; seruire illi non possum nisi in fide Catholica; hanc profiteor. Corde creditur ad iustitiam ore confessio fit ad salutem: Pro hac fide mori desidero magis quam vnquam desideraui viuere. Nulla mors pretiosior quàm quæ pro hac fide suscipitur; quam fidem Christus docuit, & centum millia martyrum fuso sanguine obsignarunt.) Rogatus cuiusnam sententiæ stare vellet, noxius an innoxius vt censeretur; " Christi, inquit, & Apostolorum eius duodecim; de fide enim interrogatus Catholicus alijs se iudicibus committere non debet.) obtulerunt ei duodecim corrupti verbi-Ministros, à quibus tanquam à paribus secundum leges iudicaretur. " Apage (inquit) istos diabolicos canes) Tum amicum in quas dixi literis sic compellat. Noli obsecro mihi vitio vertere (multum mihi colende atque Christiane Amice) quòd hoc in certamine tam fuerim acer aduersus inimicos Dei. Viginti duos annos pestifero ac lethali cibo pastus, quo attentius considero, eo vehementius odi ac detestor nouorum dogmatum fæditatem, nullamque hanc fidem. Octo annos in Christi schola versatus sum; institutore primum prudenti ac venerando viro Doctore *Barreto*, quo duobus annis vsus sum in fide Magistro. Aderant & Nobiles Confessores, Doctor *Aro Smithæus*, *Lancastrius*, *Bradshaus*, integerrimæ præstantissimæque vitæ homines nunc in Cœlo precibus me iuuantes vt constans sim. Ecclesiæ me conciliauit Sanctus ille vir *Pater Georgius* è Societate *Iesu* Belga, Duaci: Illi magna ex parte acceptum refero si quid in me est spiritualis scientiæ & praxeos; de reliquis, Sanctæ Societati *Iesu* gratias ago amplissimas, viris meritissimis, ac virtutum admirandarum, quos ex animo colo & diligo semper, optoque vt omnes idem faciant. Intimus mihi & singularis amicus, tum quando liber, tum nunc in ergastulo fuit beatus ille constans Sanctusque confessor, Dominus *Arthurus* (id nominis *Rogerius Filcock* assumpserat) vir non vulgaris virtutis, patientiæ, & vitæ imitatione dignæ, excellentis humilitatis, Charitatis & deuotionis, nunc mihi comes vinculorum, atque vt existimo mecum moriturus; sicut enim in vita dileximus, ita in morte non valde vti videtur separabimur:) Hæc ille ad amicum ex Carcere.

1601. XV. Mortis sententiam excepit læto ridentique vultu, ductoque à fronte signo Crucis, & laudis hymno inchoato, Iudici etiam gratias egit; tum ad adstantes verso sermone hortatus est omnes qui Christi nomine gloriantur vti abiecto metu, quod gerunt animo præferant opere; quando ea quæ aduersarij in maximis ponunt malis nostrum est lucrum, & nihil optari potest excellentius quàm vt fuso sanguine litemus ei qui suum pro nobis liberaliter impendit. Remissus ex Aula Iudiciorum ad Carcerem onustus ferro, ingrediebatur tanta cum dignitate per plateas, vt circumfusa turba rogaret, quis iste? An ex Anteſignanis Esſexij Comitis aliquis? Nequaquam, inquit; " Miles Christi sum; pro eius fide tuenda morior.) Postero die stratus in eadem cum *Rogerio* nostro crate viminea (vt assuetus choro) elata voce modulabatur exultantis Ecclesiæ carmen, *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, exultemus*; subiungebat *Rogerius*, *& lætemur in ea*. Laureatas iam tum diceres duci victimas prænuntiantes restituendas olim procedentium Sacerdotum voces tanto interuallo intermissas. Ex crate in carrum subducti sub patibulo; primus *San-Marcus* osculatur *Linæ* pendentis fimbriam, verbis lætitiæ plenis adgratulans felicem exitum. Tum salutari signo se, & lignum ad quod alligandus, & restem muniens, atque vtrumque exosculans, repetito lætitiæ carmine, profitetur se ex Sancti *Benedicti* Schola Monachum, qualis fuerat & *Augustinus* ille, qui à Magno *Gregorio* missus, huic Insulæ fidem pro qua tum ipse patiebatur intulerat: Mille vitas si haberet animo libentissimo pro eadem profusurum. *Maiorem*, inquit, *Charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. optansque Reginæ, ac cæteris qui quoquo modo in perniciem hanc suam conspirassent, æternæ vitæ vnà secum felicitatem, Catholicorum etiam preces postulans circumducto curru pependit, in ipso motu eandem cygnæam vocem pronuntians, *Hæc dies quam fecit Dominus &c.*

At, ô Barbaram hominum crudelitatem! Inuentus est qui pendentis sustineret aliquamdiu molem corporis, vt eo immanius excruciaretur, quo verius spirantis lacerarentur deinde viscera; scissoque tempestiue fune, luctabatur imperitus dicam, an insanus Carnifex cum seminece, & aperto ventre, dum manu interiora rimatur, clamat intermortuis vocibus Martyr, "O Deus, miserere mei.) Spectabat ista è curtu *Rogerius*, & identidem clamabat, " *macte animo, mi Pater; quo cruciatus accerbior eo victoria glorioſior*. Nescires vter maiore egeret adhortatione, is cuius desperata iam vita non poterat sine summo cruciatu extingui, an is qui integris sensibus ob oculos habebat immanem carnificinam in se propediem exercendam. Sperabant impij homines tam tetro supplicio infringendam *Rogerij* constantiam: Et erat is quidem corporis compositione delicatior, at animo firmo, fortique, qui nullo necis acerbissimæ metu tangeretur. Itaque & inhumanâ laceratione excarnificatum Socium aspexit imperterritus, & suam ipse mox

ipse mox sortem subijt alacer, animam glorioso agone Deo reddituras Creatori. 1601.

XVI. Menses vix quatuordecim decurrerant; *Franciscus Pagius*, qui in Purificatione Virginis fefellerat perquisitores, fœminæ improbitatem effugere non potuit. Nox ingruebat (quâ plerumque tutiùs boni inter malos ad lucis opera progrediuntur) cùm fortè conuerso vultu videt sequentem mulierem sibi notam, quæ olim Catholica, tum perditè prodendis Sacerdotibus quæstum faciebat. Maturat gradum *Pagius*, maturat & illa, vocatoque ex nomine: Paueis, inquit, te volo Domine: Ille audire dissimulans, cùm nollet ad Catholicum quempiam (quod illa optauerat) diuertere, primam arripit quam in Angi-portu repererat apertam domum, clausoque post se ostio ad interiora conscendit. Non tam latenter introierat vt à muliere non notaretur; In procinctu erat vt per humanitatem heri per posticum dimitteretur; fuaserat enim Creditore insequente fugisse. At illa tam importunè pulsabat fores, tamq; inconditè vociferabatur proditorem ac Seminaristam Sacerdotem, vt clamore commoto vico atque ad ianuam concurrente, famulus herum monuerit videret quid ageret: Ille retractum *Pagium* tradit officialibus vinciendum. Quæ erant apud Reginam in Curia fœminæ, tum cùm mors est Dominæ *Linæ* illata, Poppamum Iudicem maledictis, seu ioco, seu serio, incesserant quod mulierem ob acceptum domo Sacerdotem, Sacerdote non prehenso & conuicto, condemnasset. Hunc igitur vt intellexit eum esse Sacerdotem, ad se iussum perduci, atque multis inutiliter interrogatum mandat in *Lymbum* ad nouam-Portam conijci, propediem illâ molestiâ liberandum. Et vero proximis paucos infra dies iudicijs accusatur, quod natus intra Regni fines, traiecto mari, susceptoque Sacerdotio reuertisset, contra quàm leges decernunt. *Pagius* ad hæc, lege se illa non teneri clamitabat, vt qui extra Regni fines Antwerpiæ in Belgio natus esset. Et erat defensio legitima, si quàm vera, tam facilè probari potuisset, aut si apud eos Iudices dicenda causa non fuisset qui odio Sacerdotalis ordinis omnem moram dilationemúe nimiam esse arbitrantur. Est enim in Belgio familia *Pagiorum* quæ ex Anglia ducens originem, cum isto etiam cognationem sibi esse gloriatur. Sed frustra *Pagius* iure Alienigenarum secum agi postulabat, vbi ius arbitrium est iudicis, lex voluntas, quidquid in Sacerdotem conieceris mali, Iustitia; Atque ea propter duodecim-viralem censuram & ipse declinans, & Iudice Poppamo dictâ sententiâ damnatus, reducitur ad carcerem. Tenebatur id temporis eadem in custodia *Henricus Floydus*; hic effusus in lachrymas & flexo poplite redeuntem à Tribunali accipiens *Pagium* commouebatur indignissimâ in Innocentē necis sententiâ. At *Pagius* ad multâ cum humanitate erectum: 'Quidenim est, inquit, mi Domine? An etiam tu eam conditionem quæ mihi felicissima est, deplorandam existimas? adgratulandū potius erat & vnà mecum de tam læta sorte gaudendū quę aditum aperit ad beatitatem sempiternam.)

Franciscus Pagius capitur.

Eius post sententiam solatia & mors.

1601. Aliquanto deinde interuallo eam vicissim sibi consolationem impertierunt quæ vniuersæ vitæ rationibus debitâ cum animi submissione in Sacramento recolendis percipitur. Biduũ à sententia effluxerat: Rogat *Henricum* Cõmentariẽsis vt *Pagio* insinuet perendie moriendum; abhorrere se à tam funesto nuntio. At *Pagius* eam vocem velut cælitus lapsam cum lætitia accepit, impetratoq; à Commentariensi vt apud *Henricum* pernoctaret, inter Sacrosancta Mysteria ab hoc celebrata tantâ solatij exuberantiâ affluebat vt extra se rapiendus videretur, vereturque si sibi etiam celebrandum esset, vt posset clamorem strepitumúe cohibere quem vicini, & ipse fortè Commentariensis non sine tumultu aduerteret: celebrauit tamen, suadente & periculum omne præstante *Henrico*: narrauitque deinde tantam eâ nocte sibi donatam de Deo cognitionem quantam nullis libris nulloq; studio comparare potuisset, quaque manente non Inferorum vis vlla, non voluptas aliqua posset eum abs tam magni domini obsequio dimouere. Quàm verò integrè id Deo soli tribuendum esset repentina vicissitudo demonstrauit. Hæsit enim aliquamdiu (pallore vultus mentis prodente angustias) cogitabundus, & sibi se relictum cũ gemitu affirmans rogabat *Henrici* pro se preces: sed non fuit diuturna molestia: Antequam expedirentur necis instrumenta reddita est animo vultuiq; tranquillitas; quam etsi importunis de Religione quæstionibus interturbare conatus est fucati verbi buccinator improbus, qui in eandem cum *Pagio* currũ insilierat, excepit publica in loco supplicij atque intemerata fidei professio, & eius etiam sponsionis quâ se paulò ante societati Nominis *Iesu* deuouerat, tum mors placidissima; qualis cùm in hac causâ vniuersos comitetur, mirandum cunctis deplorandumque merito videbitur quod eorum hi homines cruciatu ac nece delectentur, quorum, cùm morientes conspexerint, non possunt non suspicere constantiam, laudare probitatem; suum ipsorum damnantes iudicium dum proditores proclamant quos solius Sacerdotij suscepti nomine peregere reos.

Vicissitudo solatij & metus. Yepes. l. 2. c. 18. n. 5.

XVII. Quod verò ante mortem tam glorioſam, atque in ipso prope mortis articulo *Pagius* illam quam dixi vicissitudinem expertus sit abundãtis primùm solatij, tum post-paulò irruentis animi perturbationis, neque nouum videri debet neque in hoc vno singulare. Narrat Tarraconensis Episcopus Anno alterius seculi octogesimo septimo, *Alexandro Crowe* Sacerdoti luctam obuenisse non dissimilem. Is Eboraci mortis accepta sententia tantis exultabat lætitijs vt qui pro Tribunali cum ipso stabant cum admiratione aduerterent, & ipse se die illo toto non caperet. Contubernalem in carcere habebat Catholicum Laicum. Ad hunc, Volo, inquit, hanc noctem quæ mihi vnica vitæ supereſt insomnem ducere in oratione vt Christo auctore sim ad certamen paratior: Tu quieti te tradas velim: Instantem vt vel se admitteret vigiliarum socium, vel ipse simili vteretur laxamento, cùm non audiret, ad somnum se componit. Sacerdos ad accensum cereum incumbit placidè orationi: transit hora: tum contentâ voce Christum adiuto-

adiutorem sæpius inclamans, surgit turbatior, & contubernali de sommo excitato, precare, inquit, Deum obsecro pro me, plurimum enim egeo: Inde ad genua reuersus, crescente molestiâ, cereoque extincto, Deum inuocans modò pressâ voce, modò elatiori quasi indignanti similis, ad horæ circiter medium contendit: tum redditâ animi tranquillitate, illud Psalmi pronuntians, *Laudate Dominum* de Cœlis, & quæ sequuntur, assidet socio, & post leuem aliquanti temporis somnum experrectus, Animaduertistinè, ait, quæ mihi acciderunt molesta? Quædam, inquit, & aueo caulam scire. Meà quidem, (reponit Sacerdos) parum interest vt sciatur, aliis fortassis intererit magis, vt humani generis inimici malitiam indefessam agnoscant & caueant, Dei occulta iudicia reuereantur. Post aliquod tempus orationi tranquillè datum, corpore repentè contremiscente capilli eriguntur, offert se oculis monstrum fœdissimum, & me his verbis aggreditur: Tu putas cras esse Martyr, & vno saltu Cœlo potiri; Non fiet; alia de te sententia condemnationis lata iam pridē est in Dei subsellijs; duceris quidem, sed supplicio subduceris, & hic miseram trahentem vitam annis alijs duobus, atque his vinctum compedibus pane atro pascent & aqua: vide an optatius sit ferro vel fune ocyus finem imponere his molestiis. Sæpius illum Deo opitulante reieci, sæpius importunus recurrit, & quocunque ferebam oculos sequebatur; neque profuit extinctus cereus, mansit spectrum, bellum acrius exarsit, donec cœlesti oborta in conclaui luce, intrantibusque duobus, quos reor fuisse Beatissimam Dei Matrem, & Ioannem Euangelistam, stetit hostis tremens, & paulatim se subtrahens: Tum ex beatis alter, Apage, ô infelix; non est tibi pars in hoc Dei seruo; Cras sanguinem pro Christo fundet eoque fruetur: quibus dictis visum vtrumque euanuit; ego lætitia cumulatus inexplicabili hic sedi, vt vides, nescius an in terris an in Cœlis essem. Postridiè cum ductus ad patibulum hæreret in scala orans, antequam carnifex funem collo necteret, ab eodem hoste ex alto delectus concidit lapsu sat graui & præcipiti, at nil læsus: exclamant astantes, desperabundum corruisse sponte, at ille cùm rursus conscendisset docuit communis inimici inuidiâ id accidisse, neque primum hunc fuisse eius impetum, vt optatâ corona fraudaretur. Hæc *Tepes*: nunc ad *Gerardum* reuertamur. 1602.

XVIII. Ferocientes in Catholicos animi quando nulla est causa iusta nocendi quauiscunque vtendum existimant. Hinc *Gerardum* ab atrio Wintonienſi amotum ad Arcem sæuissimè cruciarunt. Sacerdos eodem in Atrio captiuus (cui Gerardus non semel neque parcè benefecerat) seu narrandarum quas nouerat rerū prodigus, seu æmulatione, aut spe libertatis abductus aperuerat accepisse *Gerardum* recenter Româ & Bruxellis literas tradidisseq; famulo ad *Garnettum* perferendas, atque idem frequenter facere: Ad *Gerardum* repentè Irenarcha cum satellitibus; cubile omne versatur; ipso nudato palpantur vestes, non fuit immune cilicium quod carni adpressum reuellerunt. Ex duobus quos instruebat adolescentibus vna repertis, alterum custodiæ tradide-

1603. tradiderunt, alter opportunè profugerat. Nullâ re inuentâ de qua se magnopere iactarent, ipsum ad Arcem abstractum abdunt in caueam modico iniecto stramine ad quietem. Postero die euigilans videt se eo in antro clausum in quo *Henricus VValpolus* (quaterdecies tortus) calce inscripserat parieti nomen suum sub semper venerandis Dei Angelorumque nominibus, ad quem parietis locum cum orasse credatur, erat is locus *Gerardo* etiam venerabilis; quanquam ex eodem coniecturam faciebat se quoque in eadem causa haud mitius tractandum. Adsunt ad diem tertium quinque quæstioni præpositi; vocatum ad interiora Arcis interrogant, primùm de rebus ad Regni rationes pertinentibus, tum de acceptis literis, denique vbi *Garnettus*? Vbi famulus esset per quem literas ad *Garnettum* transmisisset? Respondet, " Regni rationibus nunquam se suas miscuisse cogitationes: literas, si quas accepisset, nihil continere potuisse quod illis officeret, nescire se modo vbi *Garnettus*, vbi famulus is esset, neque si sciret enuntiaturum.) Torquendus itaque es, inquiunt, ad extremum vsque spiritum: Hanc tu nobis perquam certè inuitis tua obstinatione imponis necessitatem: Vide quid agas: scriptamq; ostendunt eius rei potestatem; Ea perlecta: " Vos (reponit *Gerardus*) facite quidquid permiserit Deus, neque enim potestis plura; Ego per eius gratiam nihil aduersus Ecclesiæ fidem atque instituta, nihil aduersus Iustitiam aut dicam aut perpetrabo: Non permittet, vti confido, Deus vt innocentem quempiam ego accusem; de cætero in eius manu omnes sumus; atque ea propter non perhorresco quidquid de me cogitatis facere.)

Torquetur XIX. Est in Arce interiore specus in ingentem altitudinem depressa, vastitate ac tenebris horrida, horribilior numero & varietate instrumentorum ad corpora miserè excarnificanda fabrefactorum. In hanc cùm famulos tædas præferentes secuti descendissent, monstrant ex ordine diuersas torquendis hominibus paratas machinas. Hîc manus, hîc crura, hîc conuoluta in circulum membra, hîc depressæ in profundum ceruices, hîc in altum elata brachia, hîc prostrati ad terram artus & trochleis implicati immisericordibus distenduntur, lacerantur, & fiunt ad humanos vsus inutiles; Ista te, inquiunt continget experiri omnia si pertinaci silentio pergis tegere quæ salus Regni postulat nobis non esse occulta. Ille abiectus in genua Deum precatur adiutorem. Tum insertis manibus in annulos ferreos, quos ferreum pessulum iungebat tollitur in altum ad columnam, erutâ ad fossam terrâ sub pedibus. (Erat enim pleno & procero corpore) dolor ingens manuum, brachiorum, pectoris & intestinorum, fluensque toto corpore sudor, vocem propè intercludebat & spiritum. Post horam patienti deliquium, subditur ad pedes corbis, cui innitatur: Id quinque horis quibus pependit, nouem aut decem vicibus factum. Neque deerat sibi hostis humani generis, per se suosque prouocans vt quibuscum vixisset, egissetue Catholicos, *Garnetti* in primis habitationes familiaresque detegeret; At ille tacitus orabat Deum; firmatusque ad constantiam minui sensit dolorem; vrgebat Guilielmus Wade (qui Yongo Irenarchæ successerat inter vexatores) vt

vel in id

vt vel in id consentiret vti Cecilij, in Regio Senatu Principis, alloquium optare se diceret. Non consentit; pendeas igitur, inquit, donec putrescentibus tabe membris concidas, & abit: Aliquanto tamen post tempore demissus de columna reducitur ad cubile, id frequenter de via ingeminans, "Mirari vehementer se cur tantopere quærant, vbi *Garnettus*: & similia; quandoquidem illicitum est innocentes homines prodere; Quodque ad se attineret morituum potius quàm vt tantum flagitium in se admittat.) Id calumniæ auertendæ gratiâ à *Gerardo* dictum, familiare enim est huiusmodi vexatoribus id in vulgus tanquam factum spargere, quod factum esse vehementer cupiuere. Postero die rursum Wadus ad Arcem, *Gerardumque Garnetti* innocentiam prædicantem mandat eodem genere cruciamenti torqueri; atque cùm doloris acerbitate euanescentem infusa in os per vim potione vix reuocassent, tertio attolli; donec Bartleyus Arcis Præfectus atrocitatem pertæsus iussit cessari; qui & abdicasse se officio dicitur nè in posterum innocentium crudelissimis reterrimisque supplicijs auctor interesset. 1603.

XX. Nactus quietem à tortoribus, ad spiritus exercitationes conferendum esse animum exiit, tum aut dum artuum rediret vsus, quaternis quinisque horis ad cõmentandum præfinitis. Orationes etiam quæ in Sacrosancto sacrificio recitantur, quantum memoria suggerebat, quotidie vsurpabat; vt licet nullo sacro instrumento instructus, eo quem in Sacramenti velamine suscipere consuerat spiritualiter frueretur. Conciliatoque pecunia Custode, cùm libros chartamque impetrasset, cæptis redire digitis interposito viginti dierum spatio ad pristinos motus, studijs miscebat manuum opera, fabricatasque ex obuio ligno paruas Cruces mittebat ad antiquos vinculorum socios in Atrio Wintonienſi: In charta verò cui inuoluebantur, occultis characteribus succo pomorum ai reorum expressa significabat amicis quæ volebat; similibusque reddebantur responsa inscio artis Custode. Mercede præterea aperuit per interualla aditum notis quibusdam Catholicis, quorum congressione solatium, industriâ sacram suppellectilem, cum die facultatem elabendi accepit. Ex aduerso eius loci in quo *Gerardus* tenebatur, turris est non longè à muro & flumine posita quibus arx vallatur: in ea turri decimum iam annum custodiebatur nobilis quidam Catholicus cui *Ardeno* nomen: Cum hoc vnius noctis vniusque dici consortium à Custode mercatur *Gerardus* nummi aurei pretio: Infertur etiam clanculum supplex sacra; rem facit diuinam summa vtriusque lætitia: Duobus & viginti consecratis hostijs prouidet sibi in consequentes dies cælestem mensam. Obseruatâ loci positione ad euadendum commoda, agunt vnà de fuga. Arte, via, die (*Garnetto* etiam conscio) constitutis, rursus post aliquot hebdomadas de illius loci & hominis congressu paciscitur. De nocte adlabuntur in cymba tres viri, appensis ad pectus linteis vt agnoscerẽtur, onusti rudente, cuius alteram partem circumuoluunt trabi in litore inuentæ; alteram proiecto de turri cum lapide filo piscatur *Gerardus*, adstringitque ad æneum in summo tormentum. Primus delabitur *Ardenus*; quan- Elabitur.

quam

1602. quàm enim ille *Gerardo* deferebat, maluit *Gerardus* amicum hospitem quàm se securum præstare; & is non difficulter euasit. *Gerardus*, præcedentis onere laxato funè, sub murum delatus, & diuturno ad ascensum conatu sessus, comitum industriâ & labore vix recipitur; receptus, & potione cardiaca, quam tulerant, recreatus, transmisso flumine, paratis vsus equis ad *Garnettum* aduolat. Ante digressum ternas scripserat literas; vnas ad Senatum Regium, alteras ad Præfectum Arcis, ad suum Custodem tertias: Primis ad Senatum, explicatis causis cur sibi ea ratione consulendum existimasset, affirmat id actum esse Præfecto Arcis & custode inscijs, ne qua illis culpa collusionis adspergeretur. Alteris ad Præfectum, gratijs humiliter actis, excusat etiam Custodem: Custodi verò in tertijs promittit, suum si sequatur consilium, quoad vixerit honestam sustentationem. Vixdum illuxerat, ex fune ad latus turris appenso, (cuius alteram in litore extremitatem præciderant abeuntes) compertum est quidpiam quempiam esse machinatum: Curritur ad Custodias: *Gerardus* & alter non comparent: Quæritur Custos: Is lectis ad se scriptis literis, dum elabendi sectatur viam, incidit in virum à *Gerardo* cum equis paratum, quibus si vellet vti saluus esse posset: Qui oblatos antea quadringentos aureos cum annuo quadraginta aureorum stipendio fuerat aspernatus, propositam nunc amplectitur conditionem, non minus animæ quàm corpori salutarem. Nam illum deinde cum coniuge octoginta aureorum annuâ pecuniâ alendum procurauit, & in Ecclesiæ gremium acceptos ad meliorem quam sperauerant vitæ rationem instituit fouitque. In Senatu Regio alij mirabantur euentum, alij laudabant industriam; frustra quærendum censebant omnes quem tam facilè quærentes elusurum arbitrabantur quàm fefellisset custodientes. Ita multis in annos plures fuit vtilis fuga, molesta in præsens perpaucis.

Ioannes Lilius. XXI. Adiutores ad fugam fuere *Ioannes Lillius*, *Richardus Fullwood*, & ex commentariensibus vnus in Wintoniensi Atrio. *Lilius*, antequam in illud Atrium Religionis causa custodiendus traderetur Pharmacopæam exercebat. Obtigit illi in carcere cubile supra cubile *Gerardi*; hinc facilè *Gerardo* fuit hominis nosse pietatem & experiri industriam, quâ vtrâque eo loci in multis vsus est; tum amotus ad arcem cùm redimendum curasset porro vti perseuerauit. Ille amicos, ille occultas intulit literas, ille gratiam apud Custodem conciliauit ampliorem, ille capitis membrorumque periculo alteram fugiendi viam *Gerardo* aperuit cùm ei indiuiduus adhæreret. In recenter conductis ædibus sat amplis tres vel quatuor quartum iam diem exercebantur apud *Gerardum* sacris commentationibus ad rectam famulandi Deo viam inuestigandam. Vnius loquacitate vel infidelitate famuli delata fuerat ad Senatum Regium eius rei suspicio; repente ad ianuam Irenarchæ duo cum satellitio: Quid *Lillius*? Stricto vsurus ense si opus esset ingressus cubiculum propellit *Gerardum* & ex nostris alium in latebras renitentem ni se *Lillius* iungeret socium. "Nequaquam, inquit, nam si ego lateam, quis libros istos? quis scripta dicet sua? Arguent ista domi latere quempiam; noctes diesque scrutabuntur; perfringent tandem & manus

Se pro Gerardo capi finit.

manus in te inijcient; isthic ego manebo, vos pro me orate.) Detinebantur interim Irenarchæ in vicino conclaui sacra supellectile corripienda quam paratam repererant: Collectâ prædâ tundunt *Ioannis* fores: Ille, iam togatus, & tertius non illibenter aperit. Quis tu? inquiunt. "Homo, vt videtis.) Sacerdos?" Hoc ego non dico; vestrum erit probare: sum equidem Catholicus.) Cuius hi libri? Cuius scripta?" mea.) Erant autem eius generis omnia quibus Societas vtitur tum ad preces Sacerdotum ritu persoluendas, tum ad informandos ad fidem & ad pietatem animos siue de plano, siue de superiori loco agendum esset, annorum decem labores. Tua sunt ista omnia? Mea: Neque plura quærentes, trahunt hominem vinciendum. Ille transeundo salutat in aula obuios commendatque Irenarcharum beneuolentiæ; videri enim sibi eius conditionis viros esse ac fœminas quibus etiam ab ignotis humanitas impendenda esset. Postero die intelligunt hunc hominem septem annis in Pharmacopæo seruientem, quatuor clausum in Atrio VVintonienſi, liberum fugæ *Gerardi* ex Arce adiutorem fuisse: Id enim fassa fuerat saluo marito Custodis vxor; neque diffitebatur *Ioannes*. Raptum itaque ad Arcem eodem cruciamenti genere lacerant quo *Gerardum* vt vbi is ageret fateretur. 1602. Torquetur.

Ad tres horas pependit, nullo nisi patientiæ constantiæque fructu: Quæ cùm etiam spem aperiendorum occultorum abstulisset torquentibus, post tres menses alteri traditur custodiæ, in qua Sacerdoti obsequens roganti eius operam ad euadendum, quâ arte illum, eâdem se liberum præstitit. Latuit deinde aliquamdiu apud *Garnettum*; tum nauigans, & Romam profectus ad *Personium*, quod pluribus annis expetierat in Societatem adscitus est anno seculi sexcentesimi secundo: nondum trigesimum ipse attigerat, sex tamen vel septem solum superfuit correptus lentâ tabe, cui nec aër natiuus mederi potuit; concessitque ad laborum præmia Londini anno post sexcentesimum nono: Prudens & ad negotia celer & industrius; & quod caput est, inculpatæ vitæ iuuenis, qui *Gerardo* teste sex annis quibus illi adhæsit, tantam animæ curam habuit, vt licet inferioris generis hominum esset quotidianus commensalis & socius, nihil praui contraheret quod illum in discrimen duceret grauioris culpæ.

XXII. *Richardus Fulwod* post *Gerardi* ex Arce fugam, fugiens ipse perquisitores, cùm se occultasset in antro domus quam in *Gerardi* vius parabat, pro illo tentus ad Brigittæ fontes ductus est; In arcto hic & graueolenti & vermibus scatente gurgustio, nullo ad cubandum, nullo ad sedendum adminiculo; ad menses aliquot lapis in fenestra lectus fuit, victus panis ater, consortium nullum. Quæstioni deinde admotus; quam fidelitatem famulando demonstrauerat, auxit patiendo, Richardus Fulwood.

1602. neq; potuere vexatores quidquam quod clausum esse oportebat exprimere. Datis à quæstione inducijs, & aliquanto ad quietem tempore modum reperit & viam ipse fugiendi, adhæsitque *Garnetto*: Quod cùm Senatum Regium non lateret, edicto proposuere præmium ei qui vinctum duceret: Itaque nauigandum illi fuit; vixitque annis aliquot Duynkercæ Missioni inprimis vtilis.

XXII. Tertius adiutor inter Custodes atrij Wintonienſis vnus, tum cùm *Gerardum* iuuit, etsi Catholicis fauentissimus Acatholicus erat; neque constat (quod dolendū est) an vnquam se totum Catholicis iunxerit; vitæ tamen discrimen pro *Gerardo* bis adijt. Nam primâ quam fugæ constituerant nocte ignoti hominis subito occursu impeditâ, cymbam quam regebat retorquens impegit in vallum ante pontem prominens, tanta vi vt hærentem non posset reducere; æstu fluctus propellente tres periclitantur; inclamant à vicinis auxilium; trahuntur duo in eminentes sub ponte lapides; ille euersa cymbâ natando vix euasit. Alterâ nocte iterum se committit alacer discrimini, & euincit; neque de eo plura recoluntur. Is tamen ad quem præcipuum eius Atrij emolumentum ex asse veniebat, Ecclesiæ à *Gerardo* redditus, vendito iure suo transmisit in Italiam; vbi cùm pias abdicandi seculi cogitationes hausisset, redux in Angliam negotij causa, tentusque, in idem Atrium, cuius fuerat commentariensis, traditur custodiendus, quòd pristinos errores inuitus absorberet.

Rogerius Lea

XXIII. Inter Instrumenta vero *Gerardi* præcipua ad piscandas animas, merito censendus venit *Rogerius Lea*; Is bono loco natus iuuenis, alacritate & vrbanitate vniuersim gratus, cum fide Catholica eximiam iungere cupiebat pietatem; eratque in illis qui quartum iam diem exercebantur, quando irruentibus Irenarchis *Lilius* pro *Gerardo* captus est: Humanitate & quâ valebat gratiâ euicit vt datâ cautione discederet tanquam recenter illuc introgressus. Tum ad alias *Gerardi* ædes secedentem vt cæptas commentationes prosequeretur, isthuc etiam secuta suspicio interturbasset, ni se paratis latebris cum *Gerardo* occuluisset. Didicerat commentando naturæ & gratiæ dona non soli semper saluti propriæ procurandæ à Deo esse proposita, sed & ad alios mundi huius laqueis extricandos, informandosq; ad ea quæ supra communia sunt vota & cogitata: Itaque siue volucribus insidiaretur aucupio, siue feris pro more gentis insectandis exerceret corpus & oblectaret animum, plus serijs quàm ludicris tenebatur, & mente agitabat quos ad fidem, quos ad pietatem ex socijs, *Gerardi* operâ, posset promouere, duxitque complures ad salutarem cum illo familiaritatem. Tum officij sui esse ratus donis acceptis multiplicandis operam dare, quò sibi & alijs vtilitatis plurimum accresceret, *Romam* profectus cum *Thoma Strange*, *Nicolao Harte*, & *Thoma Smithæo* (qui vna omnes *Gerardi* institutione ad Societatē adspirabant post aliquātam in Seminario de vrbe moram adscriptus ipse est vigesimo septimo octo-

Octobris anni sexcentesimi, ætatis annum agens trigesimum secundum. 1602.
Contendentem cum optimis in virtutum studiorumque curriculo Catarrhus oppressit, cui cùm mitior aër quæreretur, migrans in Belgium Audomarensi Seminario datus est Minister. Quo in munere cum vigilantia prudentiam, cum Charitate severitatem, gravitatem cum comitate tanta arte coniunxit, vt accuratam in exigenda disciplina diligentiam amori vniuersorum conciliando nihil officere demonstrarit. Et quoniam spiritualibus Sancti *Ignatij* exercitationibus senserat se aliosque plurimum iuuari; horum vsum in florentem studijs iuuentutem induxit, eo fructu vt primos tres pepererit Societati, *Robertum Staffordum*, *Thomam Stillingtonum* & *Franciscum Milesium*; quos, continuato per annos singulos pari successu, plures secuti sunt, de quibus suis locis dicendum erit. Ad externum etiam domus splendorem non parum contulit procuratis pecuniæ nostræ quingentis libris ad scholas domesticas exædificandas.

Virginei Angli.

XXIV. Frequens est per Belgium Virginum numerus quæ à seculi moribus sepositæ, priuatim vel in cõmuni sua studia conferunt in puellas omni genere disciplinæ illi sexui congruenti imbuendas, siue coniugio deinde siue arctiori se vitæ rationi trahituræ illæ sint: Quarum Virginum quædam solutæ, quædam se ad tempus, aliæ in perpetuum colendæ castitati deuouêre; ex quo *Deuotarum* illis nomen acquisitum est. Exiguum id quibusdam ex Anglia virginibus visum est, quæ præter excolendarum puellarum studium perfectæ Religionis viam additis paupertatis, & obedientiæ vinculis inire meditabantur: Neque tamen nocturnis diurnisue Sacerdotum precibus, aut certæ domui, aut ordinariorum, vt vocant, iuridictioni adstringi optabãt, sed more Societatis *Iesu*, ad itinera atque ad quælibet caritatis officia perseuerare liberæ; cuius Societatis nomen, & regulam, & vestis colorem, & temporis officiorumque distributionem, & sub vno Capite regimen, quantum possent, imitari propositum fuit. Quæ erant inter istas præcipuæ fixerant Audomari sedem, fauente initijs Episcopo *Blasæo*: Ad excellentem verò cum puellarum institutione coniungendam pietatem vtebantur plurimum *Rogerio Leo*, qui excelsa quælibet & ad diuinum obsequium amplificandum eximia sectabatur semper & promouebat. Et erant in illis Virginibus omnium iudicio præclara naturæ & artis dona, atque ornamenta non inferiora virtutum, quibus delectati principes viri atque fœminæ, his filiarum suarum Magistris vt vtenterentur sedem dedere in præcipuis per Germaniam ciuitatibus, migraruntque Leodium, Treuiros, Monachium, Viennam Austriæ, Pragam, Posnaniam, Presburgum, Romam. Et potuissent fortasse cum tempore, Religionis Sanctæ gaudere insignijs, nisi nimium Societatis moribus adhæsissent, & absolutæ seipsas regendi potestati. Quæ quia *Rogerius* vel non improbabat vel non satis se non probare declarabat, amotus dicitur Audomaro, re autem vera, vt Hecticæ ex Catharro natæ remedium Louanij & Bruxellis quæreret: Quod cùm non reperiret, regressus Audomarum,

1602. anno supra millesimum quinto decimo in Angliam soluturus diem obijt Duynkercæ.

Guilielmi Holti initia.

XV. Interea dum hæc aguntur in Anglia, & vel sudore viuentium, vel morientium sanguine Religio firmatur & crescit, sensit societas aduersum se in *Guilielmo Holt* æmulationis aculeos acriores, quàm aut hominis integritas, aut Societatis innocentia postularet. *Holtus* è Lancastria oriundus, primis literarum principijs domi haustis, Rhetorum ac Philosophorum ornamenta adiunxerat in Academia Oxoniensi: Theologis etiam audiendis tres annos dederat, quando Hæresim pertæsus Duacum se recepit præceptis melioribus imbuendus. Isthic annos alios tres Theologicis institutis cùm tradidisset, ordinibus sacris initiatus, Romamque profectus, in Societatem adscriptus est, sexto idus Nouembris anni septuagesimi octaui, ætatis annum agens trigesimum tertium. Decurso Tyrocinij stadio, anno altero Theologis euolendis dato, quoniam qui in Angliam missi fuerant *Campianus* & *Personius*, ad amplissimam colligendam messem flagitabant adiutores, iunctus *Heywodo Holtus* in eam Insulam nauigauit. Tenebatur id temporis arcta in custodia Regina Scotiæ, Hæc inter carceris angustias fidem Catholicam, Principisque filij salutem in præcipuis curis ponens, poscebat quempiam qui doctrina, pietate, industriâ illam sustinere, hanc datâ opportunitate in tuto collocare posset: Deligitur à *Personio Holtus*; Reginæ ad Regem puerum munitus literis in Scotiam penetrat; beneuolè initio accipitur; spem non leuem concipit fructus humanitate excitatam principum virorum: Concidit tamen illa non ita multo post Caluinistarum puriorum depressa consilijs, quæ inde ex Anglia foucbat Elizabetha cum suis incitabatque; captumque *Holtum* deposcebat ad quæstionem admouendum: Rex obstitit matrem reueritus & Oratoris Gallici precibus confirmatus. Post duos annos Scotiæ impensos iubetur liber Scotiâ discedere: Ita *Personius* ad Ribadeneiram in Septembri anni octogesimi quarti "*Guilielmus Holte* (quem accepisti missum ex Anglia in Scotiam, carceres aliquamdiu toleraſſe) nunc liber est; liberi etiam sunt alij Patres duo cum vno coadiutore recenter in eam vineam transmissi.) Anno deinde octogesimo sexto vocatus Romam, & Seminario Anglorum de vibe moderando datus Rector ad sesquiannum præfuit: Tum in Belgium missus consedit Bruxellis ad decennium; frustra ad inuidiam infamiamque conflandam laborantibus æmulis; quam ille inuidiam semper animi æquabilitate singulari, atque inuicta patientia facilè depulit.

Migrans in Scotiam capitur.

Vnde illi conflata inuidia.

XXVI. Inde ab anno octogesimo primo *Alanus* & *Personius* cùm rem Catholicá in Anglia & Scotia communi consilio promouendam susceperissent, quoniam inter cætera auxilia, *Mariæ* Reginæ Scotiæ libertas (quam Elizabetha ab annis duodecim coërcuerat) non parum momenti allatura videbatur, Carolum Pagettum, & Thomam Morganum (qui Scotiæ rationibus se plurimum per literas vltro citroque ad illius necessarios datas immiscuerant) in consilium adhidendos censuere. Ortâ verò iner illos confestim consiliorum

rum discrepantia (*Alano* & *Personio* Regis Catholici, Pontificis, & Ducis 1602.
Guisiæ fidei rem committendam existimantibus, Pagetto & Morgano Reginæ suadentibus alia via esse rem gerendam.) Ea quæ inter paucos nata est, in vniuersam pene gentem est propagata dissensio; alijs *Alano* & *Personio*, alijs Pagetto & Morgano adhærentibus; donec anno octogesimo septimo cæsâ Reginâ plurima inuidia adhæsit Morgano & Socijs, quod quibusdam circa Reginam aut non sat fidis, aut multum imprudentibus tam fidenter vsi fuissent. Sub hæc mittitur *Holtus* Bruxellas: Aduolant Pagettus & Morganus: & quanquam amicè accepti, inhæsit tamen illis semper antiquum dissidium, querebanturque omnia ex *Alani* & *Personij*, nil suo arbitrio confici. Accidit vt Morganus repertis in conclaui sua manu scriptis literis aduersus Parmensem Ducem, *Alanum*, atque ipsum Regem, dominio Regio pelleretur; Id Societati in *Holto* tributum à Morgani sodalibus (vt ferè cuncta quæ aduersa huiuscemodi hominibus accidunt quæcunque demum sit causa) vt *Holtus* etiam pellatur adlaboratur. Sex & triginta Capita Accusationis *Alberto* Cardinali Archiduci offeruntur, in quibus *Holtus* famæ, bonis, libertati, vitæ quorundam iniurius ferebatur, & non sat fidus Regi. *Albertus Oliuerio Manaræo* rem aperit, iubetque inquirere ab *Holto* quid rei sit, iuncto assessore Ioanne Baptista de Tassis *Alberto* à Consilijs. *Oliuerius* multitudine capitum attonitus ea tradit *Holto*, " Dolere se dicēs talia accidisse vt quocunque modo respondeatur Societas indemnis esse non possit) sensit id vehemēter *Holtus*, & tantum de se inaudito à tanto viro fieri præiudicium indoluit: vt autem se recepit, & perlectis accusationibus cuncta euoluisset, " Dabo, inquit, mi Pater, responsionem non dilucidam modò, sed vti optas breuem; atque præterea talem vt ex qua neque mihi neque Societati nota aliqua, nisi rectitudinis, probitatis, patientiæ, fidei, adhærere possit.)

XXVII. Post dies aliquot consedêre: Rogat *Holtus* an ad singula ex Se purgat.
ordine, an ad præcipua aliqua responderi velint? Paratum se esse in vtrumuis. Non ad singula, inquit Tassis, notans decem capita quæ arbitrabatur eximia; quæ cùm *Holtus* dissoluisset, & vrgeret in reliquis audiri, sibi vterque profitetur in omnibus factum satis, nec opus esse pluribus: Deprehendisse se in multis plus partium studio dari quàm rationi: Addiditque Baptista Tassis, Rem in eo versari quòd videretur quibusdam Societas & qui Societatem sequuntur nimium potuisse semper apud suam Celsitudinem, & apud omnes retro Belgij Gubernatores: Ea auctoritate vteremur moderatè." Illâ se moderatè vsum (si qua esset) respondit *Holtus*, & porrò vsurum, quantum prudentia probitasque suggereret: Non posse se respondere de omni verbo factoúc suo; *Omnes enim in multis delinquimus*: Sed de iniuria, aut contumelia quæ grauis sit, aut de quouis modo dictâ oppressione, nullam factam esse, nullam à se faciendam spopondit: Beneuolum fuisse omnibus vtilemque; ijs etiam quos ex obiectis coniectura est auctores esse huius accusationis: Id ex illorum communi Procura-

1602. tore cognosci posse: Posse etiam ex hac ipsa responsione; in qua cùm nouennij pene integri quo Bruxellis commoratus sum, rationem coram vobis reddens absoluar, testimonium est mihi me graue peccasse, nihil à me profectum quod scandali notam mereatur; neque enim vtique defuit voluntas obijciendi si quid obijciendum occurrisset. Vt non sint semper aliqui aut inquieti aut queruli difficulter præstatur; quando non semper ex vniuscuiusque voto res agitur; dissidium tamen inter partes non est tantum quantum quidam clamitant; neque concordia futura est vnquam tanta vt nulla inter Aulam & militiam consectantes sit de honore aut de prælatione contentio. Hæc diuinæ prouidentiæ committenda, qui per leuissima quibus sæpe sæpius commouentur homines grauissima moderatur.) Plura dicere parantem æquo animo esse iubent Baptista Tassis & *Oliuerius*: abundè enim satisfactum in omnibus; quod cùm secundò tertioque asseruissent discessum est, *Oliuerio* responsionem scriptam quam *Holtus* tenebat manu rapiente, & in ignem (erat enim quarta Aduentus dominica) conijciente. Puduerat enim hominem prudentem & attentum, hac in re paulo minus fuisse consideratum. Qua etiam de re *Personius* Barcinone in Italiam nauigans ad illum scripsit in hæc verba.

Personij ad Oliuerium Manæum de eo literæ.

XXVIII. Nullo modo spero pacis fructum secuturum apud eos qui Patrem *Holtum* amouendum volunt; cùm multorum annorum experientiâ, certissimaque ratione mihi constet istos non hunc vel illum Patrem, sed Societatem impetere. Romæ inquieti Patrem *Edmundum Harewood* Anglicani Collegij Confessorem amoueri postulabant, eaque re omnia dicebant fore pacata; sed eo amoto turbulentiora fuere omnia, quia inquieti palam in totam Societatem insurrexerunt. Et ex sermone summi Pontificis cum Doctore *Barretto* Seminarij Duaceni Rectore intellectum nuper est, istos ipsos qui amotionem Patris *Holti* apud Reuerentiam Vestram cæterosque Patres nostros pacis spe solicitant, ad Sanctitatem suam scripsisse, non tantum contra Patrem *Holtum*, sed etiam contra omnes Societatis Patres qui in Anglia versantur. De Patre *Holto* verò affirmare possum quod suis literis sæpe ac vehementer causam eorum egit in curia Hispanica qui maximè eum impugnant. Sed hæc Reuerentia vestra mirari non debet: In tanta enim causa quanta est Anglicani Regni conuersio, & in tanta egestate, libertate, & otio hominũ exulum & afflictorum, atq; in tanta astutia Hæreticorum, qui per emissários has lites fouent, neque est mirandũ si hæc accidunt, neq; hæc virum pium & prudentẽ auertere debent aut decipere; satis est vt videat quæ pars ratione, quæ passione ducitur. Isti autẽ cùm Patres Anglos inter se collidere non possunt, adeunt Patres aliarum nationum, qui rerum hominumque nostrorum tantam notitiam non habent, hosque vel clamoribus vel minis, vel argumentis & querelis, aut etiam adulatione inducere conantur, vt vel affectu vel iudicio à nobis discrepent: Putant enim (quod omnino verum est) nullum tam efficacem patere eis aditum ad nos fatigandos, quàm si nostros à nobis separent.) Hæc *Personius* prudenter ad *Oliuerium*: qui

in

in hoc etiam displicuit *Claudio* Generali, quod in causa hominis è Societate tam facilè admisisset externum Assessorem. Cùmverò animaduerterit lector *Pagettum* & *Tressamum*, & similia nomina *Campiano* & *Personio* olim carissima, nunc à Societate dissidere, intelligat oportet nō eos ipsos esse qui prioribus annis omnia cum illis officia amicitiæ coluere, ipsorum tamen necessarios, quos cùm Societas profugos in Principum externorum gratiam introducere cuperet, & publicis negotijs procurandis adhibere, suâ ipsimet imprudentiâ hanc gratiam sustulere, & quidquid deinde Societas ageret, nihil pro se agi interpretati sunt. Ab Holto autem stabant præcipui quique Catholici Angli, quod testantur literæ *Barretti* Præsidis Duaceni à septem illius Collegij senioribus subscriptæ pridie Idus Nouembres anni nonagesimi sexti; & alteræ vno post mense datæ à doctore *Stapletono*, *Percæo*, *VVorthingtono*, quibus plus centum alij se dedêre testes. Quibus merito iungendæ sunt literæ Cardinalis *Alani* super ea tota re ad *Pagettum* scriptæ, vnum ex ijs qui præcipuè *Holtum* calumniabantur: ita enim scribit, quarto Ianuarij Anno 1591. 1602.

Literę Alani Cardinalis in causa Holti.

"Quod ad P. Holtum attinet quem Dominatio vestra præcipuè accusat, & insinuat ipsum esse reum, & per vos accusari posse de rebus turpibus & infamibus, & eiusmodi vt non audeatis ea literis committere; si ego scirem quæ res istæ essent, & cernerem esse eiusmodi quales tu dicis, & probari à vobis posse, neque fauorem ille neque defensionem apud me inueniret. Sed cum tu adeò vehementer eum accuses, & nihil tamen in particulari contra eum afferas, dabis mihi veniam si assensum meum cohibuero quoad videam aliquid probatum ex iis quæ prætendis: hoc enim à me exigit tum iustitiæ, tum conscientiæ quoq; ratio, hocq; in cuiuslibet hominis causa faciendū mihi esset, multo verò magis in P. *Holti*, qui tum propter honorem Religionis cuius est membrum, tum etiam propter opinionem quam semper de eius pietate, & fidelitate in Deum hominesque habui mihi exstitit carissimus, eoque confidenter vsus sum in Anglia, Scotia, & vbi modò est in Belgio; & semper benè, & cum laude virorum præcipuorum se gessit, & modò se gerit. Existimationem quoque quam apud Principem, Belgij Gubernatorem, eiusque Consiliarios habet, non tam ex mea commendatione quam ex ipsiusmet virtute & prudenti modo agendi sibi peperit; qui tamen sine dubio querelas vestras audirent si adeò graues subessent res, & probari possent, vt sentis: Quousque verò id à vobis fiat non miremini si opinionem ego meam de P. *Holto* non mutauero) Hæc *Alanus*.

Holtus tamen vt clamoribus quantumuis iniustis daretur aliquid cessit *Guilielmo Balduino* locum, abijtque in Hispanias; quo in itinere cùm Barcinonem appulisset finem viuendi fecit, anno eius seculi nonagesimo nono, illud in discessu familiariter locutus; " Per omnes istos clamores nè vnam quidem somni horam sibi perijsse) Quo amoto quam parum quietos expertus sit *Balduinus* huiusmodi æmulos, tum cum ad illa tempora ventum fuerit di-

1602. rit dicemus. Cum verò inter sex & triginta illa capita accusationis nulla facta sit ab æmulis mentio de Elizabetha Regina de medio tollenda *Holto* consentiente & prouocante coniuratos, (quod *Camdenus* memorat) signum est frigidam fuisse ieiunamque calumniam, quam ipse *Camdenus* euertit, quando imperitè narrat, *sacrâ Hostiâ osculatâ*, quod nullibi moris est, *iuratum esse pecuniam representandam statim cæde peractâ*: & ingenuè fatetur *ijs temporibus tam insignem fuisse hominum nequitiam, vt inter se insidi, alij alios in exitium quasi aliud agentes præcipitarent, mutuis dolis irretirent, & falsis nonnunquam mendacijs onerarent.*

Anno 95.

Thomas Hunt.

XXIX. *Holtus* igitur in Hispanijs ad laborum præmia euocatus est: Ijsdem ferè diebus *Thomas Hunt*, Lindoniæ in Rutlandiæ comitatu natus, post viginti annos in Superiori Germania varijs in muneribus collocatos, nostræ Missioni est adiunctus. Vir antiquæ simplicitatis, & qui à teneris innocentiam imbiberat & pietatem tantam, vt cùm puer Parentem vidisset exarsisse iracundiâ, & intemperanter quidpiam aut contumeliosè dixisse, multam noctis partem insomnem ducens, veritus nè Parens irâ non sedatâ de vita decederet surrexerit, patrémque supplex rogarit vt irâ positâ rediret in gratiam quo securè posset vterque quietem capere. Post operam Dilingæ, Oeniponti, & Ratisbonæ collocatam in Coadiutorum formatorum ordinem coaptatus anno nonagesimo quarto, cùm post liminio in Insulam transnauigauisset, quem odorem virtutis in Germania sparserat, eum quo se cunque conferret circumtulit. De seculi negotijs si quis accederet consulturus vltrò se fatebatur peregrinum, vt quæ sui non essent Instituti: atque cum quocunque demum verteretur sermonem de rebus diuinis inferebat, narrâs quidpiam ex Sanctorum hominum vitis aut disciplinis. Saltationem dicebat à diabolo iuuentam esse in Christi Domini ludibrium: pueros tamen domo nobiles cùm exercerentur docebat eum corporis motum referre ad Christi in Cruce pendentis, aut in sacra Hostia propositi decentem venerationem: frequenter habebat in ore Ordinem esse imitationem quandam cælestis habitationis: Id verò omne quod homini contingere posset in hac vita acerbum si Christi vulneribus intingeretur reddi iucundum; Diebus festis & Dominicis aliquid semper ad adstantium profectum curabat per quempiam legi, aut ipse ex Euangelica lectione decerptum proponebat, tam magna cum ingenuitate, vt præfatus se non sat esse eruditum vt ea de re differeret, eloquentiorem audientibus offerret, quempiam videlicet è Sanctis Patribus, aut ex ijs qui recentius in idipsum cum pietate scripsissent; quæ ratio licet quibusdam pareret tædium, alij tamen candore viri plurimũ delectabantur, valuitque ad auctoritatẽ apud viros illustres conciliandam, quantam nemo alius facile obtineret. Hinc aliquando lusui plus nimio immersis non modò ludendi finem sed eleemosinam ex lucro imperauit nullo repugnante; aliàs rixâ inter ludentes exortâ interposuit se medium, & flexis humi genibus flagitabat nè iurgio ad aliorum offensionem continuato & sibi & alijs iniurij essent, parcerent verbis, & Christi exemplo

sti exemplo condonarent potius si quid dictum immoderatius factumue esset; 1602.
vicitq; viri Sanctitas contentione in amplexus cõmutata. Reddendæ verò mercedis horum duo quæ acciderunt incõmoda videntur accelerasse. Abierat domo cũ duce viæ ad septem vel octo milliaria nostratia, persuaseratq; sibi quòd ad reuertendũ non esset ductore; itaq; solus cùm esset, vel aberrauit, vel orandi studio noctem duxit in campis: quæsitus matutino tempore repertus est non longè ab ædibus ad quas pridiè peruenerat: famulo dolenter ferenti quod acciderat, respondit nullã sibi noctem iucundiorem vnquam suauioremue contigisse. Non multo deinde post tempore cùm arma Catholicis adimerentur, vt remoueretur ipse è conspectu perquirentiũ concessit in vicinum hortũ, sedentemq; in pergula ingẽs frigidusq; oppressit imber, quo frigore obriguisse dicitur, & paucis deinde diebus vitã cum meliore cõmutasse. In postrema hac ægritudine præter cæteras virtutes quas frequẽtibus aspirationibus exercebat, ostendebatq; sibi esse familiares, sæpe se de ingratitudine erga Deũ, sæpe de exigua ad perfectionẽ obtinendã cõtentione accusabat. Tam magna autẽ Christum Dñm in Sacrosancta Eucharistia veneratione colebat, vt viaticũ nisi ieiunus non reciperet, & humi prostratus in genua, identidem exclamans *Maior* reuerentia *Maior* reuerentia Ad quinq; cochlearia iusculi quæ fuere victus vltima hoc vsus est condimento, vt primũ sumeret in honorẽ Passionis Christi Dñi: 2m. in memoriã dolorum Bmæ Virginis: 3m. offerret Angelis Tutelaribus: 4m omnibus Sanctis: quintum in reuerentiã cultumq; quinq; Christi vulnerũ Tum postulans tradi sibi Litanias Bmæ Virginis quas solebat viuens recitare pro cõsequenda vita sancta & fælice morte, has tenẽs manu, & prout vocibus propè intermortuis poterat pronunciare, animã suauiter efflauit 10. Feb. & Dominico die quo septimanæ die vt natus ita frequenter se dixerat moriturũ, recipiẽdus haud dubiè à Virgine, filioq; misericorditer remuneraturo præsentandus.

XXX. Sub id etiã tẽpus adscripti sunt in Soc. perutiles operarij duo *Worthingtoni*, *Ioannes* & *Laurentius* fratres, nati Blensoyæ in prouincia Lancastrensi. *Ioannes* puer duodẽnis dũ transfretare pararet detectus multã molestiã passus est à Pseudo Episc. & Præfectis illius regionis, qui modò blanditijs, modò minis & terroribus tenerũ pueri animũ tentarunt abducere à veris ad nuper fictos adulteratosq; ritus: admiranda in tam tenella ætate constantia, & supra ætatem responsa apposita furorẽ hæreticis, Catholicis addebant firmitatem. Dolo tandem bono elapsus è manibus Rhemos primùm cum fratribus duobus & patruo, tum Augium profectus est ad *Personiũ*, ipsumq; secutus in Hispanias & vsq; Romã iam Sacerdos Societati adiunctus est 27 Octobris Anni 98. Post annos probationis, & vnũ alterumue in Collegio Romano, missus Valisoletum Ministri functus est munere in Seminario, quo tempore quanquam turbatis Alumnorum animis mederi non poterat, tantã tamen suauitatem cum seueritate miscebat, vt quidquid faceret in optimã partem interpretarentur. Intemperie aëris & domesticis molestijs fractus anno quarto supra sexcentesimum migrauit in Angliam. Vt Londinum tetigit confessim missus ad pauperem homuncionẽ quem metu lucelliq; cupiditã ad hereticorũ conuentus per tractum mors imminens reuocabat, confessionis & vnctionis Sacramentis ægritudine pulsa erexit, & suo donauit

Duo worthingtoni.

Ioannes.

Vide in concertatione prolixã historiam.

1602. vestitu. Primus fuit è Societate qui in Prouincia Lancastrensi fixit sedem: labore & industriâ, facultate etiam qua pollebat concionandi, non in illa tantum sed vicinis regionibus plurimos sibi deuinciens, aperuit campũ amplissimum sui Instituti hominibus. Non facilè ad Sacramenta admittebat redeuntes ab Hæresi, sed iterum iterumque iubebat redire ab se edocendos. Quos ad Spirituales commentationes ex Sancti Ignatij methodo idoneos quidem reperisset, sed non facilè inducendos in eam mentem vt se ad dies tam multos colligerent (vel quoniam alicunde alienum ab eo genere solitudinis animum hausissent, vel quia negotijs obruebantur) inuitatis ad priuatum colloquium explicabat ex ordine die vno fundamentum super quo vita omnis Christiana superstruenda est, alio die considerationes de peccatis, & de ijs quæ homini accidunt nouissima, disponebatque ad vitæ delicta magno cum doloris sensu in Sacramento detegenda, & vitam peragendam dignam Catholico in æstu persecutionis laborante. Erecto in ea regione Collegio B. Aloysij sub Vice-Prouinciæ constitutionem datus est Rector, perseuerauitque in eo munere annis viginti, insigni cum incremento suorum apud omnes meritorum, & Catholicorum vtilitate. Missus Procurator Romam anno 32. debitum prudentiæ morumque suauitati testimonium ex vrbe & itinere retulit omnium approbatione confirmatum. Vixit ad ea tempora quibus omnia sub Carolo rege lusdeque voluebãtur, annis septuaginta grauis, professus quatuor votorum ab anno huius seculi decimo tertio: in ea tamen ætate ac tempestate tam alacris, tam erectus vt & ardore animi Tyrones, & prudentia vinceret veteranos: quæ vtraque videre erit ex Epistola quam de sua captiuitate scripsit ad eius temporis Superiorem in hanc sententiam.

Epistola de Iolsworthingroni sua captiuitate.

XXXI. Vehemens desiderium, ac preces quibus me vrget Reuerentia vestra ad illa conscribenda qui contigerunt in longa captiuitate mea & sat molesto carcere, vim habent mandati cui libens obedio, licet plures difficultates occurrant ac præsertim duæ. Prima, quod videam itinera ita passim impedita, ipsaq; in quibus viuimus tempora tot suspicionibus obnoxia, vt nihil possit cõmitti litteris sic explicatum ac plenum vt vel amicis satis faciat, vel careat incommodo ab inimicis: Altera est quòd in totius regni perturbatione & communi omnium Sacerdotum Catholicorumq; calamitate, mea nihil videatur captiuitas habere tam singulare vt plurium expectationem expleat quantauis eius narratio. Cæterum quoniam silere non licet, hæc sunt ex multis quæ dici possẽt.

Nondum captiuus eram, nec tamen sine carcere multis mensibus antequam venirem in potestatem hostis: nam vbi primùm cæpit bellum exardescere, domus quam habitabam (odio Religionis) destinata iam erat ab hæreticis ad prædam: noctu saxis armati petebãt fores, lacerabant fenestras, terrebant domesticos frequenti sclopetorum explosione; eò iam processerant insolentiæ, vt amici actũ de nobis conclamantes monerent statutũ esse de domo funditus subruẽda. Habebãt latibulũ in quo multis annis fida mihi semper statio fuerat & tuta ab perquisitorũ insultibus, at maiori iã hostiũ furor & impietas locũ hunc faciebat minus securum. Et adfuit tandẽ equitũ turma; vi, verbisq; procacibus postulãt ingressum

Ego

Ego interim elapsus superatis aliquot vepretis peruenio ad tugurriolum car- 1602.
bonarium, in quo nec stare poteram nec sedere sine molestia. Hic substiti vsq; ad secundam aut tertiã noctis horam, cùm adest famulus, narrat expilata quidem esse omnia, sed hostem recessisse; abesse domo periculum, posse me tuto redire: Immatura festinatio. Redij quidem oppido fessus, & somno egens, ad quem vix me composueram, cum ingenti fragore tunduntur portæ, pulsantur fenestræ, exitium cunctis intentatur nisi confestim detur introitus; suggesserat enim nouus Iudas partẽ quandam domus, quam nondum explorauerant, esse meam sedem. Induo quas potui vestes; alias mecum aufero; rursus domo profugum tenebris fauentibus seps vicina excipit; ibi noctem perago seminudus: Irruunt in cubiculum milites; lectum palpant calentem adhuc: Sacerdotem illum veteratorem ingeminant; noster erit nisi hiscẽs terra sceleratũ adsorbuerit, consecremus flammis victimã: sed frustra hactenus. Sub matutinum crepusculum recipio me ad tutiora syluarũ, vbi diem illum in solitudinibus errãs & in cauernis terræ exegi; & fuit Dei benignitas quod in obuias militũ turmas non incurrerim; haud procul aberant, adducto etiam maiori tormento ad demoliendam, vti credebatur, domum non male munitam; illo prima statim explosione disrupto miles ad præsidia sua se recepit. Ego quo diuerterem viribus fatiscentibus? doctus præsertim exemplo plurimorum quorum fuga prædam hosti obiecerat; domo itaque eadem me denuò condens vniuersa primùm scripta & fasciculos literarum committo vulcano exurendos: suppellectilis partem potiorem trado exportandam; latebris ingero quam pluria, & tam opportunis vt nisi euerso ædificio (quod postea contigit) reperiri non potuissent. Aliquot dierum quies est subsecuta, sed non diuturna. Dies erat Dominica, & persoluto quod debebatur reparandis animi viribus officio, aliquid pro naturæ necessitate indulgendum fuit corporis sustẽtationi. Vix mensæ accubueramus, ad fenestram miles intonat mandatum Parlamenti quo iubemur domo cedere, Parlamento vtendam relinquere. Surgimus; prospicimus quo loco res videretur esse: apparebant equites plus minus septuaginta onere duplici. Quid nos infirmi & pauci, & pleriq; tractãdis armis inexperti aduersus tantam manum? Quidam tamen indignum rati gratis admittere hostẽ exposerunt aliquoties, & vnum accepto vulnere prostrarunt. Hostis huius casu accensus ac præceps furore vncinis ferreis tentat ostia & fenestras, & spirans cædem & sanguinem, mistaque iuramentis fundens blasphemias conatur irrumpere. Mitior vnus aliquis suadet deditionem; hæc pacta his conditionibus; Numerandos esse in militem trecentos florenos; Arma, apparatum bellicum omnem hosti esse consignandum; Qui intus erant libertate fruituros, & parte domus. Ego illa nocte non comparui; Postero die cum impositum esset præsidium sat validum ad domus custodiam, existimaui cõsultiusfi proditem in publicũ & forti me cõmiterem cæterorũ; Egressus latibulo iunxi me cæteris nemini biduo suspectus; Mens erat fallere præsidiarios & rursus tentare fugam; sed præuertit me proditor, monito Chiliarcha quam domus partem ego incolerem.

1602. ille adiuncto nouo milite aduolat, omnia perlustrat; monitus de inexpectato tumultu, cùm iam nulla esset euadendi spes, me palã obijcio homini furibundo vt si quid posset innocens fiducia redderem mitiorem: Ille rugatâ fronte & auerso vultu, nè quidem dignatur alloqui, sed mittit examinandum ad iuuenem quendam cui aliquot ingenij videbantur inesse grana, cæterum mera erat verborũ sarcina: Orditur compendio totam vitæ suæ narrare periodum; Studuerat Oxonij, peregrè profectus fuerat in partes transmarinas; egerat cum Iesuitis; addixerat se ministerio verbi; habuerat ad populum tres conciones; Patriam videns sub armis gemere, hæc vt respiraret accinxit gladium, vtramque secutus Palladem; hoc multa perpetrauerat totus factus ad arma: Tum in laudes Chiliarchæ effusus non vulgarem deprædicabat eius pietatem, addebat munera quæ gessisset in Anglia & in Hybernia vbi Iudicis expleuerat locum: Nunc vero sibi demandasse has partes vt me & Sacerdotem esse & Iesuitam pronunciaret, adeoque reum mortis. Arbitrabatur fortassis mortis nomine terrorem mihi incutere, At ego me non esse dixi eum qui vel eos titulos, vel mortem propterea mererer. Nugæ, inquit, hoc supponitur. Cui ego, si hoc supponendum, si ita tu vis esse, quid porro expectas.

XXXII. Die insequenti frequens accurrit omnis conditionis populus spectatum & locum, & me quid monstri essem. Honestioribus modestè petentibus respondeo me esse Catholicum cætera tacens. Sublecuti rudiores ex fæce indignis me modis habuere: Hic capite inclinato rogabat absolui; alter contra Religionem euomebat plaustra mendaciorum: Ego inquit alius, ducam te Londinum vt suspendaris; Ego te strigoso equo imponam ligatis sub ventrem pedibus vt discas equitare: & mille huiusmodi; Miserrimum vero erat videre coram comburi Sanctorum imagines, & quidquid sacri reperire potuerant. Inter alia producitur Christi crucifixi statua, formâ sat iustâ eleganter sculpta, quam mihi ego curaueram ante quadraginta annos, & tanti temporis vsu quasi consecratam habebam in pretio: Hanc in media aula expositam mille ludibrijs & sannis cumulabant: tenuitque insolentia totos decem dies; si quid de nouo inter persecutandum occurrisset, nouus inde triumphus agitur, & festiuus in aula ignis, injiciuntur Missalia, corpus iuris Canonici, alijque libri multi & magni pretij, non sine plausu malignantiũ: cùm interim nemo mihi notorum auderet se ostendere, ne eodem mecum periculo inuolueretur. Cùm verò satis superque hic tumultuatum esset, ducor ad vicinum oppidum non sine solemnitate; Præibat qui statuam, quam dixi, Christi Domini, progredienti præferret; sequebar vectus iumento sat pigro, at calcibns, cùm calcaria deessent, tam gnauiter tundebam animalis vtrumque latus, vt facilè animaduerteretur, non tantùm gratum, sed glorioſum mihi esse quam proximè ducem meum & Magistrum in Cruce repræsentatum sequi. Stipabant decem milites armati; in ingressu oppidi clamat is qui Crucifixum præferebat, Ecce, hic Papistarum Deus est. Frequens erat in foro populus incolarum & eorum qui ad mercatum eo die conuenerant: Hæsere ad spectacu-

pectaculum attoniti; neque præter vnam mulierculam auditus est quis- 1602.
quam insolens aliquid acclamare. Cum ex equo descendissem ducor in cænaculum; accumbebant tunc forte mensæ (erat enim meridies) decem viri militares cum Chiliarcha: hic ad suos conuersus, Noui, inquit, ego hunc hominem; eumque vidi inter Iesuitas Gandaui ante tres annos. Similem fortasse, inquam, me vero à decennio nemo extra Angliam videre potuit: At ille quod semel dixerat, ab eo abduci potuit nunquam, neque fuit in causa quod mihi magis noceuerit quàm huius malè fundata, sed pertinax assertio. Amotâ mensâ ibat Chiliarcha in laudes Iesuitarum; dicebat esse viros perhumanos, doctos, pios in suo genere, temperantes, tales denique vt reformatæ Religionis homines pudere debeat vitæ suæ perquam dissimilis; At, inquit, hæc omnia commaculant suâ doctrinâ meritorum; & abit. Succedit vulgi turba quasi prò interludio, & varijs gesticulationibus ad ludicra prouocant tanquam si magus essem aut præstigiator: stabam tanquam vrsus ad palum neq; deerant canes qui me exagitarent; donec post horas aliquot dilabente paulatim cum die populo duxit me perhumaniter hospita ad cubiculum eo loci & temporis non incommodum; itaque illa nocte non male quieui; custos obseratis foribus dormiuit in proximo.

XXXIII. Sequentes dies literarijs velitationibus impenduntur cum Ministellis in peruenientibus; imperito hominum genere, itaque, quæ Dei bonitas est, nunquam non euasi Superior. Fama interim percrebuit me Episcopum, imo & Cardinalem esse, vel certe magnum aliquem & insignioris notæ virum. Hinc summo Præfecto armorum illius regionis videndi me cupido, & apud se lucri causâ detinendi: Aberat duorum vel trium dierum itinere Staffordiæ; fueram ex incommoda itinerum hospitiorumque commutatione tactus dextrum latus paralysi, vixque me vtcunque receperam quando triobolari equo impositus auehor; & primùm quidem cum essem consensurus miles dux meus & custos videns me senio & infirmitate propè confectũ & claudũ furias in me suas omnes conuocauit, & cum mille iuramentis & execrationibus clamabat, Ego hunc veteratorem, hunc Papisticum Sacerdotem confodiam; liberabo me & socios propediem hac molestia, & similia multa: Comitate tamen & communibus beneuolentiæ significationibus ita deuinxi comitum hospitumque animos, vt neque de equo post primum diem neque de obsequio vlla mihi querela esse potuerit. Ipso Præfecto armorum nullus humanior, donec post dies aliquot vilis quâ eram indutus lacerna, magnorum nominum neglectus, & reliqua conuersatio vulgi opinionem aliò verterunt & me cum paupertate mea in locum mihi idoneum retruserunt, sed permolestum propter pædorem, & vermium copiam. Crescente deinde captiuorum numero transferimur omnes in eiusdem vrbis domum conductitiam vbi humile quidem & male materiatum de cæteroautem non incommodum cubiculum mihi obtigit, lectus honestus cum camino. Arctiores tamen vigiliæ; nec cuiquam dabatur accessus sine Gubernatoris aut Commissarij ali-

1602. sarij alicuius chirographo, adesse etiam debebant testes eorum quæ dicebantur & fiebant, nec quidquam poterat inferri illis inscijs; libri cuiuluis nulla copia; suspiciones immodicæ: Non cessit his animus; vera dico; in tanta solitudine, & tædio diuturni carceris nunquam serenior; illud Psalmi expertus sum in me impleri, *Cum ipso sum in tribulatione*; adeoque nec in monte Quirinali, vbi sub piæ memoriæ P. *Fabio de Fabijs* hausi primitias spiritus, nec in Romano Collegio, cælo altero, sub P. *Benedicto Iustiniano*, diuinam bonitatem magis in me quam isthic effusam sensi: sit Deus meus benedictus in sæcula.

XXXIV. Excubabant interim amici in omnem occasionem opitulandi; fuitque cuiusdam è nostris industriâ res eo deducta, vt Princeps Rupertus, qui Regi militabat, concederet commutationem cum quocunque ex octo vel decem captiuis quos tenebat Salopiæ. Res erat Commissarijs gratissima; Præfectus ipse armorum boni nuntij baiulus esse voluit, significauitque adesse tubicinem: gratulantur ciues, gaudent meæ causæ tam potentes reperiri patronos: accingebam me ad iter, neque equum ignobilem adpromiserat Præfectus; do me quieti certus me postero die migraturum. At somnium fuit. Chiliarcha ille qui dixerat se nouisse me Gandaui, hic rursus euomit virus: adit Commissarios: clamat incapacem me esse beneficij, vt qui proditor sim & læsæ Majestatis reus. Vix paululum somni gustaueram, auocor ad Concilium bellicum & commissarios Parlamenti: frustra erat tergiuersari: itaque haud segniter ad aliam me scenam comparaui: de via conuersus ad Deum obnixè rogaui vt memor promissi dignaretur mihi adesse, & minimè sollicito quid essem responsurus, os illud & sapientiam largiri cui non possent resistere omnes aduersarij. Ingressio in Concilium, ad mensam benè longam cinctam vndequaque Chiliarchis, eorum locum tenentibus, & alijs officialibus, datur sedes inter Præsidem confessus & accusatorem illum meum quem sæpius dixi: habebat iste chartas in sinu aliquas quas per interualla versabat. Cùm incidisset sermo de domo in qua fueram captus, accusationem contra me sic instituit: Inprimis quòd facta deditione ego contra pactas conditiones non comparuerim, quòd me absconderim, quòd fuissem ex latibulo vi erutus, quod in ea domo pluribus annis vixissem occultus nomine ementito, quod multorum regnorum paragrator, literatus & cælebs sacellum habuerim magnificum, passim pro Sacerdote ipse habitus: denique vt hoc postremum, quod caput est, probaret, ostendit scriptum quoddam Roma datum ante quinquennium, Patentes scilicet literas de facultatibus cuidam Rodulpho Noëllo concessis, cuius nomen & literas mihi volebat affingere, & hinc euincere me Sacerdotem esse, subornato ad probationem puero qui iuratus mentiretur hoc ipsum me esse confessum. His dictis, detecto capite assurgit, & iam, inquit, de mea fide agitur, atque vtrum plus huic homini quam mihi tribuendum iudicetis. Iussus à præside dicere, erectus in pedes, & nudo capite respondi in hunc fere modum. Viri nobiles: habetis me hic affectum ætate, fractum viribus, è primo excitum somno, adeoq; haud satis idoneum vt ordinatè referam quæ contra me hic tam studiosè congessit, si quid

excidat

excidat cui satis factum quis cupiat, dignetur me memorem reddere Atque 1602.
vt à calce retexam vbi is pedem posuit, tantum abest vt isti ego me sacerdotem esse confessus sim aliquando, vt nè verbum vnquam, neque verbi apicem sim illi locutus vel ille mihi; cumque id iterum atque iterum affirmassem, paratus per sancta *Iesu* Euangelia iurare, subpuduit hominem suæ impudentiæ, quam tegere quoquo modo conatus est cum diceret saltem famulo quem ad me miserat insinuasse me quidpiam huiusmodi. Apage, inquam, cum tuo famulo, qui quod vehementer vultis hoc probatū esse præsumitis. Deinde quidest criminis abijsse peregre in exteras regiones? An ideo sacerdos? Quot peregre euntium millia etiam apud vos sunt? quam pauci Sacerdotes. At cælebs sum: Nec solus sum, neque omnes cælibes sunt sacerdotes. Sed quorsum latebam quando alij se siltebant? Quis quæso hosti triumphanti libenter se credit si possit impunè se subducere? Nemo certè aiebant ipsi Iudices. Ego vero pactam pecuniam iam ante solueram; per conditiones, quas dicis, liberum debebat esse mihi frui sede mea, aut postero die relinquere, si mihi esset cōmodius; quis ruptis conditionibus interturbauit? Tum quod ad latebras attinet, ego clato die & loco patentissimo sponte occurri Locum-tenenti, non vi tractus; vocetur ille, eius testimonio euincam. De sacello, respondeo, Non esse nos Atheos, aut homines qui syluas aut lucos consecrant, aut horrea, vt quidam; si quis est domi locus, honestissimum dedicamus sacris vsibus, neque apparatus est vilis, si suppetat facultas vasa cum reliquo instrumento sunt argentea vel etiam aurea. At, inquit, vnus aliquis Altari seruiebat, & quis alius præter te? Neque hoc necesse est, inquam; nunquam desunt apud nos qui hunc mihi honorem ambitiosè surripiant. Et hi sunt (ait alter) quos scire est operæ pretium vbinam sint: effare: subrisi: Et quem me esse fingis obsecro vel facere vis? Proditorem? Tum alius, Viginti sunt, inquit, in vicinia qui te eius domus sacerdotem appellant. Erras bone vir, inquam, plus quadraginta sunt, & plus centum qui hoc ex errore, vel malitia dicunt. At cur ego tot annos occultus? Ego occultus? nemo in paræcia vir bonus est qui me non nouerit, & mentam meam; nullus coctor ceruisiæ, piscator nullus, nullus laneo qui non mei commercij fuerit cupidissimus; Vectigalium collectoribus, cæterisq; officialibus nemo me notior; si qua contributio in pauperes facienda fuerit, si quod symbolum conferendum ad matrimonia egenorum cohonestanda; præsto erat semper meus nummus, meoque nomine publicè offerebatur. Hoccine est vitam occultè degere? Venationes, aucupia, gallinaceorum duella, globi lusorij aliorum sunt delitiæ; mihi non ita arridēt; & odi popinam, gratam multis stationem; nec tamen carui meis recreationibus, honestorum virorum consortio, hortis, syluis & similibus; nè canis quidem vllus erat in meo oppidulo qui me prodeunte tanquam non ante viso allatraret, tam eram singulis notus.

XXXV. At quid de puero respondes, cui agnouisti te esse Sacerdotē? de puero? nihil, sed ad vestram sapientiam prouoco, Iudices, an probabile, an

1602. le, an credibile, an fieri omnino potuerit, vt aut ego tantum me puero crederem, aut quiuis in quo iudicij quidpiam ineslet id de se fateri vltro vellet ex quo tam magnum sibi periculum crearetur. At quos Iupiter perdere vult (aut alter) dementat: senex quidem sum fateor, at non delirus. Producitur tum rursus in medium scriptum, quod dixi, illudque interpretabantur Ordinum à me susceptorum esse luculentum testimonium. Inscriptio erat. Admodum Reuerendo Domino Rodulpho Moëllo &c. Ac deinde *Facultates concessæ* &c. Hanc inscriptionem ego illis prælegi & docui non esse testimonium de ordine accepto, sed de Iurisdictione collata iuueni cuidam eius nominis; quo de nomine nullus me vnquam appellauit; atque adeo etiam si esset de ordine testimonium, in me non posset conuenire, qui *Ioannes* vbique & ab omnibus vocor. Itaque cum nihil ex omnibus probaretur; post breuem vtrimque vrbanitatis demonstrationem discessum est. Et videri potuit hac discussa tempestate nauis portum attigisse; sed æstuans ira Chiliarchæ nouam remoram iniecit cùm diceret scripsisse se de me ad Parlamentum; responsum igitur expectandum esse nisi in offensionem incurrere vellent; neque segniter laboratum est vt confestim mitterer Londinum; In arenam descenderant lucrum & malitia de mea pelle certantes, Chiliarcha vt me perderet, Præfectus vt me retineret. Erat id plurium iudicio prælagium perpetui carceris. Neque eadem fuit quæ prius vrbanitas, nunquam relinquebat solus, ad omnes rimas portæ excubabat suspicio; ipsum Præfectum helcio quis metus incesserat, vt neq; captiuitatis meæ socijs integrum esset ad me accedere. Quidam etiam nocte mediâ irrumpunt duodecim armati, lectum, vestes, armarium, caminum, omnia scrutantur; nimirum cùm voluntas non deesset me perdendi, argumenta quærebant in pernicem. Post quæ elapsi sunt menses aliquot sereniores, neque memini singulare quidquam contigisse præter molestiam arctissimæ custodiæ.

XXXVI. Succesere deinde Iudicia Prouincialia ad lites terminandas, ad reos plectendos aut absoluendos innocentes: At quo Iudice? non alio quam illo ipso Chiliarcha qui mihi fuerat infestissimus. Erat vir honestus (quem Clericum Pacis nominant) hic spem libertatis faciebat si libellum supplicem in curia offerre vellem; quoniam hactenus, per omnem quæ facta fuerat inquisitionem, allatum nihil fuerat quo probarer Sacerdos, sed neque afferri posse videbatur. At mihi sanè non probabantur pleræque circumstantiæ: Is enim qui non ita pridem puerum mendacem subornauerat, facilè inuenisset testem iuratum qui causam totam euerteret: Amici tamen consilio obsecutus, libellum scripsi rudi calamo, cui ille formam adderet; Ex quo tempore subijt animum cogitatio & quasi præsagium mortis imminentis, ad quam certè non exhorrui, sed iui obuiam tanto cum iubilo & exultatione vt nunquam Deum sim expertus præsentiorem. Imaginabar horam iam adesse; meditabar quibus verbis populũ essem allocuturus; quam essem mortis causam commonstraturus; quibus modis expressurus exundantem animi lætitiam, occultamque fidei, spei, & caritatis vim, qua impellebar ad publicè declarandum,

dum, nullam esse posse extra Romano-Catholicam Ecclesiam salutis æternæ spem. Statueram denique auditâ mortis sententiâ Deo laudes & gratias referre consueto Ecclesiæ carmine; Te Deum laudamus, & continuis precibus, ardentibusque votis flagitare executionem. Sed miser ego & peccator hanc gratiam non fueram promeritus. Sex dies tenuere Iudicia, neque de me vel minima facta est mentio. Is qui de libello supplici suaserat, non existimauit tandem rem committendam discrimini, cùm vidisset quendam pauperculum carceri ante oculos addictum, ea tantum de causa quod apud se Crucem habuisset & Rosarium. Sopitâ igitur ad tempus vel fatigatâ aduersariorum malitiâ, quies aliqua data est ab huiusmodi molestis inquisitionibus & turbulentis incursionibus. Luctandum deinceps cum morbo fuit, eoque tam pertinaci vt exhaustis viribus nè pedem mouere, nec tantillum stare potuerim: Medicus in loco nullus; Pharmacopola Cestrensis arte sua me fermè perdidit. Præfectus iterum occurrit destituto; rogat Commissarios vti per eos liceat vt mihi famulus assignetur ad obsequium; & obtigit, Deo volente, non vir bonus tantum sed valde commodus, sub quo vtcumque conualui: additumque pro colophone Breuiarium & sacra supplex; quâ cum per biennium & menses aliquot caruissem, sicut id auxerat captiuitatis acerbitatem, ita copia facta cumulauit solatium. Sub hoc autem tempus in ea ciuitate cæpit grassari pestis: Præfecti vxor grauida vehementer vrgebat discessum; Captiui multi vel procurato lytro, vel data cautione sibi consuluerant: cùm quæreret Præfectus quid de me faciendum censerent; Amandandum aiebant in reorum publicum ergastulum: Hinc comploratio famuli & beneuolorum. At ego, hoccine vos adeò torquet? Mea sanè in hac causâ nihil interest vtrum in carcere, an in Cruce moriar: Arbitror ipsam mortis sententiam futuram non fuisse tam grauem, non poteram tamen vultum non serenum præferre, quando animum sentiebam in Dei infinita benignitate constantem; & ad quæuis paratum: Placuitque Deo vt non staret decretum: obtinuit Præfectus vt secum rusticarer: fuit quidem iter incommodum, sed citò restituit me amænitas loci, & fluminis celeberrimi gratum murmur quod limen domus alluebat. In omnem præterea partem libera mihi erat excursio, & valdè fructuosa; nam cum in vicinia frequentes habitarent Catholici, quibus Sacramentorum percipiendorum copia non fuisset à triennio, præsto illis fui, & ingentem populi sub graui iugo sitim abundè expleui. Beneuolentiæ verò huic Præfecti non expectatæ adiuncta est altera, vt ipsius humanitate & beneficio cautione data comparendi, si vocarer, maximam partem recuperauerim pristinæ libertatis: nam domi cuiusdam viri nobilis habito qui se vadem obtulit, & hospitem; neque malè mihi apud illum est; nam frequentissimè excurro ad proxi-

1602.

1602. mum iuuandum, literis & sigillo Præfecti munitus & ab insidijs malignantium tutus: faxit Deus vt ex omnibus proficiam ad vitam æternam nam hæc in hac ætate diuturna esse non potest: Habet Reuerentia Vestra captiuitatis meæ historiam quam optabat, me autem quantus sum ad
21 Cor. 12. 11. obsequium: si verò *insipiens factus sum*, dicam cum Apostolo, *vos coëgistis*. Vale. Inciderat in manus Parlamentariorum anno huius sæculi quadragesimo tertio, durauit captiuitas ad annum quadragesimum octauum; quando visum est Deo animam sanctam ex his angustijs morte communi liberare, vt licet non Martyrum laureâ gloriosus, *fulgeat* tamen
Dan. 12. 3. *sicut stella in perpetuas æternitates*, quoniam indefessè *ad iustitiam erudierat multos.*

Laurentius VVorthingtonus.

XXXIII. Laurentius huius Frater eodem fere tempore admissus in Hispania, Tyrocinij annis peractis bis Philosophos explicuit, Cordubæ, & Hispali. Missus deinde in Angliam anno huius sæculi duodecimo, & cùm liber esset & cum clausus carcere fructum fecit non pœnitendum. Ex carcere VVestmonasterienſi (quam Portam domus vocant)

Eius literæ ex carcere. hæc Romam ad *Thomam Odoënum* demortuo *Personio* Præfectum missionis perscribit.

Magnifice Domine. Sat scio Dominationi vestræ pergratum fore de rebus nostris fieri certiorem: Hæc igitur scribo vt quæ mihi Socioque meo Domino *Francisco Young* intra anni huius ambitum hoc in carcere contigere breuiter recensleam. Comprehensus superiori anno & hic inclusus ante omnia adieci animum ad quinque Catholicos Laicos subleuandos, qui ob repudiatum fidelitatis (vt vocant) iuramentum in ima huius ergastuli parte iacentes permagnis animi corporisque angustijs premebantur; Assiduis enim & inconditis clamoribus facinorosorum hominum vnà vinctorum conuicijsque à precandi studio (quod maximum est miseriarum leuamen) atque à Sacramentorum subsidijs arcebantur (quorum diuinam & perquam salutarem opem hisce calamitosis temporibus omnes persentiscimus) Victus, vestitusque necessarij graui penuria laborabant, atque tantopere loci sordibus ac pædore molestabantur vt vix daretur somnum capere. His animi corporisque incommodis vt ex charitate subuenirem, egi cum Custode de transferendis ad meum cubiculum quod sat magnum mihi obtigerat; In hoc tamen non venere Custos & eius coniux, pecuniarum auidissima, nisi ingenti pacta pecunia quadringentorum circiter scutorum; quam pecuniam partim mutuo, partim mendicato corrogaui, vt ante hyemem, prout optabam haberent illi commodius. Locum carceris mihi attributum in duas partes diuisum adaptaui sacris prophanisque vsibus; hinc Altari Beatæ Virgini immaculatè conceptæ, illinc lectis quatuor ad quietem collocatis: Horum autem contubernalium

lium societate plurimum oblector ob eorum insignem probitatem, pie- 1602.
tatem, sanctitatem. Quotidie duobus vel tribus sacris, non rarò sex vel septem, pro numero Sacerdotum qui hic detinentur, singulari deuotione interfunt; Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta piè obeunt & frequenter. Omnes, vno excepto sene sexagenario & infirmo, hora quarta surgimus, libros spirituales, precationes tam mente quam voce, conscientiæ examina, aliaque pietatis exercitia statis horis coniunctim vsurpamus, vt non modica mea voluptate vitam disciplinamque Religiosam videamur adumbrare. Ad hos vero socios, alioſque complures subleuandos, Deo Catholicisque iuuantibus, eleemosynæ hactenus non defuere. De spirituali verò animarum quæstu vt aliquid dicam, sciendum est; primùm quidem semestre fæliciter satis & ex sententia mihi & amantissimo mihi socio *Francisco Young* successisse. Venere namque ad nos magno numero Catholici, adeò vt quinquaginta vel sexaginta auditores menstruis nostris concionibus interessent; Sed ne tanto bono diu frueremur omnis boni sanctique hostis impediuit. Nam Pseudoëpiscopus Londinensis, falsi fratris vt creditur indicio, dum die Sancto Benedicto sacro vir pius in sui institutoris laudem concionem haberet, immisit in consessum satellites suos, illum inprimis cui à Cruce nomen non malè conuenit, cum gregalium suorum non paruo numero; raptosque triginta circiter viros fæminasque in varias custodias distribuit, quòd Iuramentum, quod dixi fidelitatis indigno nomine nuncupatum, iurare recusarunt. Ex illis aliquot nobis sunt associati; hi videntes egregiam qua fruimur opportunitatem Sacra Mysteria frequenter percipiendi, diuinis rebus pijsque exercitijs vacandi, non solum non ægrè ferunt captiuitatem suam, sed plurimum lætantur Ego verò vt Deo optimo maximo immensas gratias habeam agamque in hac occasione illud impellit, quod pauci ac propè nulli Catholici, ex ditioribus præsertim (quos apparitores isti maximè aucupabantur) qui ad me & ad Dominum *Franciscum* conuenire solebant in hos loqueos inciderint: Biduo ante hunc diem me audierant verba facientem de Sanctissimæ Dei Matris Sponso Sancto Iosepho, atque ea de causa huic solemnitati non interfuerunt: Tot etiam tamque frequentes ad expiandos animos superiori semestri ad me venere, vt hebdomadâ qualibet in carcere plures quàm in sex vel septem hebdomadis liber exceperim Confessiones. Sex Deo iuuante ouiculas errantes ad Christi caulam reduxi; tres aliæ se ad reditum parant. Adeo raro nos nostroque inuisunt apparitores vt omni penè metu sepositio, sacellum diebus festis peristromate serico, altare floribus, imaginibus, cereis ornetur: Diebus vero celebrioribus Sanctissimum *Christi Corpus* in theca Crystallina radijs collucente expono visendum, quamquam id rarius propter metum Iudæorum. Deus amicis meis Hispanis benefaciat qui mihi ex ipsa Hispania misêre viginti octo scuta ad hanc thecam conficiendam.

1602. Diebus festis Catholicos habeo frequentes conuiuas, qui tantam ciborum copiam secum ferunt, vt inde pauperibus Catholicis ad plures dies prouideatur. Incredibile verò est quantam nonnulli Catholici patiantur inopiam, Viri nobiles qui olim sex vel septem Sacerdotibus sumptum præbebant, extremâ nunc prope mendicitate conflictantur: Atque hæc fere sunt quæ mihi primis sex mensibus contigere. Ab eo autem tempore non parum imminutus est numerus ad nos confluentium; alijs quidem vt cautius agant nos ipsi suasimus; alij vt sibi caueant hortatu nostro non indigent; Catholicorum enim nuperâ quam retuli comprehensione deterrentur: Quare ego ipsos, eorumque domicilia adire iam cæpi: Mirabitur fortassis Dominatio Vestra quòd tanta nobis libertas permittatur; sed ea est Custodis de nostra fide opinio, vel potius tam cæca tum ipsius tum coniugis auaritia, vt nihil tam arduum sit quod obtineri non possit. Pro commodiori Carceris habitatione tantum dabis; vt ad liberiorem auram paulisper in ipsius limine captandam consistas, tantum: Vt in suburbanum (modo de fide non ambigat) horam vnam alteramue, tantum. Hebdomadis igitur singulis huiusmodi suburbanas ambulationes magno pretio emo, specie quidem valetudinis conseruandæ, reuera vt Catholicorum, etiam vt Hæreticorum ædes, si spes aliqua sit lucri spiritualis inuisam, vt Sacramenta ministrem, vt Schisma dedoceam, vt Catholicos ad patientiam constantiamque incitem. Copiosam sanè messem singularis ista custodis auaritia suppeditat; sed libertatis adeò vtilis amittendæ timor (pœnas enim custos & ego dabimus si Magistratui vel Pseudo-Episcopo res innotescat) & pretij immanitas me aliquando remoratur) non ita tamen vt cuipiam opem meam poscenti desim. Quod attinet ad charissimum meum fratrem & commilitonem Dominum *Franciscum Young*, egregiè in re Catholica defendenda & propaganda laborat: Nam crebris concionibus priuatisque colloquijs Catholicos confirmat; Hæreticos assiduis disputationibus confutat: Tempus à proximo vacuum, precationibus, spiritualibus exercitijs, pijs libris in linguam vulgarem vertendis singulari exemplo & publico emolumento impendit. In controuersiarum & Linguarum studium præcipuè incumbit; nouem vel decem à Caluiniana Hæresi abstractos Ecclesiæ reddidit; egentium Catholicorum necessitatibus prouidet, magna cum Dei & Societatis laude. Christus *Iesus* cæpta nostra secundet & foueat, vt iuxta supernæ nostræ vocationis gradum in huius Ecclesiæ vinea digni & fideles inueniamur operarij: Id quo certius faciliusque consequamur, adiutrices Dominationis vestræ preces supplices imploramus. Auo nostro colendissimo, eiusque dignissimis Assistentibus, ac reliquis dilectissimis Sodalibus & amicis nostris vtriusque nostrûm obseruantiam reuerentiamque offerentes, & salutem plurimam exoptantes, orationes omnium ex animo & demissè petimus; ex optimo hospitio nostro (vulgò dicto Porta

domus,

arque vt ego interpretor, cœlestis) tertio Octobris 1616. Dominationi 1602.
Vestræ addictissimus *Laurentius VVorthingtonus.*

Anno deinde decimo octauo exul, Louanij Leodijque Theologos & Scripturam explicauit, & in Austria Græcij ; vnde cum Duce Lotharingiæ, & Principe Casimiro rediens in Belgium, inter militum signa hausta ægritudine, diem clausit extremum, circa annum huius seculi trigesimum septimum.

XXXVIII. *Thomas VVorthingtonus* horum Patruus, licet in Societate longè posterior, suasor tamen & administer itineris & melioris educationis & disciplinæ, nepotibus adiungendus videtur, quando horâ vndecimâ vocati pares sunt quandoque cum primis. Honestè in literis educatus, vbi adoleuit prauorum dogmatum odio pertæsus Oxoniensis Academiæ, sponte sua migrauit Duacum & Rhemos. Hic Laureâ Philosophicâ donatus, sacroque inauguratus Sacerdotio, moderatorum consilio migrauit in Angliam, & perutilem aliquamdiu nauans operam, ab adolescente quem multis deuinxerat officijs proditus, in Arcem Londinensem velut maleficij cuiuspiam reus compingitur, vincitur, & ad duos menses in subterraneo specu grauissima perpessus est incommoda. Mensibus sex elapsis, vnà cum *Gaspare Heywood*, alijsque circiter viginti constantissimis Christi Confessionibus deportatus in Gallias, exilium in Religionis Catholicæ ornamentum Patriæque multiplex subsidium conuertit. Etenim anno octogesimo octauo Augustæ Treuirorum Sacræ Theologiæ Doctor renuntiatus, haud multo post Rhemis in Anglorum Seminario Theologiam quæ in eius instituendis traditur professus est ; Fuit deinde cum *Thoma Stapletono* in negotijs Angliam spectantibus Nuntio Apostolico Bruxellis commoranti à consilijs : Tum *Barretto* Duaceni Collegij Præsidi è viuis sublato successor : Quod Collegium amplis auxit ædificijs, & honestauit veteri testamento linguâ vernaculâ edito & notis Orthodoxis illustrato ; Alijs etiam lucubrationibus in lucem datis, quas videre est apud Pitzeum, & Alegambe. Auctus demum Protonotariatus Apostolici dignitate & Præsidis munere depositò, ætate iam graudæua ad Societatem (cui & *Personio* fuerat semper coniunctissimus) adijciens animum, ab *Richardo Blondo* Prouinciale cooptatus, lucis huius vsuram reliquit sexto fere Tyrocinij Mense ; Vir in omni vita summæ integritatis & innocentiæ, & qui in Scholis doctior, quàm rerum administrandarum aut morum informandorum moderandorumque peritior habebatur. Thomas VVorthingtonus, horum Patruus.

XXXIX. *Thomas* alter *Stannæus* honesto loco in Diœcesi Sariburiensi natus, post duos annos Philosophiæ, & duos moralis Theologiæ in Anglicano de vrbe, adscriptus in Societatem anno vno ante *VVorthingtonos*, & in Angliam destinatus, in trium Martyrum Laicorum Coronis gloriatur, quos ipse ad pietatem & constantiam instituerat, *Swithini VVells, Rodulphi Miller*, & *Laurentij Humphredi*, & non paucorum centenorum in Thomas Stannæus.

1602. fidem professionemque Catholicam restitutorum. Ex laborum, latebrarum, carcerumque molestijs morbo non vno conflictatus, calculo, vrinæ difficultate, Hernia, Tussi, contractione neruorum, Podagrâ (quas omnes ægritudines patientia summa coronabat) in Belgium exul anno huius seculi sexto consedit Audomari, in eo Seminario æger ipse ægris præfectus. Quo in munere non otio sed labore, cùm poterat, & pijs narrandis exemplis se adolescentesque oblectabat. Podagræ dolores Aquâ Benedictâ cum Superioris adprecatione adspersâ, & orando solabatur, non alio vlurus medicamine nisi obedientiâ constringente: Lectione etiam vitæ Sancti Patris *Ignatij* leuamen dolorum sensisse referebat. At die vigesimo octauo Maij currentis anni decimi septimi, perfectâ vti rebatur vius valetudine, cùm vacua etiam esset ab infirmis adolescentum habitatio, eam iuncto adiutore quodam purgare à mensa aggressus, repentè concidit, & factâ eorum quæ parcè sumpserat eiectione, sopitis sensibus humo fixus hæsit: Eo die Exhomologesin, remque diuinam fecerat; munitus igitur Vnctionis Sacramento, morbo in Apoplexiam desinente altero post die sublatus est, omnium virtutum quæ religiosum virum ornare solent & laborum perpessionumque mercedem ab eo qui in omnes est dives recepturus. Numerabat annos ætatis sexaginta duos, Societatis duos de triginta, Coadiutor formatus ab anno sexcentesimo primo. Habuit is annus nonagesimus octauus, & nonus plures alios Societatis candidatos, sed quos breuis vitæ vsura fecit pené ignotos; vt *Ioannem Polum* à Spinkhill in Comitatu Derbiensi, qui missus Vallisoletum vt præesset studijs, & de conscientiâ quæstiones explicaret in Seminario, anno sexcentesimo quarto in Portu Lucarensi diem obijt extremum, cùm nondum trigesimum ætatis annum explesset; vir à virtute & doctrina commendatus: *Philippus Dracot* Staffordiensis, & *Guilielmus Medcalf* Eboracensis annum vix primum Tyrocinij absoluêre, cum ad piorum desideriorum præmia sunt vocati; *Henricus Floydus* longiori certamini seruatus est.

Henricus Floycus.

XL. Is vt supra narrauimus, missus cum *Ioanne Blacfanno* in Hispanias, & defunctus regendi munere quod in Olysiponensi sede acceperat à *Personio*, per multas ambages in Angliam delatus & in Societatem adoptatus, vixit cum Domino Ioanne Southcott (viro inter Catholicos nominatissimo) vndeuiginti annis, variam expertus fortunam. Quarto enim anno irruentibus per famuli incuriam summo manè apparitoribus, antequam se in latebram conijcere posset interceptus, in Portæ-nouæ obscurum humidumque specum coniectus est; vbi scamnum lectus, victus cum facinorosis communis: Magis tamen solicitum habebat hospitis, in cuius domo captus, periculum, quàm carceris incommoda: Hunc vt intellexit saluum, cætera facilè tolerabat: Quanquam non ita multo post in commodiorem locum translato facultas illi fuit & *Francisco Pagio* Martyri mutua inter se pietatis officia accipere & reddere. Poppamus

inter

inter eius temporis Iudices primus, cum ad possessiones Southcotti inuadendas anhelaret, omni arte molichatur *Henricum* conuincere de Sacerdotio, modò per examina inquirendo, modò blandis promissis alliciendo ad fatendum quod res erat, modò per falsos fratres & Apostatas obseruando an hominem nossent, quæ omnia *Henricus* prudentiâ & cautione elusit, & se hospitemque suum præstitit immunem. Amotus Londino ad Arcem Framingamiensem in Comitatu Suffolciensi, sub finem Elizabethæ exul migrauit Olyssiponem, vt quos posset Institores Anglos ad Ecclesiæ gremium reduceret: Illis contrâ, libertati & vitæ eius post pulueriariam conspirationem detectam insidiantibus, & graues querelas apud Gouêam Præpositum domus Professæ deponentibus; quas à nimium credulo Romam delatas ipse diluit; Et rursus in Angliam proficiscens diuertit Audomarum, hæsitque ad annum Præfectus spiritus. In Insulam deinde redux, iterum iterumque captus modò in Atrio Wintonienſi, modò in Fleta detentus est, vbi cùm crebris ægritudinibus penè conficeretur, Regina Caroli tempore intercedente libertatem consecutus est tantam vt ab inferenda illi molestia, vel ijs apud quos diuersaretur vniuersi prohiberentur. Quæ immunitas vt alijs etiam esset vtilis, animum adiecit ad ipsos Apparitores delatoresque comprimendos; numeratisque eorum artificijs quibus pecuniam ab Catholicis & Sacerdotibus emunctam in vsus suos conuertebant, (quæstui habentes munus quod ad Sacerdotes extirpandos acceperant) potestate exutos in ordinem redigi curauit. Quæsi cogitationem cuipiam afferant non esse tam atroces Catholicorum Sacerdotumq; ærumnas quàm à multis describuntur, intelligat distinguenda esse tempora: Prouidet enim Deus quædam quandoque interualla, vt in prima Christi Ecclesia, & in illis mitioris homines ingenij, nè tenso semper arcu Catholici animis frangantur & langueant; tum rursus ad certamina prouocat, vt cumulatius coronentur. Iste vir strenuus, & ad vltimam vsque senectutem laboriosus indefessusq; vitam cum meliori commutauit Londini; Professus quatuor votorum ab anno sexcentesimo decimo. 1602.

Ioannes Floydus.

LIX. *Ioannes Henrici* Frater ætate minor, in Societate antiquior, experientiâ didicit non semper esse quæ videntur tuta: Nam vocatus ad nostrum *Oldcornum* in carcerem Wigornienſem, tenetur, neque se prece aut pretio extricare potuit Poppæmo obsistente. Post annum exul, quatuor alios impendit Audomari concionando; ediditque in lucem varia ad Hæreticorum impudentiam retundendâ, magno applausu ingenij & doctrinæ. Tum rursus in Insulam redux, & sæpius ab apparitoribus redemptus, migrauit denique Louanium, Theologiæ explicandæ adhibitus; quibus in studijs, qua docendo, quâ scribendo reliquam triuit ætatem, ex hac vita repentina morte sublatus Audomari, Anno huius seculi quadragesimo nono, ætatis omnis septuagesimo septimo, Societatis quinquagesimo septimo, ab edita professione quatuor votorum quadragesimo.

1602. Et hactenus quidem variarum Societatis domorum & Prouinciarum experta caritatem hæc missio Anglicana, doctorum virorum, Martyrumque fortissimorum gloriam educationemque, immortali dignam memoria animo gratissimo vnde accepta est agnoscit, & sempiterna suauissimaque fouebit recordatione. Quâ ratione in posterum suis quasi nixa viribus stare cæpit, & aucta creuit ipsa in Prouinciam, sequentium librorum narratione exponetur, quanquam & in his ipsis quæ consecuta est incrementis, non vicinarum modò, sed & longius positarum Prouinciarum fauore & auxilio egere & vti necesse fuit, eritque non solum quamdiu sub incude persecutionis gemit, sed quandiu Societas ipsa vna est, & ambitissimâ membrorum omnium coniunctione sibimetipsa cohærens: *Pars enim si à parte dissideat, quid consequi potest nisi dolor, & interitus?*

HIS-

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER SEPTIMVS.

REgnauerat *Elizabetha* Annos quatuor supra quadraginta, in ea commodorum omnium redundantia, luxu delitiarum, pacis domesticæ quiete, externorum bellorum euentu prospero, negotiatorum copia & potentia, Ducum fortissimorum gloria, clarissimorum Senatorum perspicacia, nobilium virorum splendore, priuatorum opulentia, vt qui *beatum dixere Populum cui hæc sunt*, hodieque dies illos memorent halcyoneos, in quibus Cœlum, terra, maria, conuenissent ad Principem in Populo obsequentissimo, & Populum in Principe ornatissima omnibus gratijs cumulandum. Successit *Iacobus* eius nominis apud Scotos sextus, iure ducto ab *Henrico* Angliæ septimo, cuius Filiam *Iacobus* quartus habuerat coniugem: Huius neptis & vnica Filia *Iacobi* quinti & *Claudiæ Guisiæ*, nupta primùm *Francisco* secundo Regi Galliæ, tum *Darnleyo* Comiti ex Stewardorum prosapia oriundo, Catholicè educata Catholicam, quam cum lacte suxerat, Fidem mordicus retinere, atque in filium *Iacobum* sextum propagare contenderat: Eius rei gratia, vi & astu Hæreticorum tumultuantium pulsa Regno, dum apud Elizabetham quærit perfugium, libertate exuitur & vita; promissi fide, hospitij iure, consanguinitatis nexibus proculcatis. *Iacobus* Filius minorennis inter Hæreticos relictus, quam ab illis hausit pestem, in Anglia vir factus fouit; habuitque sub illo Societas quas depelleret calumnias, habuit & quibus se solaretur Religionis & gloriæ

Elizabetha defunctæ succedit Iacobus, dictus Sextus.

1603. incrementa. *Paruis lentisq; initijs quæ perpetuanda sunt plerumq; succrescunt.* Grana duo Anno octogesimo in Insulam missa, viginti totis annis vix vigesimum produxerant Societatis hominem qui tanto Regno sustentando adhiberetur, plures in aliis Prouinciis admissi, vel nondum in opus maturuerant, vel ijsdem in locis in quibus cooptati vtilem nauantes operam, vitæ annos aliquot exigebant; par enim erat vt tyrocinij & studiorum apud exteros emẽso stadio, aliquantulum eorum vtilitatibus deseruirent à quibus fuerant enutriti atque exerciti. Seminaria quoque in Hispanijs & in Belgio iis annis nata non paucos euocabãt ad variam earum domuum administrationem; aliquos etiam mors sustulit præmatura. In his fuere præter *Thomam VVarcopum* (quem libro primo memorauimus Alicanti de via defunctum) *Guilielmus Suttonus* & *Robertus Bennet*, hausti fluctibus non longè ab eodem Alicanti promontorio, dum anno nonagesimo ad initia Vallisoletanæ domus vocarẽtur. Catalogus defunctorum *Paulum* etiam *Tancardum* memorat Vallisoleti mortuum quinto Iulij Anni millesimi quingentesimi nonagesimi noni. Is *Carolus Tancredus* erat, qui annorum viginti adolescens, cùm in Seminario de vrbe Philosophiæ dedisset operam, profectus Neapolim admissus est in Societatem in Februario anni octogesimi quarti, decursisque Romæ Theologicis missus Hispalim, eo Anglorum in Seminario egit aliquamdiu Ministrum; tum summo Præfecto Regni Castellæ à Confessionibus plura peragrauit maria ac demum Vallisoleti, quo diximus anno, obijt.

Mortui ex nostris in Hispanijs.

Don Martin de Padilla.

Henricus etiam *Tychbornus* Sarisburiensis, admissus vndecimo Octobris anni octogesimi septimi, post studia peracta ijsdem in Anglicano de vrbe Præfectus, nascenti Hispalensi Seminario datus Minister, & moralis Theologiæ Professor, & Confessarius, anno sexto supra millesimum sexcentesimum magna cum opinione Sanctitatis & doctrinæ sublatus est. Posterioribus verò annis præter *VValpolos* tres, *Antonium* etiam *Hosquinum*, & *Ioannem Nortonum* Missioni isthic Præfectos, *Thomas Sylvestri*, *Ioannes Polus*, *Guilielmus VVarneford*, *Iacobus Blundel*, *Guilielmus Caldwell*, *Thomas Land*, & plures alij similibus in Ministeriis finem viuendi optato citius inuenere.

Tyrocinij Anglicani initia.

II. Huiusmodi impedimentorum frequentiâ motus *Personius*, stationem quærebat ex qua Tyrones numero auctiori cooptati ad hæc munia atq; ad messem in Anglia in dies copiosiorem, quotiescunque commodum videretur, possent educi. Nã & ex Seminariis adolescentes, & prouecti in studiis non pauci, multi etiam ex Sacerdotibus in ipsa messe laborantibus Societatem petebant, quorum omnium votis vicinarum Prouinciarum Tyrocinia non erant paria. *Iosephus Creswellus*, Missionis in Hispanijs per eos dies administrator, animo conceperat, & volente Philippo tertio in eacogitatione aliquousque progressus fuerat vt Bilbai Cantabrorum domus huiusmodi formaretur: Sed præter Cælum non vsquequaque nostris propitium, cæteraque grauioris momenti difficultates, ipsa loci longinquitas, itinerumque sumptus & pericula *Personium* deterrebant.

As

At *Prouidæ Dei sapientiæ ad manum sunt quantumuis longinqua præsidia.* 1603.
Aloysia de Carauajal à Regibus Aragonum non inferiores origini animos ducens, totam se auebat Deo tradere non vulgari studio sed excellenti quadam mentis ac vitium contentione. Formauerat illam à teneris ad pietatem Deus solitudinis puritatisque amore, quarum præsidio virtutum, spretis aulæ deliciis & allectamentis, in Cœlestis sponsi amplexus ruens, tam magno eius solius potiundi flagrabat desiderio, vt cùm primùm mortuis parentibus sui iuris esse cæpit, ab se cuncta quæ in deliciis mundi esse solent abdicarit, editis Castitatis, paupertatis, & obedientiæ votis, in rerum quarumlibet vsu quæ ei prouenire possent à Superiore quemcunque delegisset regenda. Adulta cum tutore coacta iudicio contendere de dote recuperanda, manu victum & vestitum quærebat sibi atque ancillis aliquot quas ad insignem pietatem educabat, neque propinquorum, etsi nobilium & locupletum, beneuolentiâ volebat vti, qui copiosam pro dignitate sustentationem offerebant. Recuperatam dotem intergam cõsignat in *Cresswelli* (tanquam Anglicanæ Missionis Vice-Præfecti) potestatem (ea erat post legata & debita persoluta, & litis sumptus, duodecim millium ducatorum) Frequens enim sermo de exulibus Anglis cæteraque vexatione Catholicorum qui in Regiam Vallisoleti ciuitatem deferebatur, lectio etiam vitæ atque Martyrij *Edmundi Campiani*, & *Henrici VValpoli*, coniuncta cum assidua diuina meditandi consuetudine, ardorem tam magnum in nobili pectore accenderat, vt non sua solum, sed ipsam se Catholicæ fidei in afflicta Insula sustinendæ dicare consecrareque decerneret. Igitur pecuniam Tyronum Anglorum domui inchoandæ destinat, suam deinde secutura liberalitatem, & præsens in Regno exceptura domo quos foris aluerat. Aloysia de Carauajal quæ fuerit

III. Harum rerum originem & progressum, quoniam in vltima quam Hispanias linquens conscripsit voluntate, compendio ipsa declarat, non sine sancta adgratulatione percurret pius lector. Sunt autem huiusmodi.

Ego Donna *Aloysia de Carauajal*, sensibus perfectè, & claro (quo me dotare dignatus est Deus) intellectu fruens, hoc meum Testamentum & vltimam voluntarem facio, & declaro, in nomine Dei Domini nostri, & in agnitione & professione Sanctæ fidei Catholicæ Romanæ. Et ante omnia animam meam offero in misericordes manus Creatoris & Domini mei, per intercessionem Sanctissimæ Virginis Dominæ nostræ, & omnium Sanctorum, eorum præsertim quorum ego patrocinium semper optaui. Humiliter pro amore Dei rogo Superiores Societatis *Iesu*, & Præpositum domus Professæ vti mihi velint ex gratia concedere paruum aliquem locum in sua Ecclesia, in quo terræ mandetur corpus meum, idque intuitu deuotionis qua ex animo prosecuta fuit semper ipsorum Sacram Religionem: Cui Religioni, eo modo quo credidi maximè esse ex obsequio Dei, offero ingenti affectu paruum licet donum, cùm amplius non possim. Quod si negata mihi fuerit sepultura in illa Ecclesia, Testamentarij procurabunt me spoliri in alio aliquo Collegio Eius testamentum.

1604. Societatis, modò Ecclesiam habeat stabilem & fixam. Si verò id etiam obtinere non possim, sepeliatur corpus in aliquo Monasterio, in quo pro amore Dei concedere mihi volent sepulturam tanquam pauperi qualis sum; Et secundum hanc meam conditionem fient sepultura & Exequiæ.

Executores Testamenti mei (pro tempore quo necessarium erit ad illud explendum) nomino Patrem *Richardum VValpolum*, & Vice-Præfectum Missionis Anglicanæ, & Confessarium Collegij Anglorum in hac Ciuitate, Qui si moriantur, vel diu absint, constituo declaroque eorum loco Patres Anglos qui ipsis succedent in officio. Post hos (quos ratione dignitatis Sacerdotalis primo loco nominaui) nomino pariter Comitissam de Miranda, Domnam Mariam de Zuniga, & Domnam Mariam Gasca, & Dominum Franciscum de Contreras, & Melchiorem de Molina Fiscalem, & Dominum Ludouicum de Carillo & Toledo, Comitem de Caracena, si contigerit ipsum meis negotijs esse præsentem. Hos omnes rogo vti velint in se suscipere hoc opus tam pium & Christianum, eisque do omnem quam possum, & quantum ius requirit, potestatem ad ea complenda quæ hic continentur, meliori quâ fieri potest forma & expeditione.

Primo & ante omnia declaro quod ante plures annos, cùm essem apud auunculum meum, voui Domino Deo, & firmiter promisi consecrare omnia quæ me contingerent bona ad eius solius gloriam maiusque obsequium. Deinde verò sua diuina Majestas indidit mihi ingentia desideria, & vehementes motus impendendi me super omnia, & quantum mihi esset possibile in conseruationem & incrementum Patrum Anglorum Societatis *Iesu*, qui tanquam columnæ fortes sustinent illud Regnum, & tuentur ab aliàs ineuitabili ruina, & suppeditant media efficacissima ad salutem mille & mille animarum. Quapropter ego illos offero Sacratissimæ Virgini Dominæ nostræ, ponoque in ipsius protectione, illamq; nomino & relinquo meorum omniú vniuersalem hæredem. Voloque & mando vt ex omni eo quod inuentum fuerit ad me quocunque modo pertinere creetur Census ad nummum decimum quartum super bonis dotalibus, vel quo alio fieri potuerit securiori modo: Eorumque ex nunc possessionem trado Gloriosissimæ Virgini, & ipsius nomine & loco Patri *Roberto Personio* Societatis *Iesu*, & illo deficiente, Patri illi qui ei succedet in officio Superioris Missionis: Hac tamen conditione & onere, vt omnia illa bona, vel eorum illa pars quæ modo hic descripto collocata fuerit, maneat, applicenturque ad fundandum Nouitiatum Religiosorum Anglorum Societatis *Iesu*, in quo Regno, vel qua orbis prouincia eidem Patri *Personio* visum fuerit ad maiorem Dei gloriam

Casu verò quo Anglia reducatur ad fidem & obedientiam Romanæ Ecclesiæ, volo vt dicti reditus transferantur in dictum Regnum ad fundandum ibidem Nouitiatum Societatis; nisi Patri *Personio* videretur, propter rationes Catholicam Religionem concernentes, melius esse relinquere Nouitiatum extra Regnum; illo casu poterit eo loco relinqui quamdiu illi videbitur conueniro.

Quod

Quod si hæc donatio non sit satis ampla ad fundandum Nouitiatum; reditus 1604.
de anno in annum impendentur in augmentationem fundationis, donec assurgant ad summam mille quingentorum ducatorum annuorum, vel ad duo millia in vsum fundationis. Si verò tempore huius augmentationis Patri *Personio*, vel alteri Superiori Missionis post illum, visum fuerit necessarium impendere partem aliquam huiusmodi redituum pro bono Missionis, & pro conuersione Angliæ, quod iudicabit euidenter magis conducere ad Dei gloriam, id facere poterit, solicitè restituendo præfatum reditum vt dictum est.

Sequuntur mandata de debitis & Legatis. Factum Vallisoleti 22. Decembris 1604.

Hæc nobilis & pia Heroina sanxit abdicandarum rerum cupiditate magis quàm alij conseruandarum flagrans. Louanij in Brabantia primùm quæsita est hoc fundamento, Tyrocinio sedes quam alij in alias deinde propagarunt. Quanquam etiam *Personij* temporibus tam se beneficam diuina largitas præbuit, vt conductitiam habitationem in illustre domicilium commutaturam se esse, cùm opportunum foret, ostenderet.

IV. Est in finibus Flandriæ & Artesiæ quâ Angliam spectant Mons, Me- VVatenarum sedes.
napiorum olim sedes dum mari Britannico alluueretur: Nunc, recedentibus vndis ad duodecim prope milliaria, medius eminet Grauelingam inter & Casletũ, cingiturq; ciuitatibus maritimis Duynkerka, Bergis-Sancti-Winoci, Audomaro, quarum facile est commercium ductis ad singulas ex Colma & Aa fluminibus præterlabentibus, canalibus, auctisque aquâ in valle stagnanti. In eius Montis planitie quæ pago Watenensi imminet, Clementia Comitissa Flandriæ, Roberti Frisonis nutus, anno à Christo nato millesimo septuagesimo secundo posuerat templum in honorem Beatissimæ Virginis, & Sanctorum Nicolaï, & Richerij, dicatumque per Episcopum Atrebatensem dotauerat amplis possessionibus, ornaueratque Sanctorum reliquijs à duce Apuliæ acceptis. Cui templo deinde cùm consequentes Principes plura ædificia & prædia & Religiosos Patres ex Canonicotum Regularium instituto addidissent, ab Offrido primo eorum Præposito triginta alij in eadem dignitate successiue numerabantur, viri pietate & prudentiâ conspicui, qui & gratiâ Principum, & auctoritate quâ valebant in generalibus ordinum Patriæ conuentibus, magnis familiam illam priuilegijs decorarunt, auxeruntque prouentibus; censebanturque in reditibus annuâ viginti quatuor Florenorum millia. Copia (vt plerumq; fit) desidiã, desidia contemptũ disciplinæ procreante, tantus paulatim inualuit luxus, tam immanis licentia, vt improbitati, nequitię, sceleri, libidini nihil reliquum esse videretur. Centum & sexaginta postremis annis cùm nullum reperiretur eo in corpore sanum membrum quod cæteris mederi posset, adsciti sunt ex alijs Monasterijs, alijsque ordinibus qui Præpositi locum implerent; irrito omnes conatu, vt necesse tandem fuerit Caroli quinti Imperatoris vti potestate ad flagitiosos & perditæ nequitiæ homines compescendos puniendosque. Tum verò cùm noui Episcopatus eo imperan-

1604. te erigerenter in Belgio, & Teruanensis bellis dirutæ & antiquatæ sedis prouentus diuiderentur in Bolonienlem, Iprensem, Audomarensem, huius mensæ additum est id Monasterium Pio quinto concedente, paucis qui remanserant Canonicis illius Episcopi curæ traditis; qui cum ab tumultuantibus per Belgium Hæreticis incenso Monasterio Audomarum profugissent, locum non mores commutarunt, sed mortuo Domino de Hamericourt (ex Abbate Sancti Bertini Audomarensium primo Antistite) nacti ex suo corpore Præpositum, is sacrâ supellectile atque argenteis vasis quæ ex communi incendio fuerant erepta diuenditis, abijt in Hollandiam, & correptus pestilentiâ meritas sacrilegij dedit pœnas. Tres vel quatuor reliqui, quanquam in ædes Episcopales transiati, de Episcopi mensa (ne pristina leuitate intuentium oculos animosque offenderent) nutrirentur, nullam spem fecêre probitatis tantæ quantam nouum Monasterium in veteris ruinis erigendum postulabat.

Iacobi Blasęi Episcopi Audomaren, piæ cogitationes

V. Pius Quintus in donatione quam fecerat Audomarensi, iusserat victum & vestitum ac cetera necessaria octo Religiosis ex reliquo prouentu tribui, qui Dei cultui eo in Monasterio conseruando promouendoque operam darent. Id per annos propè triginta factum non fuerat cùm *Iacobo Blasæo*, ex Diui Francisci familia Religiosissimo viro, sedes Episcopalis commissa est. Quamuis enim is qui ante eum fuerat Antistes Dominus d'Iuernois, quædam quæ ad ædificia spectabant instaurarat, sperans vel antiquos restituere, vel ex suo Sancti Dominici instituto nouos eo loci imponere Religiosos, nihil tamen vt perficeretur mors superueniens effecit. *Blasæus* neque veteribus incolis neque suis tutam existimans habitationem, ad longinquiora cogitationem intenderat. Habebat etiam ipse ante oculos positum Adolescentum Anglorum Seminarium, quos inopia domesticæ ad virtutem & literas educationis regno pulsos Regis Hispanensis liberalitas Audomari collegerat; familiæ plures Anglorum in eandem ciuitatem confugerant vt Religione, quâ sine summo metu summoque discrimine domi colere non poterant, foris in pace & quiete finitimæ ciuitatis fruerentur; Sacerdotes exilio exturbati frequentes commigrarant nouas sibi sedes quæsituri; mulctæ pecuniariæ, carceres, cædes in Anglia plurimorum fidei solius causâ quotidie nuntiabantur, quibus sectarij auitam fidem Regno pellere, Schisma Hæresimq; stabilire nitebantur. In Flandriæ vicinis oppidis ad idem Hollandi collimabant ferro tentantes viam: Nitendum igitur contrà Religioso viro videbatur, vt quod vno in loco Hæresis moliebatur destruere, alibi sustineretur: Iamq; animo agitauerat Clementem Octauum Pontificem eò si quo modo posset inflectere vt quæ alimenta paucis Monachis ex decessoris voluntate attribuenda essent, libera sibi relinquerentur ad Catholicam causam vbi maximè commodum esset sustentandam: Latius enim patere id opus quàm quod à paucis quantumuis Religiosis viris priuatim præstaretur: Per id tempus præerat Seminario Anglorum *Ægidius Schondonchus* & acceperat à *Personio* literas

teras quibus cùm significasset ea quæ *Cressvellus Bilbai*, quæque ipse de non tam longinqua commoratione Tyronum Societatis cogitarat, rogabat vt si quid circumspicienti occurreret vicinius, consilio auxilioq; non deesset. *Schondonchus*, cui frequens erat cum *Blasæo* sermo & pro ea quam apud omnes obtinuerat opinione prudentiæ & grauitatis multa didicisse poterat eorum quæ pium Episcopi animum solicitabant, recentibus munitus literis, prima congressione aperit *Personij* mentem." Id ipsum est (inquit Episcopus) quod iam diu me solicitum tenuit; viderisque (mi Pater) tanquam de Cœlo missus vt anxietatis depulsâ nebulâ lumen afferas. In conspectu sunt *VVatenæ* quæ huic operi, Deo vt video disponente, debentur. Hæresi ferocienti obijcienda est ista munitio; Veteranorum ignauiam Tyronum ardor compensabit, expiabitur sanguine Martyrum inusta olim flagitijs macula; Dumque se ad virtutis pietatisque omne genus hi informant, veterum fundatorum votis & meis fiet satis; pro defunctorum enim animabus sacrificia offerentur & preces; plebsque subiecta salutis monita, quod vehementer ego cupio, nullo impediente suscipiet. Apud te, & cum Deo rem vniuersam circumspice, proximo congressu definiemus.) Interceßere dies aliquot ad deliberandum: Renuntiat *Schondonchus* locum rei propositæ videri aptissimum; consentiunt scribendum quamprimum ad *Personium*. Is laudata Episcopi pietate simul ac liberalitate, atque immensas illi secundum Deum gratias agens, diuinitus oblatam mansionem obuijs vlnis amplectitur. Etenim Audomaro non plus quinque milliaribus Italicis disiungebatur, siue terrâ siue flumine deueharis; quo fieret vt ciuitatis tam vicinæ emolumenta perciperet, & qui in Seminario educabantur adolescentes, Tyronum virtutes non longè positas oculis ipsis vsurpantes, si qui studio imitandi incitarentur, aëre etiam commodo, & facili itinere allicerentur: Sacerdotes verò siue cùm ex Anglia commigrarent, siue hinc in Insulam transnauigarent, portum haberent in conspectu: Siquidem claro die albescentes Dorobernij cliui intuentibus obijciuntur. Erat præterea locus in tutela Virginis Matris cuius *Anglia Dos* ab antiquo dicta est: Templi denique parietes, defunctorum Sepulchrales lapides, saxa pauimento substrata *Pacem* ferebant vbique inscriptam, & eius sequaces non mutâ voce inuitabant de quo Propheta Regius olim cecinit; *Et factus est in pace locus eius.* 1604.

VI. Hosti humani generis mille sunt nocendi artes: Bono quod non sperat euertere, nectit moras; atque in medio est illi cuius vtatur operâ modò consequatur opus. Vix innotuerat pia Episcopi mens diuersi diuersa meditati sunt. Alij non Anglis solis, sed & Hybernis & Scotis Societatem ambientibus perfugium esse cupiuere vel se cupere demonstrauere. Alij Tertiæ Probationis domum illi Prouinciæ in qua *VVatenæ* sitæ erant erigi maluere, quâ possent & Angli recipi & ad Societatis

Difficultates circa VVatenensem Anglorum habitationem.

1604. mores formari. Neque defuere quibus visa res est periculo plena Anglos eo loci habitare, qui locus Arci construendæ commodus videretur; multum enim in vtramuis partem valere posse siue eo hostis (qualis fuerat recenter Anglus) siue ciuis potiretur: Addebant, ægrè fortasse latura quatuor (quæ vocant) Flandriæ Membra exteros adoptari, quorum in Conuentibus illius domus Præpositus locum obtinebat & suffragium. Audomarenses etiam Ciues qui Seminarium intra mœnia admittere noluerant nisi Rector adderetur Hispanien sis Regis subditus, non passuros in tanta vicinia eiusdem gentis peregrinos homines vrbem vniuersam ex sublimiori loco quanta quanta esset circumspectare: Episcopi mentem plenam esse pietatis; inuidiæ tamen tempestatem omnẽ subituros nostræ Societatis homines, per quos solos apud Catholicum Regem ageretur res in præsentiarum speciosa, & quæ in futurum tempus posset esse Patriæ pernicios issima. Hæc cùm ad *Claudium* Generalem deferrentur, perseuerauit tamen ille cum Episcopo & cum *Personio* consentire; Rege Catholico assentiente, qui *Alberto* Archiduci Belgium gubernanti suam ea de re voluntatem his scriptis declarauit. Sereniss ime Domine.

Pater Robertus Personius Societatis *Iesu* qui Romæ degit significauit Episcopum Audomarensem commotum caritate, & necessitate quam patiuntur Religiosi Angli eo quod desit illis domus Probationis, obtulisse domũ quandam & reditus in ipsius Episcopatu, Audomarum inter & Dunkercam, remque ad diuinum obsequium valde spectare. Quoniam verò ad domum illam stabiliendam, aliaque circa illam negotia perficienda proficiscitur hinc P. Michael Walpolus, annuente Patre suo Generale, & opus ipsum tantopere meretur promoueri ob causas quæ se facile offerunt consideranti, erit mihi gratum si vestra Celsitudo adsit auxilio quo sortiatur effectum, faueatque in omnibus dictis Religiosis, cum non possit non elucere fructus quem faciunt ad augmentum Religionis Christianæ in Anglia. Dominus noster conseruet V^m. Celsitudinem quemadmodum opto. Vallisoleti 20. Iunij 1604. Frater Celsitudinis V. yo el Rey. *Paulus* etiã eius nominis V Pontifex Maximus cum laude *Blasæi* rem Nuntio suo apud Belgas commendauit, vt Episcopi secutus mentem, quo posset ardore pium promoueret propositum, decreuitque vt examine consueto solemnibusque seruatis ceremonijs, pars illa, quam *Blasæus* proposuerat, à mensa Episcopali separata, Nouitiatui Patrum Anglorum de Societate *Iesu* in perpetuum vniretur. Literarum Apostolicarum ad *Blasæum* Episcopum hic tenor est. *Paulus* PP. Quintus Venerabili Fratri *Iacobo* Episcopo Audomarensi. Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quæ nobis significauit Fraternitas tua de virtute, constantia, & animi alacritate dilectorum filiorum Sacerdotum Societatis *Iesu* in fouendis cõfirmandisque filijs nostris Catholicis regni Angliæ, magna nos consolatione affecerunt: Respondent sanè desiderio nostro & opinioni quam de Religiosa illa familia præclaram semper habuimus. Consilium vero Fraternitatis tuæ de operarijs istis tam vtilibus oportuno loco constituendis ad opem feren-

Literæ Pontificis ad Blasæum.

dam

dam operantibus in vinea quam aduersarius deuastauit summopere laudamus. Propterea mandauimus Venerabili Fratri Archiepiscopo Damasceno, Nuncio nostro Apostolico in Belgio, vt cum dilecto filio Nobili viro *Alberto* Archiduce diligenter agat de Præpositura Watenensi Sacerdotibus Societatis *Iesu* tradenda, quemadmodum ad nos scripsisti; detque operam omni studio atque diligentiâ vt res ad exitum perducatur: Itaque poterit Fraternitas tua Nuncio nostro subijcere quæ pro faciliori transactione eiusmodi negotij magis opportuna tibi esse videntur. Nos ex altera parte quantum in Domino poterimus, labores & conatus filiorum nostrorum ad Dei gloriam, Catholicæ Religionis reparationem, atque salutem animarum semper adiuuabimus. Interim zelum pietatis & charitatis quo solicitus es de diuino honore, & de fidelium afflictorum solatio salutari laudamus, & prudentiam quâ hoc ipsum curas probamus. Quibus omnibus vt verè Apostolicum Episcopum te exhibes, ita nostram Caritatem tibi mirificè obstringis. Perge igitur in nomine Domini, & nos vt hoc commodius præstare possis, tibi & gregi tuo sicut postulasti, Apostolicam benedictionem nostram peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris. 14. Cal: Martij 1607. Pontificatus nostri anno secundo. 1605.

Alia difficultas ab Aula Bruxellensi.

VII. Ducibus Burgundiæ qui olim Belgis imperauerant, concessum fuerat, vt quæ literæ Apostolicæ fidei decreta non tangerent, nisi Curiæ impetrato consensu non valerent. Agebat tunc tẽporis Bruxellis Thomas Edmundi, Iacobi Regis apud *Albertum* Archiducẽ Orator; hic literarum huiusmodi rumore cõmotus, incitatus etiam nõ suâ solâ nequitiâ sed atroci tetraq; Catholicorũ quorundã coniuratione, quâ subiecto Comitiorum ædibus tormentario puluere conuentũ vniuersum quingentorum hominum, ædificiorum quampluriũ ruinis, horribili strage, miscere cogitauerãt, Regis sui iras in immensum exaggerans, tam vehementi clamore in aures metuentis Principis insonuerat, vt omitti iusserit in præsens earum literarum mentionem: Tum deleri voluerit Regni Angliæ Anglorumque nomen, remque verbis magis vniuersalibus concipi. Graiter id tulere *Blasæus* & *Paulus* Pontifex. Attamen nè res tanta paucarum vocularum inuidiâ penitus concideret, in eam tandem mentem venêre, vt verbis commutatis, maneret integra ratáque transactio. Itaque vbi scriptum fuerat, *Vt non tantum Regionem illam plurimùm in Domino consolari possint, sed vicinum etiam Angliæ Regnum, & Catholicos eiusdem, fidei causâ in eo laborantes, spiritualibus subsidijs &c. & In qua donec Regnum Angliæ ad fidem Catholicam reuertatur, ac Collegia & domus dictæ Societatis in eo erigantur, Nobiles Angli, & alij pro Missionibus ad dictum Regnum pro tempore destinati, præcipuè admitti possint &c.*) His inductis reposita sunt sequentia. *Vt dictæ domus probationis Societatis Iesu Religiosi vicina oppida & vicos obeundo pro Instituti sui ratione, non tantum Regionem illam plurimum consolari possint, sed vicinas etiam Prouincias & Regna, & Catholicos eorundem, iuxta suum laudabile institutum, spiritualibus subsidijs pro loci propinquitate, &*

1605. *te, & opportunitate plurimum iuuare & recreare valeant.* Quâ moderatione placatus Archidux, vt Curiæ probatio accederet non inuitus assensit. Factaque est obsignatis tabulis, tertio Idus Apriles Anni vndecimi supra millesimum sexcentesimum, solennis traditio dicti Monasterij (cum omnibus iuribus & annuo censu ter mille Florenorum Brabantinorum in pratis & syluis circumiacentibus) acceptante *Aegidio Schondoncho* in rem & vsum-fructum perpetuum Domus probationis Societatis *Iesu*, secundum ea quæ *Blasæus* Episcopus, & *Claudius* Generalis conceperant. A quo tempore Anglorum illi domui, quæ Louanij inchoata, Leodium inde translata fuit, cessere possessiones omnes transcriptæ; administrabantur tamẽ initio per Belgas Patres, paucis impositis Anglis; neque enim *Albertus* dum viueret induci potuit vt eo loci Anglorum familia integra domicilium figeret: *Tanti est Principum animos præiudicijs occupare.*

VVatenæ rursus Anglis confirmatę.

VIII. Hæc autem mora (vndecunque demum nata, vel fota fuerit) metum *Blasæo* iniecit, ne quod ipse pro fidei Catholicæ in Angliæ Regno propagatione stabilierat, aliò cum die auerteretur. Belgarum Prouincia in eam amplitudinem creuerat vt à duobus facilius quàm ab vno regenda videretur: Itaq; partitæ in duas, Flandrobelgis attributa sunt ea loca quæ Germano idiomate, Gallo-Belgis quæ Gallico vterentur: Dubium esse poterat ad quos *VVatenæ* pertinerent: Erant enim idiomatis Germani, sub imperio tamen Episcopi Audomarensis, quæ Ciuitas in Artesiæ finibus sita sermonis est Gallici: Mortuo igitur *Personio Blasæus* à *Claudio* primùm impetrauit, vt cuiuscunque tandem potestati in Societate subesset, non traderentur alijs quàm Anglis Tyronibus educandis: Idem à *Mutio* decretum est. Hac impetrata cautione, mitigata est parte aliqua mentis ægritudo quam attulerat Religioso Antitisti eius rei dilatio quam summo studio cupierat videre perfectam. Nam præter ea quæ à mensa separauerat, suæ industriæ fructus aliquos offerre decreuerat, magnificentissimi muneris ornamenta, vt libros, vt additamenta ædificiorum, non quæ laxando animo suo seruirent (videbat enim id quieti Tyronum officere posse) sed quæ eorundem initia solarentur; ac denique corpori suo condendo Sepulchrum, quod nouis hospitibus gratissimum accidisset: Licet enim nomen titulumque Fundatoris perpetuò recusarat, honorem illum antiquis Patronis deferens; iucundissimum tamen fuisset ante oculos positum habere illius defuncti monimentum, cuius viuentis tam fuerat diuina caritas, tam illustris liberalitas. Incertum de commoratione nostrorum cum mors occuparet, libros Episcopio legauit; Corpus in summo Templo solenni ceremonia conditum est. Quando vero Benefactori tam magno iam vita functo aliter parentare non datur præterquam pium eius in hoc opus studium zelumque apud Deum & homines commemorando, atque is zelus non aliunde certiùs peti possit quàm ex ipsiusmet ad varios scriptis literis, ex his aliquas recitare operæ pretium fuerit, eas præsertim quæ post motam ab Oratore hæretico de Anglis difficultatem conscriptæ sunt. Sic igitur inprimis Illustrissimum Nuncium Apostolicum alloquitur.

8. Septem. A. 1612.

22. Octobris Anno 1616.

Illustrissime ac Reuerendissime Domine in Christo

Christo colendissime. Literas Sanctissimi Domini Nostri accepi 1605.
quæ vt gaudium mihi non vulgare attulerunt, ita admitationem præterea non leuẽ iniecere, suam Sanctitatem inter tot grauissima laborantis Ecclesiæ negotia tamen de iuuanda per Societatis Patres Anglia adeò serio cogitasse, atque vt hi operarij collocentur loco opportuniore, qui videlicet sit eorum vineæ propinquior, qualem credit sua Sanctitas esse Præposituram nostram Watenensem. Idem studium & ardorem video in Illustrissima ac Reuerendissima Dominatione Vestra Quæ sanè omnia Apostolicâ quandam mentis altitudinẽ, & dominici gregis solicitudinem immensam declarant, coniunctaq; cum ipsorum Operariorum alacritate non dubiam spem faciunt illi regno efficaciter succurrendi, & vt quo magis ibidem à Catholicæ fidei aduersarijs sititur sanguis, eo magis in messoribus, & Domino Messis zelus ebulliat. Magno Ecclesiæ solatio & huius Patriæ bono conuertetur illud regnum, quod vt per optimos hos Societatis *Iesu* operarios facilius fieri possit enixè contendit Sanctissimus, Illustrissima Vestra Caritate nostros conatus piè prouehere satagente.

At audire videor Societatis isthic Patres, nominatim Reuerendum Patrem Oliuerium credere incorporationem Præposituræ VVatenensis pro Residentia Angliæ faciliorem fore, si nomine Societatis in genere Serenissimo nostro Principi insinuetur, esseque modò nonnihil cedendum tempori, vt deinde re impetrata, & à sua Sanctitate confirmata, Reuerendissimi Patris Generalis auctoritate sensim & quietè ibidem collocentur Angli Patres alijs huius Patriæ Operarijs more Societatis permisti. Scribo Reuerendo Patri Balduino vt tantorum virorũ iudicio ac prudentiâ fiat quod nostro finierit compendiosissimum. Optima enim sunt censenda consilia quæ assequuntur intentum. Ac sanè vt illorum optimorum Patrum singularem prudentiam plurimùm laudo, ita eorundem solicitudine ac Religioso affectu valde in Domino recreor quod consilia suggerant rem tutò consequendi. Atque cum Legatus Angliæ isthic sit in gratiam hæreticorum suorum paulò solicitior, magis forte placebit Serenissimo ita rem communi Societatis nomine tegi ac transigi, vt quasi nullo percipiente ad illam Anglis Residentiam mollissimus fiat transitus. Quanto possum affectu supplico Illustrissimæ ac Reuerendissimæ Vestræ Caritati vt excellentem suam sapientiam hisce consiliis deesse nolit, quod tametsi scribat mihi sua Sanctitas seriò eidem commendasse vrget me tamen Amor Christi vt pro populo Dei iterum ad sanguinem pro Catholica fide ibidem agonizante hoc votum meum iterem, cùm sciam hoc non ingratè peti quod videò tanto affectu offerri & concedi. Fuimus & nos hic olim in communi exilio hæresi dominante; quod tunc nobis offerri optauimus, domesticis malis edocti offerimus modò vicinis nostris propensius. Huius porrò confectione negotij fateor post salutem meam nõ posse me accipere nuncium lætiorem. Dominus noster Illustrissimam ac Reuerendissimam Caritatẽ Vestram magno Belgij nostri & Regni Angliæ bono diutissimè conseruet, cuius Sanctissimæ benedictioni me ac gregem hunc vniuersum humiliter commendo. Audo-

1605. maro. Ex ædibus nostris Episcopalibus. 11. Cal. Apriles 1607.

IX. Patri verò Oliuerio breuioribus his, sed non minori cum ardore rem commendat his verbis.

Admodum Reuerende & Amantissime in Christo Pater. Sperabam nos apertè proponere posse Serenissimæ suæ Celsitud. Incorporationem Præposituræ nostræ VVatenensis pro Societate ad conuersionem Angliæ laborante, præsertim cum ipsemet Sanctissimus, itemque Reuerendissimus Pater Generalis ita alacriter & serio eam in rem incumbant: quia tamen Reuerenda Pater. Vestra credit quietius & facilius rem totam transigi posse sub titulo Societatis, libenter sequor prudentissimum eius consilium, vt ex adiunctis literis meis constat. Modò enim deinde cedat Patribus Societatis destinandis in Angliam, ad hibeatur quicunque prætextus. Afflictissimum Angliæ regnum commendo Reuerendæ Vestræ Pa^ti. vt animam meam, licet sciam fuisse & esse commendatissimum. Quæso experiar in hac re me carum esse Patri meo Oliuerio, quem Deus plures adhuc annos conseruet in hac vita, ad solatium omnium nostrûm, & vt visitet & disponat hoc opus suum Watenense ad infinitam Angliæ Messem, sitque hoc primum Collegium Angliæ propè Angliam quasi erectum à Patre Oliuerio, quod multa deinde Societatis Collegia in ipso Angliæ regno ædificanda excipient. Commendo me Sanctissimis Reuerendę Vestræ Paternitatis Sacrificijs & orationibus. Audomaropoli ex ædibus nostris Episcopalibus, 27. Martij. 1607.

X. Ad Franciscum etiam Flerontinum Prouincialem eodem tempore, singulari quodam candore animi sensum suum explicat in hunc modum.

Admodum Reuerende in Christo Pater.

Si mihi compluribus ab hinc annis tantum lumen de Societate dignatus fuisset Deus infundere quantum hodie cogor ei acceptum ferre, nunquam existimo in alia quam in Societatis veste ambulassem. Quod dico non pertæsus vocationis meæ, sed Societatis heroïcos pro Ecclesia labores & post labores mercedem sæpe mecum ipse perpendens: Vnde fit vt toto affectu in eos ferar, & pro Christo laborantibus compatiar, ijs præsertim qui quasi pro antemurale stantes Aduersarijs etiam vsque ad sanguinem coguntur resistere. Hinc certè qui de Societate laborant in vinea Anglicana, quam ita depastus est inimicus, vt (quamdiu in Patria sua nequirint) prope patriam vineamque suam saltem degant, hactenus vt scit Reuerenda Paternitas Vestra vna adlaborauimus. Accedit propensissimus in id fauor suæ Sanctitatis, qui suis ad me literis excellenter declarat quantopere cupiat tam vtiles pro Anglia operarios opportuno loco constitui, ac nominatim in Præpositura nostra Watenensi. Idem suis literis testatur Reuerendissimus Pater Genaralis, qui rem serio commendasse se scribit Reuerendo Patri Oliuerio, vt cùm Reuerendæ Vestræ Paternitati maturum tempus videbitur agat cum Serenissima sua Celsitudine: Speramusque facturum libenter, & cum ea propensione ac dexteritate quæ suauiter & efficaciter à Serenitate sua impetratura sit quod

pro

pro tanto reip. Christianæ bono optatur. At quia significat hic mihi Reue- 1605.
dus Pater Rector Seminarij magis probari Reuerendo Patri Oliuerio vt tacita Angliæ mentione petatur in genere pro Societate ad arbitrium Reuerendi Patris Generalis, si iudicatis nos certius voto nostro pro Anglia hac ratione potiri posse, totum committo vestræ sapientiæ & caritati; quod dum promouetis sciat Reuerenda Vestra Paternitas nihil mihi gratius in hac vita præstari à quoquam posse. Cætera indicabit horum lator Pater Flaccus quem cupiui Pater Rector mitteret ad Reuerendam Vestram Paternitatem & Bruxellas vt communibus studijs consilijsque peragatur quod communibus votis intendimus; scribo ad Illustrissimũ & Reuerendissimum Dominum Nuncium Apostolicũ cum quo Reuerenda Paternitas Vestra collato consilio facilè statuet qua potissimum via res confici possit ad suæ Sanctitatis & Reuerendissimi Patris Generalis nostrumque omnium desiderium. Spero Reuerendam Vestram Paternitatem hic ante profectionem suam Romanam coram alloqui, in quod tempus Deum rogo vt eam nostri in Sanctissimis Sacrificiis memorem conseruet. Audomaro ex ædibus nostris Episcopalibus 11. Calen. Aprilis. 1607.

XI. Denique Patri Guilielmo Balduino Bruxellis per id tempus agenti rem commendat his verbis. Reuerende in Christo Pater.

Magno gaudio repletus fui audiens Reuerendum Patrem Oliuerium grauissimo morbo ex parte liberatum: seruauit nobis Deus Venerabilem senem vt sicut in vita præstitit præclara, ita ante mortem vnum adhuc dignum eius ætate ac insigni prudentia tanquam vltimum operum eius monumentum existat apud posteros. Peculiari omnino prouidentiâ Dei eum nobis seruatum existimo veleo maximè fine vt regnum Angliæ opera Patrum Societatis sensim recuperetur, pro quorum operariorum domicilio ac Residentia cùm sua Sanctitas multum solicita sit vt habeatur locus Angliæ paulò propinquior coniecti denuò sunt oculi in Præposituram Watenensem. Respondi, in me moram nullam fore paratumque fuisse illam reddere ante biennium, nisi pace Anglicana recenter tum coalescente Serenissimus Noster Princeps censuisset nonnihil cedendum tempori. Atqui cùm Sanctissimus Dominus Noster, vt suis ad me literis 14. Calend. Martij datis scribit, omni studio ac diligentia cupiat hanc rem ad exitum perduci, commendauerintque eandem Illustrissimo ac Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno Nuncio suo Apostolico, & Reuerendissimus Pater Generalis idem suis ad me literis efficacissimè scribat, confisus de pristina Reuerendi Patris Oliverij in nos beneuolentia, quanto possum affectu eundem rogo vt negotium hoc apud pijssimum nostrũ Principem quâ pollet sapientiâ & gratiâ absoluat, sciatque nihil mihi in hac vitâ post salutem meam gratius iucundiusque esse facturum. Testabor id coram quando Venerabilem illum senem hic licebit excipere & amplecti. Nulla enim est via regnum illud ad Ecclesiam Catholicam reducendi, nisi per Societatis Patres, quorum eruditio & vitæ Sanctimonia tanto hactenus ibidem

1605. fructu laborat. Si porro iudicabit Reuerendus Pater Oliuerius gratius Serenissimo Principi fore si eo solo consulo id esse pro Anglia, res cæteris ita tegatur, vt locus ille absolutè donetur titulo Societatis ad dispositionem Reuerendissimi Patris Generalis (cuius deinde mandato Patres Angli ibidem degant) iudicabit ipse cum Reuerendo P. Prouinci: Aut etiam si neque Principi putabunt iam mentionem Angliæ faciendam, totum relinquo maturo vestro iudicio; modò potiamur fine, id est, modò seruiat Conuersioni Angliæ prætexatur quicunq; titulus. Cognoscere tamen debet sua Sanctitas & Reuerendissimus Pater Generalis quare adhibeatur hic prætextus, nè me credant mentem mutasse. Prosequimini rem sapienter, & Deus sit vobiscum qui nos & vos omnes post tam longa desideria faciat compotes voti. Peculiarius explicabit mentem nostram bonus Pater Flaccus quem rogaui à Reuerendo P. Rectore ad vos mitti tanquam viuum desiderij nostri interpretem; sic omnia solidius transigentur ad maiorem Dei gloriam, qui Reuerentiam Vestram diu conseruet in orationibus & sacrificijs nostri memorem. Audomaro ex ædibus nostris Episcopalibus. 11. Cal. Aprilis 1607.

XII. Haud dissimili charactere conscriptæ sunt anteriores ad Claudium Generalem; & posteriores ad ipsum summum Pontificem Paulum Quintum. Illæ sic habent:

Reuerendissimo in Christo Patri Claudio Aquauiua Societatis *Iesu* Præposito Generali; Domino suo Colendissimo.

Biennium est nos seriò de auxilio Angliæ offerendo cogitasse, cuius necessitas cùm exinde aucta sit in immensum, tantundem creuit desiderium nostrum afflictissimo Regno, communi caritate vrgente, auxiliandi. Quæ Prouincia cùm viros postulet gnaros linguæ, solidè pios, qui inter impios securè versentur, laboriosos pro messis magnitudine, vno corpore ac capite deuinctos vt sint in doctrina cæterisque vniformes, fortes item & constantes qui cruciatus ac mortem, si necesse sit, præmij loco accipiant, quales nimirum Societas *Iesu* operarios nutrit; Societate præcipuè in hoc Apostolico opere vtendum esse video, quæ magno hactenus fructu ibidem vixit. Sed vnum pridem vehementer doleo & multi magni viri mecum, vix vllam esse Prouinciam in qua Societas non habeat domicilium; in sola Anglia, vbi tot nostro sæculo Martyres vt nusquam plures, nullum esse vbi pluribus sub vno tecto viuere liceat. Quæ me cura magis constrinxit vt si possem, de loco quopiam Angliæ vicino prouiderem. Commodum tum occurrit Præpositura VVatenensis vnico ab hac vrbe milliari, quem locum retrò ab hinc biennio magno Angliæ bono possideret Societas, nisi quidam Serenissimo Principi nostro seruenter in id iucumbenti frigidam suffudissent, pretextu iucundæ pacis, nè quid tum, scilicet, Angliæ Regem offenderet. Tulimus. Sublatis modò impedimentis nihil reliquum est nisi vt cum Apostolica benedictione nutus Principis concurrat, qui vbi id suæ Sanctitati gratum fore cognouerit gaudebit glandem seuisse vnde tanta deinde arbor existat, & Sanctissimo

operi

operi auspicium dedisse. Scio Reuerendissimæ Paternitati Vestræ rem cordi fore pro suo in nobile illud regnum affectu, apud Sanctissimum, qui diuinitus Ecclesiæ ac nominatim Angliæ videtur obtigisse, cuius singularis sapientia & heroïca magnanimitas summa omnia sperare iubet. Reuerendus P. Florentinus quem Belgio Prouincialem dedit Paternitas Vestra Reuerendissima, vir rarus, seu prudentiam seu pietatem spectem, corde latissimo fauet. Si in idem literis ist hinc efficacibus animetur Reuerendus P. Oliuerius, sermone & opere potens apud Principem, & qui ab hinc biennio totus in hoc fuit vestris tum animatus, induetur virtute ab alto. Ita in his serius sum quod rem hanc videam esse tanti momenti vt nulla via compendiosius reuocetur ad fidem Anglia; vt proinde minus mirer bonis nostris votis dæmonem antea restitisse. Neq; verò vllum fuit hucvsq; tẽpus perficiendæ rei opportunius, quam nunc, vt ex diluuio illo Anglicano velut eiectis naufragis piè subijciamus tabulam, & quos hæreticorum zelus proscribit, excipiamus conseruos nostros hac Residentia Watenensi: cùm enim alijs malè agere licet, Nobis benè agere, idq; in fundo nostro licet; nec id morari, nedum prohibere vlli possunt. Situm ac prouentus loci Reuerendissima Vestra Paternitas perspicuè ex Reuerendo P. Personio Rectore cognoscet; quem Patrem in viuis à Deo seruatum credo: Est enim magnus vir pro Anglia, & quàm hostibus fidei ob doctissimos libros & prudentissima consilia metuendus, tam bonis ob eadem suspiciendus. Commigrarunt huc ad nostram diœcesim (vt hoc addam) familiæ aliquot Anglicanæ quarum pietas fulget in exemplum toti vrbi, vt & Collegium hic Anglicanum, virtutis, ingeniorum, nobilitatis, eruditionis famâ adeo celebre, vt ex varijs vrbibus ad multa milliaria viri clari huc diuertant; eamque familiam tanto numero & tanta pace viuentem omnes admiramur & diligimus plurimum. Longior fui, sed longius prouexit amor communis boni. Admodum Reuerendum P^m. Duras Assistentem pijs nostris desiderijs (quibus sanè post salutem meam nihil est carius) fauturum certò scio, quem cum vestra Paternitate Reuerendissima Deus diu conseruet, Pater Reuerendissime & in Christo colendissime. Audomaropoli. Prid. id. Decembris 1606. 1605.

XIII. Posteriores verò eiusdem literæ ad Paulum Quintum Pontificem destinatę sunt huiusmodi.

Sanctissimo & Beatissimo Patri Domino nostro
Paulo Quinto Pontifici Maximo.

Ingentes Regni Angliæ necessitates quæ identidẽ ad Nos velut è vicino litore cum planctu perferuntur magnam nobis pridem commiserationem cõmouerunt. Ac tametsi indies gliscit persecutio, edictisque ac iuramentis conetur inimicus filiorum Ecclesiæ vel animas tollere vel facultates, non tamen genuinos hos Ecclesiæ filios ista deijciunt: Stant alacres & erecti, quamdiu sunt qui eos in hoc agone fulciãt, quorum defectu aut paucitate infiniti, prô dolor, in cœno iacent. Proinde reductionis tota spes in Operarijs. Quos inter cùm eminent

1605. mineant Patres Societatis *Iesu* pro veritate & fratrum salute ad sudorem sanguinemque agonizantes, & in ipso Angliæ regno domicilium habere nequeant, priuatis tantum ædium receſſibus, vel publicis Carceribus pro Catholica Religione contenti, quæritur optimis Operarijs iam pridem extra quidem sed propè Angliam aliquod domiciliũ. Quod cum in Episcopatu meo diuinitus se offerat loco tam opportuno vt sereno die eminus intueri liceat Angliam, multum sudauimus vt beneplacito Sereniſſimi nostri Principis Societati cederet: verum res peruinci non potuit, donec diuino instinctu Vestra Sanctitas, tametsi tot laborantis Ecclesiæ curis impedita, literis ad Illustriſſimum suum Nuncium ac ad me datis eam nobis portam aperuit qua optimus noster Princeps se ad diuinum hoc Sanctitatis Vestræ desiderium pijſſimè inclinans, placidiſſime inductus est. Reliquum iam est vt hanc Watenensis Præposituræ incorporationem pro Patribus Societatis *Iesu* in Anglia laborantibus ac deinceps laboraturis laudare ac confirmare dignetur Vestra Sanctitas, vt primum Societatis *Iesu* pro Anglia Domicilium, seu Nouitiatus, multos (quales hic in Seminario Anglicano sunt non pauci, Iuuenes pietate, ingenio, ac genere sanè illustres) Tyrones in eam vineam nutriat, ac veteranos longis laboribus vel ætate exhaustos restauret. Ad quod omni ope concursurum confido Reuerendiſſimum Patrem Generalem, qui Angliæ hactenus mirifice fauit, & Prouinciæ huic Belgicæ Reuerendum Patrem Flerontinum virum præstantem opportunè Prouincialem dedit, vt proinde sperem hac vnanimi Patrum Societatis operâ nobile hoc regnum Ecclesiæ Catholicæ postliminiò magno omnium applausu reddendum: Quam ad rem incredibiliter conferunt libri Reuerendi Patris Personij qui in regnum secreto inferuntur, pietate, eruditione, prudentia, vt à magnis viris accipio, referti. Christus Dominus Vestram Sanctitatem Ecclesiæ suæ militanti diutiſſimè conseruet, ac mihi & gregi huic benedicat anima tua Pater Beatiſſime quos ad vltimum vitæ Spiritum iuueniet obsequentiſſimos. Audomaropoli. Ex ædibus nostris Episcopalibus, ipso Cinerum. 1608.

Sanctitatis Tuæ Humillimus & obedientiſſimus seruus & Filius Fr. Iacobus Episcopus Audomarensis.

XIV. Obtento deinde consensu Sereniſſimi Alberti Principis, transactoque negotio pro voto suo, pientiſſimus Episcopus his ad Personium datis explicat quantam inde voluptatem animi caperet, quantumque speraret fructum non soli Angliæ sed Ecclesiæ vniuersæ prouenturum. "Quòd plures iam annos (inquit) molior, & tot sudoribus peruinci debuit, andem Dei bonitate, & pijſſimorum nostrorum Principum assensu consecuti sumus. Itaque interueniente Sanctiſſimi Domini Nostri Papæ auctoritate & approbatione, Præposituram Watenensem cum Ecclesia, ædificijs, vrbano & suburbano, monte toto Watenensi, tituliſque omnibus ac dote trium milliũ florenorum annuorum in fundis, pascuis, reditibus, syluis &c. constituta, sterno ad pedes Reuerendiſſimi Patris Generalis, offeroque vniuersa irreuoca-

uocabiliter Sanctissimæ Societati Vestræ, idque in bonum afflictissimæ An- 1605.
gliæ, & solatium vicinorum, (vt in eos quoque per tres vel quatuor Patres Belgas pro vestro arbitrio, vestra quoque deriuetur vtilitas) cum ita hæc omnia vertantur in vsus incomparabiliter sanctiores quàm in alios quoscunque. Item meipsum quoque supererogo ac superimpendo, vt vestis aut Prælatura me à Societate non distinguat, sed flagrans in eam affectus me cum ea viuum mortuumque arctissimè coniungat, vt quantum possum Societati in tam luculenta Angliæ messe laboranti vnà cooperer, & Dei ac Reuerendissimi Patris Generalis beneficio veniam in partem Societatis Sanctorum. Paucis exposui animum meum, cætera prolixè, occasione oblata, re ipsa ostensurus. Transigite iam isthic reliqua meliore quo potestis modo. Scio enim Sanctissimum Dominum Nostrum tametsi vniuersalem orbis Christiani Patrem, Angliæ tamen vt magis afflictæ compati ac mederi prius velle; quem cum submississimo pedum osculo suspicio in hac querela temporum velut Paulum in Ecclesia rediuiuum. Dominus noster Reuerendam vestram Paternitatem diutissime nobis seruet incolumen. Audom. Ex ædibus nostris Episcopalibus. Ipso Cinerum. 1608.

XV. Cum igitur vir munificentissimus non sua solùm, sed se totum, (quanquam in veste Sancti Francisci cuius regulam professus ad sacras infulas euectus est) Societati consecrarit, visum est Claudio Generali, pro ea animi grati quam debebat significatione, Societatis illi vicissim bona spiritualia elargiri, & meritorum communicatione quasi incorporare, nè extraneus esset, qui tanto ardore cupierat, (si id dedisset Deus) esse domesticus. Id quod Româ significauit his literis. Reuerendissime Domine.

Et Literæ quas vltimo dedit ad Nos Dominatio vestra Reuerendissima & præsentia Patris Flerontini Prouincialis, amplissimum testimonium fuerunt Nobis veteris beneuolentiæ qua prosequi pergit nostros Patres & imprimis eos qui ex afflicta Anglicarum rerum fortuna isthuc se conferunt. Dominus Deus, qui bonorum omnium Auctor est, hanc benignitatem conseruare dignetur, & suo tempore cumulatam mercedem in Cœlo retribuat. Nos nè parum grati esse videamur, & ad obsequia parati erimus, & patentes interim mittimus communicationis bonorum operum nostræ Societatis, quæ insignibus Dominationis vestræ Reuerendissimæ promeritis iure debebantur. Eos reddet idem Pater Prouincialis, & supplebit defectum literarum. Exponet etiam quæ circa negotium Watenense, (de quo Dominatio vestra Reuerendissima scripsit vltimo ad Nos) occurrunt: quare ad eam relationem me refero: & multos annos veramque felicitatem Dominationi vestræ Reuerendissimæ precor à Domino Deo. Romæ. 24. Aprilis 1608.

Reuerendissimæ Dominationis vestræ inutilis in Christo seruus.

Claudius Aquauiua.

Neque dubium cuiquam esse potest quin iunctis animis Sancti *Franciscus* & *Ignatius* tam amantem vtriusque hospitem ex hoc sæculo abeuntem comple-

1606. xi, promissam beneficis mercedem à misericordissimo Deo amplissimam illi impetrarint. Hæc extra Angliæ fines ad Angliæ salutem parabantur; videamus porro quantum his ipsa eguerit adiumentis.

Persecutionis origo sub Iacobo Rege

XVI. Iacobus Rex Scotiæ in Amplissimum Angliæ regnum ingrediens, omnium animis conciliandis ingentia cunctis fecerat promissa, Catholicis in primis, quos & domi nobilitas, & foris apud Principes virtus afflictio reddebat spectabiles: His Legum acerbitatem mitigandam, vsumque Religionis liberiorem, vel apertè spoponderat, vel non tectè ostenderat, ab animo suo alienam esse commonstrando omnem illam Elizabetici regiminis immanitatem. Spem auxerat Matris Religio, à qua licet à puero deflexisset, iniquitate temporum magis quàm iudicio deuiasse credebatur: Neque tam occultè irrepere potuit in vrbem orbis Dominam Nuntius à Rege latenter missus cum literis ad Pontificem & Aldobrandinum Cardinalem & alios, quin veniret ad aures, & idipsum qualecunque indicium expectationem sustineret moderationis, donec totius Insulæ vicinorumque Principum communi applausu à metu solutus, liberiores aures antiquis Elizabethæ administris adhibere decerneret; qui si Catholici non penitus opprimerentur nimium semper indulgeri arbitrati sunt; & nũc fortasse minus indulgendum censuerunt quòd rigidis Caluinistis (quos pluribus annis Iacobus in Scotia senserat importunos) non omnia indulgerentur. Initi igitur regni anno primo nondum euoluto in conuocatis comitijs ad decimum nonum Martij rogatum est vt non in Sacerdotes tantum & Iesuitas, sed & in omnes Catholicos Legibus omnibus ageretur quas tulerat Elizabetha. Ad quæ reuocandum videtur Edictum illud quod decimo quarto Augusti prodijt Oxonij in hanc sententiam.

Edictum Regum in Sacerdotes.

XVI. Cùm dominorum spiritualium ac temporalium, simulque populi in Parlamento frequentis libello supplici intellexerit nuper sua excellentissima Majestas, quantum in dies intra Regni fines augeatur Papistarum numerus, quantumque ex eo periculi consequi possit, cumque ex ea ipsa significatione perspexerit in Parlamento, tanquam in imagine Regni totius, verum ac sincerum zelum atque affectum erga veram Dei Religionem, (quâ vnâ probe nouit suorum conscientias ad fidelitatem atque obsequium trahi) cupit vicissim fidelibus subditis specimen aliquod exhibere voluntatis suæ animique paratissimi ad eandem Religionem tuendam quæ lege & professione huius regni longinquâ stabilita est, atque ad contratria omnia quauis occasione orta supprimenda. Quamobrem intelligens sua Majestas filios tam nobilium virorum quàm aliorum suorum subditorum fuisse sæpe transmissos ad Seminaria transmarina, aliasque Pontificiæ Religionis domos, vbi contra leges hic stabilitas educantur, præcipit ac seuerè mandat vt omnes prædicti filij ante proxima Christi natalitia redeant in Patrium solum seque legibus suæ Majestatis submittant, parati se conformare ad eam obedientiam atque officij rationem quæ probos subditos decet.

Insuper

Insuper vt parentes eorum, Tutores, Rectores, alijque qui in ijsdem mitten- 1606.
dis extra Regnum aut alendis deliquerunt aut delinquunt, curent confestim eosdem domum reuocari, sub pœna extremæ seueritatis quam Leges decernunt. Præcipit præterea ac seuerè mandat sua Majestas sub simili pœna, vt nullus Episcopus, Sacerdos, aut qui ordines susceperit, susceputusue sit per auctoritatem aliquam vel potestatem à sede Romana deriuatam (siue indigenæ & subditi sint, siue externi atque alienigenæ) præsumat ordines aliquos Ecclesiasticos conferre, aut functionem aliquam Ecclesiasticam exercere, iurisdictionemue aliam quamcumq; erga vel in subditos suos naturales intra hoc Regnum alijsue in locis suæ Majestati subiectis. Præcipit etiam atque expressè mandat vniuersis ac singulis Iudicibus, Irenarchis, cæterisque ad quos id pertinet officialibus, vti leges omnes atque decreta quæ modo vigent executioni mandentur contra Iesuitas, Sacerdotes, aliosque quoscunque qui cùm suæ Majestatis subditi sint, ordines susceperunt per auctoritatem à Romana Sede deriuatam, si qui eorum ab vltimo die Septembris proximè aduenientis intra suæ Majestatis ditionem inueniantur. Quem diem sua Majestas decernit atque præfinit tanquam vltimum tempus profectionis ex Regno & reliqua ditione sua; ita vt nunquam reuertantur, sub pœna grauissima Legum omnium quæ contra huiusmodi delinquentes sanctæ sunt & vigent. Mandat præterea vniuersis Præsidibus, Irenarchis & præfectis portuum, ad quos traiectionis causâ se conferent præfati Sacerdotes, vt eos sine molestia è Regno discedere patiantur. Si verò aliqui eorum alijue eiusdem generis post statutum diem intra Majestatis suæ ditiones reperiantur, tum demum Iustitiæ rigor legumque omnis seueritas in eosdem exerceatur. Monentur etiam suæ Majestatis omnes subditi, ne post vltimum diem Septembris proximè sequentis, vllum ex prædictis Iesuitis, Seminaristis, atque Pontificijs Sacerdotibus domo aut hospitio recipiant, celent aut foueant, sub pœna quam ipso facto per leges incurrunt. Est autem hæc Majestatis suæ certa voluntas, vt ab vltimo Septembris proximè aduentantis diligens etiam inquisitio fiat, ad eos comprehendendos qui in prædictorum aliquo deliquerint, quò contra eos iure legeque procedatur.

Datum in Curia nostra apud Woodstokium. Decimo quarto Augusti: Primo anno Regni. Impressumque Oxonij.

XVII. Hæc Iacobus Rex Comitiorum mentem secutus; at antequam Comitia vocarentur reperio eodem Regni anno primo edictum aliud prodiisse Londini ad Sacerdotes exterminandos, occasione captata ab tumultuantium Puritanorum propositionibus; quibus componendis cùm Rex in Conuentu Doctorum hominum indicto, suam operam auctoritatemque interposuisset; nè illi ægrè ferrent se peti, Catholicos immunes esse, præfatus maius periculum ab ijs impendere qui & Puritanis & Protestantibus æqualiter aduersarentur (Sacerdotibus, videlicet, & Iesuitis) qui spe nouandarum in Religione rerum, maiori quàm hactenus licentiâ sua exercerent ministeria, pro-

Aliud edictum in Sacerdotes. Vide Historiam Magnæ Britaniæ auctore Arthuro VVilsono, pag. 9.

1606. Profitetur, primũ se neq; cogitasse vnquã, neq. causã vllam dedisse cur quisquã existimaret suæ mentis esse quid nouum de Religione cõstituere. Tum Cõcietiam, prudentiamq; docere medijs omnibus licitis vtendum sibi esse ad præseruandos subditos suos ab opinionibus ipsorum met saluti & paci Reipublicæ perniciosis: Id quod nullo meliori modo effici potest quàm si arceantur Regno Sacerdotes, huiusmodi auctores opinionum propagatoresque. Quare suę voluntatis esse vt intelligant migrandũ è Regno esse ante diẽ Martij decimũ nonum, neq; postea redeundum, sub pœnis per leges hactenus latas infligendis." Quod quanquam videri possit Seueritatis quidpiam habere, qui tamen (inquit) æqua lance perpenderit causas cur hac prouidentiâ vtendum nobis fuit, facilè concedet iustum æquumque id fuisse. Quis enim est quem lateat ante menses non ita multos quo in discrimine versati fuerimus ab huiusmodi hominibus? Quod cùm Principes apud se expenderint, persuasum habemus illos intellecturos hanc rerum conuersionem ortam esse non ex inclinationis nostræ voluntatis mutatione aliqua, sed ex solicitudine debita curaque præuertendi periculum quod alia ratione effugere non possumus; quãdoquidem in ipsa ordinum susceptione tam absolutè se subdant peregrinæ auctoritati, vt Reges & Principes quasi precariò suis subditis videantur præesse, cùm in ea quam agnoscunt potestate sit pro arbitrio dispensare in quocunque fidelitatis aut amoris vinculo quo Rex populusque constringitur. Inter quos Principes agnoscimus Episcopum Romanum qui nunc sedet multis nos officijs deuinxisse, quæ reddere (tanquam Romanæ vrbis Episcopo, & Principi seculari) nullo vnquam tempore grauabimur. Considerantibus tamen nobis consuetudinem prætentionemque illius Sedis, non est cur existimemus Principes nostræ Religionis & Professionis diuturnam posse expectare securitatẽ, nisi inter cęteros Principes cõueniret de modo ipsas fibras periculorũ ex dissidio Religionũ emergentium euellendi, & statuendi quod nullus ordo vel Gradus potestatem habeat disponendi de Regnis & Imperijs huius mundi, aut dispensandi circa obedientiam subditorum erga supremos dominos. Ad quam conuentionem nullus nobis paratior promptiòrue futurus est; tum propter naturalem animi nostri propensionem ad pacem colendam cum omnibus orbis Christiani Principibus; Tum quia vnitas in Religione plurimum conduceret ad Principes Christianos aduersus communem inimicum corroborandos. Datum in Palatio nostro West-Monasterienſi, vigesimo secundo Februarij: Anno primo Regni.

Catholici spe deiecti

XVII. His Edictis, & reiecto Catholicorum supplice libello, quo humillimè precati fuerant modum poni Legibus ad eorum afflictationem perniciemque latis, concidit in plerisque spes moderatioris Imperij; eâ præsertim de causa quod fidem in Rege requirebant, qui nunc, contra quàm non ita pridẽ ostenderat, disertè affirmaret procul ab omni semper cogitatione fuisse de Religione nouum aliquid vt statueret. Et quanquam Edictis Sacerdotes præcipuè peterentur, eâdem tamen operâ occultè omnibus indicebatur

tur afflictio, cùm nemini domi suæ securo esse liceret à persecutione primùm & molestia, tum ab seueriore de læsa Majestatis crimine accusatione & supplicio si Sacerdos (quo cum Religione carere non poterant) domi caperetur. Præterquam quod quartum Caput legum in primis comitiis rogatarum ad omnes leges in Catholicos dictas se extendebat, quibus omnibus vim nouam Rex sua assensione addiderat. Tum etiam, ab eo qui Catholicos expertus sibi Matrique fidissimos, Puritanos verò tot annis infensissimos quot in Scotia regnarat, nunc nullâ experientiâ definiret à Sacerdotibus Catholicis plus sibi metuendum esse quàm ab rigidis Caluinistis, quid porrò sperandum expectandumúe quàm vt eo odio Catholicos insectaretur quod odiũ in Scotia demeruerant Puritani? Nã quod in Edicto ait de discrimine in quo ab huiusmodi hominibus versatus ante non multos menses fuerat, incertum est; Etsi enim Watsonus & Clercus Sacerdotes inter coniuratos recensiti sint, & merito fortasse plexi, quid tamen de tota illa conspiratione censendum sit, neque ipsi Acatholici explicare possunt." Hæc coniuratio (inquit Wilsonus in historia illorum temporum) eam induit faciem quam nemo internosceret, nemo intelligeret quid rei esset. Turbatas fuisse aquas certum est; sed in ea Protestantium cum Catholicis commixtione peruideri vix quidquam potuit. Greyus, Cobbamus, Rawleyus, Protestantes, vt quid, obsecro de Religione contenderent? Quanquam Marcamo, Baynamo, & Sacerdotibus potuerit de illa esse solicitudo. In hac nube dum Iunouem expectant, pariunt sine capite, & sine pedibus monstrum, cuius altera pars victura erat, altera moritura.) Nimirum, Sacerdotes duo vltimo supplicio luerunt temeritatem: Marcamus, & Baynamus etiamsi Catholici exilio expiarunt inconsiderantiam; & ex Protestantibus alij nece, alij fortunarum iactura mulctati sunt. Ita placuit nouo Regi exortam importunè caliginem discutere; quanquam vndecunque demum res turbatæ fuerint, id actum est à Magistratu, non vt res nuda sed exaggerata transmitteretur in vulgus, quò innocentissimis aspergeretur suspicio quoties in Rempublicam emolumenti quidpiam deriuari posset. Id quod cautioni Catholicis esse debuisset ne quid attentarent: *Sed quis indomitos primùm tum longinqua vexatione exulceratos animos in officio semper contineat.*

1605.

Proditio, dicta Rawleyi. De ea vide Wilsonum p. 5.

XIX. Comitia prima rogarant à Legibus ab Elizabetha in Catholicos latis vt nusquam discederetur: Quod & Iacobus ratum habuit; In Camera etiam (quam stellatam vocant) Anno 1604. post longam de Catholicis habitam coram Rege disputationem, decretum fuerat pecuniarias Legum mulctas continuandas esse, prodierantque literæ vt ad decretum vsus accederet. Ac præter ea quæ superius sunt posita à Rege Edicta in Sacerdotes, pulsosque plures in exilium, Pseudo-Archiepiscopus cùm à Londinensi sede ad Cantuariensem transferretur, rogatus vti Catholicis vellet non esse grauis, sed quem posset fauorem afferre, responderat, Tempore quidem Elizabethæ dissimulandum magis fuisse, quando post eius obitum cuncta videbãtur futura incerta, &

Tum exacerbati conspirant

1606. potuisset Catholicus aliquis in Thronũ irrepsisse qui Protestantibus negotium facessisset; Nunc verò nullo fundamẽto sperari fauorẽ aut gratiã, coronã in legitimũ successorẽ impositã, cui & legitimi hæredes non deessent. Et nouus Pseudo Londinensis in concione coram Rege palam pronuntiauerat extirpandum haud dubiè Regiũ genus nisi Papistæ radicitus euellerentur. Qua in re etsi videri potuit contrariè prophetasse; His tamen quasi facibus accensi nobili genere & Equestri loco nati Catholici aliqui, patientiæ armis depositis (quibus Christianum est in afflictione decernere) specie pietatis ad vindictam conuersi, immane facinus & impium, & à quo cõmemorando oratio ipsa abhorret, meditati sunt. Sunt in Westmonasterienſi Palatio Aulæ ingentes duæ contiguæ, plus sexcentis hominibus capiendis aptæ; Huc Rex, huc optimates, huc frequens populus ad comitia conuenit: sub his ædibus in conductam caueam immensam vim pulueris nitrati congestam condunt, & multo ligno opertam nè in aspectum veniat occulunt. Paratumque habebant hominem cum fomite, quo administro eâ horâ quâ frequentissimo Senatu in secundis comitijs coijsset ordines, Regem cum optimatibus, & parte magna populi, dissecta immani fragore tam magna-mole ædificiorum opprimerent, discerperent, præfocarent, & Regnum vniuersum consternatione defixum, suorum amissione mæstum, Principe consilioque exutum, ad impolitam ingenij sui formam reuocarent, flagitio haud dubiè temerario & crudeli; Ad quod vsquequaq; aggrediendũ ipsismet non erat animi satis, cum cogitarent innoxios plurimos cum nocentibus perituros, & amicorum hominum salutem & vitam cum ijs quos hostium loco habebant, non in discrimen modò, sed in exitum præcipitari; id quod detegendæ conspirationi occasio fuit: Vnus enim quispiam è coniuratis amicum per literas monuit, si vitam amaret suam, nè interesset senatui: Quæ literæ cùm ad Regem peruenissent, dilatis in alium diem comitijs patuere quas penitus abstrusas arbitrabantur insidiæ. Deprehensâ coniuratione, ij qui consẽserant dispersi sunt; alij latebras, alij pugnam meditati; in quâ cum aliqui cecidissent, cæteri capti inconsulti facinoris pænas iudicio persoluerunt. Fuitque non leuis suspicio non neminem inter optimates longe ante diem de conspiratione resciuisse, & artificiosè simulasse ignorantiam quò plures inuoluerentur: Quo artificio & Societatis *Iesu* Religiosos aliquot Patres insimulare conatus est, quasi eiusdem flagitij auctores aut nequiter conscios; *Henricum Garnettum*, *Odoardum Oldcornum*, *Oswaldum Tesimundum*, *Ioannem Gerardi*; de quibus singulis consequenti narratione dicendum erit.

Per calumniam notãtur ex nostris aliqui tanquam conspirationis nequiter conscij.

X X. *Henricus Garnettus* Notingamiæ, vel vt alij scribunt, Hennariæ in vicino Derbiensi Comitatu, honesto loco, anno quinquagesimo quinto supra sesquimillesimum natus, adolescens in Italiam cum *Ægidio Gallopo* profectus, Romæque in Societatem nominis *Iesu* vndecimo Septembris anni septuagesimi quinti cooptatus, Magistro *Fabio de Fabijs*, viro non magis vetusti sanguinis claritate quàm Religiosa seueritate nobili, vitæ Religiosæ Tyrocinium posuit: Tum ad humanarum diuinarumque literarum conuersus studia,

Heuricus Garnettus, qualis vir.

Christo-

phoro Clauio, Francisco Suario, Benedicto Pereirio, Roberto Bellarmino, alijsque viris præstantibus præceptoribus vsus, eam doctrinam breui consecutus est, vt in Romano nostro Collegio Hebraïcas primùm literas, tum quæstiones Metaphysicas publicè explicarit. Mathematicis etiam Scholis præfectus est, in quibus diutius eũ repentinus *Clauij* morbus detinuit quàm incensa eius in Patriæ salutem studia postularent. Ad Anglicanam enim vineam quando summis suis precibus anno octogesimo quarto designatus profectionem adornabat, *Clauius* difficillimo correptus morbo, penè desperata iam salute animam agens, eum sibi succesſorem à summo Societatis nostræ moderatore depopoſcit; neque viro optimo, deque Ecclesiæ optimè merito mos geri non potuit. Sed biennio post cùm recreatus à morbo *Clauius* sibi scholisque redditus esset, impetrata discedendi facultate, mense Iulio anni octogesimi sexti vnâ cum *Roberto Southwelo* in Angliam appulit. Ibi cùm biennium circiter in procuranda priuatis operis proximorum salute posuisset, ei Missioni (per occasionem captiuitatis *Guilielmi VVestoni,*) Præfectus, & strenui operarij, & egregij moderatoris partes ita cumulatè obijt, vt coleretur à familiaribus, amaretur ab exteris, omnibus esset admirationi. Erat enim in eo viro ingenium perspicax, acre solidumq; iudicium, rerum plurimarum cognitio, præsens consilium, solertia singularis: Accesserat etiam prudentiæ magister vsus, quæque cum his rarò coniungitur, morum simplicitas & candor animi minimè suspicacis: Ad hæc incredibilis moderatio, lenitas etiam supra naturam; expertem perturbationum diceres; Morum mira facilitas, & demissione animi conditâ seueritas; In ore vultuque verecunda iucunditas, quam neque remitteret familiaritas, neque grauitas asperaret: Quæ illi ignotorum æque notorumque amorem ac venerationem conciliabant; vt nè in proditoria quidem actione ab aduersarijs instituta, laudibus eius abstinere potuerint; Neque enim magna modò auctoritate ac merito inter Catholicos habitum fatentur, sed ipsi etiam à Deo, & meliore natura dotibus ornatum multis vocant; virum item grauissimum atque literatissimum, genere clarum, non infimis dotibus excultum, arte eruditum, linguarum vsu peritum.) Quin etiã Northamptonus *Garnettum* alloquens, "Istæ dotes tuæ, inquit, præstantiores, si in natura seorsim sua expendantur, misericordiam potius commouerent, quàm humanitatem exacerbarent; Quotum enim quemque non ad placabilem quandam animi facilitatem propensum redderet tanti viri interitus: Si vultum intueamini, si gestum, summa cum moderatione & solido iudicio?) Et mox: "Tui affectus admodum sedati, & ad obsequium præstandum exquisitè compositi, consilia integra, & quodam innocentiæ nitore conuestita. &c.) Atque vt ad nostros reuertamur, obseruauit *Personius*, quod annorum duodeuiginti curriculo quo illã rexit Missionem in summa temporum varietate ac difficultate, nemo vnus è nostris, nemo minus beneuolorum eo tempore in Societatem Sacerdotum, in personam *Garnetti* quidquam asperius aut dixit vnquam aut scripsit Romam; quod & prudentiæ singularis, &

1606.

1606. vitæ intermeratę firmissimum est argumentum. Hic tantus ac talis vir, quem *Bellarminus* olim auditorem suum, non dubitat omni doctrinæ genere & vitæ Sanctitate incomparabilem appellare, cùm tot annos Anglicanã Christi vineam tantis laboribus, vigilijs, periculisque excoluisset, in acerbissimorum Ecclesiæ hostium manus delapsus, in crimen Majestatis per summam inuidiam ac maleuolentiam vocatus, iniquissimo iudicio oppressus, publicè Londini sententiam sustinuit, die tertio Maij, Anni sexcentesimi Sexti. Res hac ratione gesta est.

Vnde orta calumnia in Societatem.

XXI. Puluerariæ coniurationis Machinatores plerique in secretiori iudicio conscientiæ maculas apud Societatis homines diluebant; id quod Magistratum Hæreticum omnia curiosè circumspectantem vel pridem non latebat, vel ex Bateij coniuratorum famuli inter quæstiones sermone recenter patuerat: Neque admodum credibile videbatur quòd horum nullus rem atrocitate plenam aut consilij aut remedij quærendi causa aperuisset. Veriti igitur aduersarij nè tantum facinus in publicum Catholicæ Religionis odium ignominiamque minus cederet, si paucorum hominum eorumque Laïcorum conscientiâ circumscriberetur, communicare eius inuidiam cum Iesuitis cõstituerunt; & duobus circiter post detectam coniurationem mensibus, cùm toto Regno peruulgatum esset nullum Sacerdotem eius rei fuisse participem, seri rumores cæpti, ac paulatim increbrescere, *Garnettum, Greenwayum* (qui & *Tesimundus*) *Gerardum*, coniurationis conscios deprehensos esse: Paulò post calumniæ publica etiam auctoritas addita, propositis totâ Angliâ Edictis acerbissimis quibus *Garnettus* cum Socijs, coniuratorum confessione eius facinoris conuicti dicebantur, & capitalis pœna decreta, si quis hospitio recipisset, si quis iuuisset, si quis occuluisset. Et quoniam de confessione coniuratorum agitur, non abs re erit hic attexere literas de eorum supplicijs scriptas, ex quibus de huiusmodi calumnia quid censendum sit liquidò appa rebit; De cæteris post videbitur. Literæ sic habent.

Literæ de supplicio reorum.

XX. Carissime Domine: Non dubito quin pridem ad te perlatus sit sermo de conspiratione inter octo Iuuenes Catholicos nobiles conflata, ad pristinum Regni statum commutandum; qui omnes (præter quatuor occisos, *Catesbeyum, Percæum, & duos VVrightos*) comprehensi, videlicet, *Euerardus Digbeyus, Thomas VVintour, Ambrosius Roockwood, Ioannes Grant, Robertus Keyes, Guido Faux, Robertus VVintour, & Batesius* famulus *Catesbeyi*, supplicio sunt affecti die Iouis & Veneris huius septimanæ, Quatuor ad Sanctum Paulum, & quatuor West-Monasterij. In actione perdullionis tota res ab Regio Procuratore in Catholicos, Sacerdotes, & Iesuitas conjecta est; aiebatq; nullam vnquam conspirationem extitisse cuius hi non fuissent auctores; repetitisq; iam inde ab Elizabethæ diebus quæ contigerant, nè Essexianam quidem omisit quin & illius faceret Iesuitas & Catholicos architectos. *Euerardus Digbeyus* iudicio postulatus agnouit se in eo reum, quod rem celasset; de cætero nihil se egisse, nihil esse machinatum: Quandoquidem verò,

dem verò celando offendisset, paratum se mori. Si id quod animo intenderat vim aliquam habere posset ad excusationem, profitebatur nihil sibi in particulari in hac tota re quæsisse, commune Catholicorum bonum habuisse præ oculis, pro quo semper promptus fuerat ad exponendam vitam, fortunas, vxorem, liberos, & quidquid carum esse potest in hoc mundo. Ad hanc desperationem nunquam fuisse venturos, si spes vlla affulsisset finis malorum quæ Catholici patiebantur; desperasse, quando Rex fidem in ingressu ad Regnum datam fefellisset. Hîc cùm Cecilius eum reprehenderet quod Regem publicè accusaret infidelitatis: subiunxit, vel verum id esse quod de Rege diceret, vel Cecilium fuisse Regi iniurium, qui Regis nomine omnem gratiam promisisset Catholicis, quemadmodum ex ipsiusmet ore retulerunt Tressamus & plures alij optimę spectatissimæque fidei viri. Præterea quoniam inaudierat Iesuitas ac Sacerdotes in hac conspiratione accusari, & nominatim *Gerardum*, quo familiariter vsus fuerat, palam contestatus est, neque in Sacramento, neque extra Sacramentum vllo vnquam tempore aperuisse se quidpiam quod ad hanc actionem pertineret, vt qui sciret quantum *Gerardus* abhorreret ab huiusmodi rebus; atque arbitrari se reliquos eiusdem ordinis eius esse mentis, vt si quid ad cognitionem deueniisset omni modo dissuaderent. Tum obsecrans Regem vti vxorem & liberos in possessione retinere vellet eorum agrorum de quibus ante hanc coniurationem disposuisset, finem fecit dicendi. 1606.

Digbeyus à Societate crimen remouet.

Thomas VVintour fassus se reum, neque expectare se dicebat gratiam, neque cupere: Rogare tamen si fieri posset vt sanguine suo vita fratris redimeretur, quem ipse traxerat in culpam. *Roccauodus* non aliter se reum agnouit, præterquam quod rem cognitâ celasset; paratum semper fuisse pro Religione discrimen quoduis subire; rogare Regem vti in ijs quæ ad vxorem & liberos pertinent à lege & iustitia nè velit discedere.

Reliqui pauca locuti agnouerunt se reos, professi ideo se vitam fortunæ commisisse, quod ipsâ vitâ frui non licuisset sine interminatâ vexatione in causa Religionis.

Guido Faux fateri se noluit reum, quoniam multa dicebat in accusatione congesta esse quæ se non tangerent. *Bateſius* solus flagitabat parci sibi, vitamque seruari. Multa eo die dicta sunt vehementer in Religionem, in Pontificē, in Sacerdotes omnes, præcipuè vero in *Balduinum* Iesuitam in Belgio, *Cressvellum* in Hispanijs, *Garnettum*, *Gerardum*, *Tesimundum* in Anglia, vt coniurationi consentientes: volente etiam Magistratu spargitur non immunē esse *Personium*, neq; ipsum *Pontificem*, ad quem rumor est missum *Baynamū* qui singula exponat; Reges etiam Franciæ & Hispaniæ atq; Archiducem implicatos, quamuis hos nolumus aliquâ culpâ teneri. Quantum hactenus percipere potui Iesuitarum accusatio non alio nititur fundamento quam *Batesij* confessione, qui dicitur accusasse *Greenvvayum*, seu *Tesimondum*, tanquam conscium: ipsum enim se rogasse in Sacramento an hero obe-

Batesij infirma accusatio.

 diendum

1606. diendum sibi esset iubenti quidpiam in reipublicæ detrimentum: *Tesimundus* hæc omnia omnino negat. Et certè *Bateſius* tam cupidus erat viuendi, vt quiduis dicturus videretur quò impunitus euaderet. Audiui etiam à non indignis fide miserum hominem quibusdam in carcere confessum esse accusasse se falso spe vitæ aliquos è Societate. In loco supplicij frequenter circumspiciebat tanquam expectans nuntium veniæ, id quod qui præsentes erant plurimi obseruarunt: præterquam quod illi soli concessum est ex Regis mandato vt non nisi mortuo præscinderetur funis; alteri nulli hoc datum est; neque aulus est Comes de Mongomorie qui aderat cuiquam eam gratiam polliceri, licet profiteretur se valde affligi cùm videret eos tanta cum crudelitate tractari. Adde quod Cecilius in concilio fortiter egerit vti coniugi & liberis *Bateſij* fauor & subsidium præstaretur, quod arguit fecisse dixisse ue illum quidpiam quò gratiam mereretur.

Hactenus præter hoc *Bateſij*, nihil est quod Iesuitas insimulat, nè quidem in libro qui prodijt in lucem de hac coniuratione, neque in *Fauxij*, aut *VVinterij* examinationibus: Nec etiam Cecilius in libro quem edidit de eadem re, nec Episcopus Roffensis in concione impressa quam habuit ad Sanctum Paulum aliquid afferunt particulare aduersus illum ordinem. Vnde colligi potest Magistratum quærere potius occasionem conflandi ipsis inuidiam, quàm quod reuera caula subsit. Ex leuibus tamen his indicijs prodijt edictum aduersus tres dicti ordinis viros; *Garnettum*, *Greenwayum*, *Gerardum* tanquam Proditores; describuntur personæ, proponitur præmium detegenti. Et accidit vt sub hoc tempus quidam *Littletonus*, Wigorniæ damnatus perduellionis quod *Robertum VVintour* hospitio accepisset, quò vita ei donaretur, significauerit *Garnettum* latere apud Dominum *Abingtonum*: Scrutantur domum, aduocantur fabri latomique & cæmentarij; post multam multorum dierum perquisitionem deteguntur duo latibula; in vno latebat *Garnettus* cum *Oldcorno*, in altero *Ioannes paruus*, *Garnetti*, & *Rodulphus Oldcorni* famulus. Sunt etiam in manibus alij multi Sacerdotes & Iesuitæ; & sanè tam atrox nunc sæuit persecutio aduersus Sacerdotes vt humanitùs euadere non possint: Videntur enim statuisse vel omnes capere, vel fame necare in latebris; id quod necessum est fieri si quod cæperunt prosequantur: Nam domos omnes de quibus est suspicio ipsimet insident quamdiu ipsis visum fuerit. Hoc loco sunt iam res Catholicorum, præter ea quæ nouis legibus parturit Parlamentum multo grauioribus quàm quas hactenus sustinuimus, vt in Deo solo spes nostra collocanda sit, cui te & me commendatum cupio. Sexto Februarij Anni 1606. Hæc de indicijs conspirationis ab eo scripta sunt qui videtur interfuisse iudicio. Quæ cum illis literis conueniunt quas afferat *Eudæmon Ioannis*, scriptas à *Bateſio* ad Confessarium paulo antequam ad supplicium raperetur; quarum literarum exemplar affirmat se accepisse ab ijs qui ex *Bateſij* autographo ipsi descripserunt. Sunt autem eiusmodi.

Garnettus capitur.

c. 1. Apot. n. 2.

Dixi

Dixi in postremo meo examine existimare me Dominum *Greenwayum* nonnullam coniurationis notitiam habuisse: De alijs nihil planè aliud nisi visos à me simul omnes vnà cum hero meo apud Baronem Vaulx. Dixi etiam vidisse me Dominum *VValleyum* (*Garnetti* id nomen erat) cum Domino *Greenwayo* post detectam coniurationem; id quod verum est. Missus enim in eum locum cum literis, offendi ibi homines; & cum Domino *Greenwayo* ad Winteri (conueniendi heri mei causa) reuersus sum, quo ex loco ille discessit in domum Domini Abingtoni. Hæc dixi, præterea nihil; Cuius etiam rei me magnopere pœnitet, ac spero fore vt veniam à Deo impetrẽ, cùm illa mihi spes vitæ, non animi prauitas extorserit, quanquam idipsum nihil mihi profuturum existimo.) Hæc Bateſius. Quæ quidem auidis inuidiæ cõflandæ aduersarijs ansam dedisse potuerunt *Garnetti* quærendi capiendique, ita tamen nullius ponderis visa sunt, vt neque in iudicio cùm de *Garnetti* causâ disceptaretur vnquam prolata sint, & Cecilius ingenuè confessus sit, in causa *Garnetti* antequam is in carcere cum Socio colloquens audiretur, nihil in eum probationis iudices habuisse. Quantâ vero spe vitæ *Bateſius* lactaretur videre est in ijsdem literis, vbi narrat se quodam die, matutino tempore vocatum è cubiculo vbi custodiebatur, reperisse hominem cum noua veste, quam custos carceris voluit vt probaret an corpori conueniret: Prius etiam (inquit) Comes Salisburiæ petierat à me si qua re indigerem; Et monuit custodem vt prouideret mihi de toga, & me liberaliter & commodè haberet. 1606. Literæ Bateſij.

XXIII. De *Garnetti* autem Colloquio cum *Oldcorno* carceris socio hæc habentur pro comperto. Dum in Arce Londinensi arcta teneretur custodia multa spargebantur tanto viro indigna; Quæstionis nondum irrogatæ metu Confessionum arcana prodidisse in lucem, atque alia plura de pluribus: Flagitare à Magistratu occultum supplicium, publicæ impatientiâ infamiæ; & muliebriter deprecari vitæ iacturam; totos sex dies noctesque continuatâ vigiliâ prope confectum haud satis capite menteque constare, ac multa perturbatè varieque proloqui. Et intererat sanè aduersariorum huiusmodi vti stratagemate, tum ad infirmandam venerabilis viri auctoritatem, tum ad eliciendam, si qua subesset, probabilem accusationem. Interea verò dum nullus Catholicorum cuiquam ad illum esset accessus, nulla colloquendi explorandiue copia, ipsa aduersariorum nimia attentio calumniæ fidem apud prudentiores derogabat. Et cum insigni improborum hominum dedecore ac probro tum demum dissipata est cùm publico in tribunali *Garnettus* integritatis suæ & fidei vindex atque assertor fortissimus constitit. Etsi enim circumuentum in casses implicuere, quam fidem tamen Hæreticis hominibus antiqua omnia iura inuertentibus probare non potuit, Deo seruauit. Etenim quando neq; ex coniuratorum confessionibus quidquam ad eum tollendum sat potens adferretur, neque ex eius responsionibus elici posset cùm sæpius à delegatis iudicibus interrogaretur, rem dolo aggrediendam rati, De colloquio Garnetti cum Oldcorno. Nouum tormenti genus, indicta vigilia.

1606. *Edwardum Oldcornum*, (quem proximè memoraui simul captum) in contiguum *Garnetiano* carcerem deducunt, curantque vt per simulationem amicitiæ Custos Carceris de ea re *Garnetum* moneat; ostendat etiam rimam quandam quę alloquēdi hominis opportunitatem præbere posset. *Garnettus*, vt erat animo candido, nihil fraudis suspicatus, non ita multo post vel Confessionis vel solatij causa vti constituit liberalitate Custodis. Ille vt erat à iudicibus edoctus collocat in insidijs qui sermonem excipiant, nam locus ad eam rem factus atque accommodatus erat. *Garnettus* post peccatorum Confessionem, dum de se rebusque suis cum *Oldcorno* familiariter loquitur, quidpiam dixit quo significabat de coniuratione se aliquid per *Greenwayum* in confessione Sacramentali eâ conditione cognouisse, vt si aliunde sciretur, loqui pro sua prudentia liceret: Id acceptum ab auscultatoribus, atque ad Magistratum delatum abundè ad imminutæ Majestatis crimen *Garnetto* obijciendum existimatum est. Audiamus verò *Garnettum* his omnibus de rebus loquentem cùm publicè accusaretur.

Garnettus accusatur.

XXIV. Quinto Calendas Aprilis Anni millesimi sexcentesimi sexti, non iam West-Monasterij consueto iudiciorum loco, sed in Aula quam vocant Vexillorum, (vulgo *Guildhall*) in meditullio ciuitatis, (vbi Prætor ciuibus ius dicere cum Assessoribus consueuit) sederunt cognitores causæ cum Prætore Comites Notingamiensis, Suffolciensis, wigornensis, Northamtoniensis & Saliburiensis, (qui & Cecilius) cum supremo causarum capitalium Iudice, primo etiam Barone ærarij regij, & Irenarcha seu pacis conseruatore Schetwino, Dominis pro sua Majestate delegatis: Circa nonam eius diei horam sistitur *Garnettus*, & iussus pro more manum attollere, sine mora sustulit, eà vultus serenitate & constantiâ, quæ & animi tranquillitatem demonstraret, & intuentibus inijceret venerationem. Summa accusationis hæc erat. Quod nono Iulij Mensis proximè elapsi, in paræcia Sancti Michaëlis Londini, in Regione vulgo dicta *Queenhithe*, cum Roberto Catesbeyo (nuper in aperta contra suam Majestatem rebellione occiso) conspirasset in Serenissimi Domini Regis & eius Filij necem; quod facinus diabolicum vt certius ad exitum perduceret, ingentem vim pulueris tormentarij sub ædibus Parlamentarijs conuehi curasset, vt ea ratione Regem, Reginam, Principem, Proceres, temporales Dominos & spirituales, Equites, Municipes, vniuersum denique Comitiorum consessum vno impetu difflaret; seditionem deinde toto Regno concitaret; vim copiasque exteras introduceret quibus Regnum Angliæ subuerteretur. Ad quæ cùm *Garnettus* se dixisset innoxium, electis duodecim viris, Deo & Patriæ pro more Gentis se commisit iudicandum. Tum ex Regijs Procuratoribus vnus breuem sed virulentam orationem ab his verbis exorsus, *Nihil occultum quod non reueletur, neque absconditum quod non sciatur*, rem permisit latiùs explicandam Edwardo Coco Generali Regis vt vocant Attornato, seu aduocato. Is cum in ingressu orationis dixisset de nulla re alia locuturum præterquam de nuperrima hac horrida proditione, in tam varia, tamque

disiuncta

disiuncta dicendo excurrit, vt & audientes ineptijs fatigaret, & sua sese loquacitate irretiret: Nam de Religionum antiquitate, & de singulis ab primo Elizabethæ tempore conspirationibus, de Pij quinti diplomate, de Hispanica olim classe, de *Campiani* in Insulam descensione, de *Personij* libro de iure Regni, de *Cressvelli* Philopatre, de Regis sui prolapia, dignitate, doctrina, pietate, Matrimonio, denique de æquiuocatione prolixè disputauit, *Garnetti* aliquam accusationem singulis immiscens, atque id studio agens, vt *Garnettum* non huius tantum sed omnium proditionum faceret autorem vel participem, & rerum multiplicatarum confusione reo tolleret defensionem. 1606.

XXV. At *Garnettus* præsentis animi vir, vultu, vt semper, ad modestiam compositio, & adhibitâ aduersus delegatos debitâ Reuerentiâ, ijs quæ ad rem pertinerent in quatuor capita distributis; "Dicendum mihi, inquit, esse video de doctrina nostra in vniuersum sumpta; tum de Recusantibus in genere; deinde de Societatis nostræ Patribus vniuersim, ac denique de meipso. De his breuiter, perspicuè, & candidè explicabo quod res est. Acriter disputauit Dominus Attornatus aduersus illud doctrinæ caput quo docemus licitè vsurpari posse æquiuocationes certis in euentibus, quasi vniuersa humanæ Societatis vincula hæc doctrina perrumperet, & Martyres coronis spoliaret: Quorum neutrum ex doctrina rectè intellecta conficitur. Non enim docemus nos promiscuum & arbitrarium æquiuocationis vsum, in contractibus, in testimonijs, aut coram Iudice legitimo, vel in cuiusquam tertij præiudicium: Licitam tamen prædicamus cùm quæritur aliquid cui sine nostro alteriusue incommodo non possumus clarè respondere; vel cùm iudex non est legitimus; vel si legitimus iudex interrogat de omnino secretis, quæque eius iudicio non subsunt; his similibusque in euentibus redimendæ vexationis causa licitè tenemus mente quod ore non proferimus; neque id humanam Societatem in aliquo perturbat, iuuat potius, & à mentiendi vitio quod nunquam licitum est liberat; consentit etiam cum ratione & doctrina sapientissimorum hominum, & sanctorum Ecclesiæ Patrum, nemine quòd sciam repugnante; certe Sanctus Thomas Aquinas pluribus in locis hoc docet, præsertim vbi de Sacramento Pœnitentiæ agitur, traditque à quocunque demum homine Confessarius rogaretur de ijs quæ in auriculari tantum Confessione cognouisset, non licere modò, sed teneri negare. Neque officit gloriæ Martyrum; neque enim docemus nos, quemadmodum Dominus Attornatus videbatur dicere, licere in rebus fidei æquiuocare; damnamus enimuero Priscillianistas Hæreseos qui id docebant agebantque: Nostrisque temporibus Catholici, cùm ad interrogationes ad fidem pertinentes directè, prout decebat, respondissent mortis supplicium sustinuere; quam mortem effugere potuissent si existimassent in huiusmodi licitum esse simulare. Quam doctrinam pluribus locis ex sacris literis depromptis confirmare possem, sed labori supersedeo, quandoquidem hac ipsa de re coram vobis alijsque viris doctis fusius in Arce disputaui, cum ad me examinandi causa accederetis. Hic Cecilius, vnum te rogatum velim *Garnette*:

Quatuor Capita defensionis ac primum de Acquiuocatione quid sentiat Societas.

1606. Doces fas non esse coram Iudice competente æquiuocare ; Spero te nos pro legitimis habere Iudicibus : Multa verò tu mihi in Arce negasti, quæ productis deinde testibus confessus es. Cui *Garnettus*, id enimuero feci, quia nullum existimaui testem aduersum me venire potuisse, atque ea propter occulta fuisse quæ interrogabantur, neque me iure de ijs rogari ; præsertim cùm in alterius damnum vergerent qui nulla infamia laborabat.

Quid de regibus excommunicandis.

XXVI. Alterum doctrinæ nostræ Caput in quod Dominus Attornatus vehementius inuectus est, spectat Regum excommunicationem, depositionemque: Quæ res etsi latum præbeat differendi campum, quoniam tamen difficulter coram hoc honorato consessu dicitur in causa quæ Majestatem suam propius tangere videtur, pauca in meipsius fratrumque meorum Catholicorum Angliæ purgationem proloquar. Ac principio obsecro Dominationes vestras vti animaduertant doctrinam hanc nostram eandem omnino esse cum illa quæ vbique gentium quibus Catholici imperant docetur à subditis Academijsque Catholicis ; Neque propterea habentur ij proditores, aut existimant Principes doctrinam ipsam subditos ad proditionem seditionemue informare : Neque certè capio cur nos qui in nullo ab recepta vbiq; doctrina discedimus, aut apicem vnum immutamus, tanti criminis maculâ præ omnibus notemur. Deinde animaduertere oportet, magnum esse inter Sereniſſimum Regem nostrum discrimen, & illos Principes qui Catholicam fidem semel amplexi recedunt deinde atque in Hæresim delabuntur, ab eo se corpore seperantes atque ab illo capite cum quo olim fuerant coniuncti: Hos tangunt Censuræ de quibus fusè à Domino Attornato disputatum est; ab ea nimirum potestate merito puniuntur, à qua immerito discesserunt. Alia est Regis nostri causa qui eam doctrinam profitetur quam cum lacte hausit. In hunc proinde nemo priuatus sententias illas Censuras ue Generales adaptare potest.

At (inquit Sarisburius) Potest nè Pontifex Regem nostrum excommunicare? Nolim (subiungit *Garnettus*) Pontificis potestatem in quæstionem venire aut illam denegare. Quid igitur? Si excommunicaretur, licerétne subditis rebellare? Ad ista, inquit, pridem respondi, atque vt nè huiusmodi quæstionibus vehementius premar rogo. Lecto deinde Canone, *Nos Sanctorum*; Et dicente Attornato per iocum, *Garnetti* responsum eò spectare, datus est ei locus ad sequentia progrediendi.

Quando & cur Catholici cæperunt Schismaticorum Ecclesijs abstinere.

XXVII. Secundum de quo institueram dicere erat de Recusantibus in genere (hoc est, de ijs Catholicis qui sacris precibusue Hæreticorum renuunt interesse) Hi si Domino Attornato credimus, absentiam suam fundant in Bulla Pij quinti quâ Elizabetham excommunicauit. Quod si verum esset cùm Sereniſſimus Rex non sit per sententiam excommunicatus, liceret nunc preces frequentare; quod certè facerent Catholici vt à mulctis essent immunes si id licere arbitrarentur. Neque illud verum est quod tam constanter affirmatur ad annum vndecimum vsque Elizabethæ non abstinuisse Catholi-

cos ab huiusmodi precibus: Ipse enim noui plurimos eo tempore superstites qui per omnem vitam abstinuerint. Quin & Dominus Fitzherbertus illis temporibus scripsit librum quo probaret nemini Catholico licere conuentibus eius generis interesse; & palam notum est Episcopos Presbyterosque complures in custodiam datos esse ab initio quòd præsentes esse noluerint. Quare non propter Excommunicationem, sed conscientiâ ducti recusant: Quod iam inde ab Arrianæ Hæresis exordio factitatum est: Habebant illi Sacerdotes, Missas, Altaria, integram Lithourgiam Catholicorum, easdem ceremonias, non tamen ad ista conueniebant Catholici. Fateor equidem hanc rem non omnibus æquè Catholicis à principio notam fuisse; donec re ad Tridentinum Concilium delatâ, doctis grauibusque viris duodecim ad id delectis, statutum est nullo modo licere; decretum confirmante Concilio. Et hæc de causis absentiæ dicta sufficiant. 1606.

Tertium erat de Iesuitis vniuersim, quorum aliquos Dominus Attornatus sceleratissimarum proditionum reos facit, per Colinum, Yorkum, Williamum, & Squirum perficiendarum. Hoc affirmare possum; Vidisse me asseuerationes attestationesq; *Holti & Walpoli* (quos ipse insimulat) ac iurata per salutem suam æternam testimonia, quod nunquam cum his hominibus huiusce modi de re habuerint sermonem: & sanè si vel humanæ prudentiæ lance rem perpendere velimus, ab omni ratione alienum cogitanti videbitur, hos Patres, (quos non omnino dementes fuisse vobis ipsis notum est) in re tantâ vti voluisse viris in Religione à Catholica discrepantibus, vt Yorko, Squiro, & alijs, qui Protestanticam Professi decesserunt vix noti Patribus. Et quid quid sit de Confessionibus reorum tormentorũ vi aut præmij pollicitatione expressis, certum est Williamum & Squirum morti proximos se Patresque declarasse innocentes. Præterquam quod tam nota est horum Patrum probitas, tamque probata integritas, scriptis etiam libris firmissimisque testimonijs vulgata, vt actum agere videri possim, nisi Domino Attornato placuisset hæc obsoleta commemorare. Quod ad Patrem Sherwood attinet, Societatis nostræ Presbyterum hoc nomine hactenus audiui neminem, certusque sum talem nullum fuisse: Vt planum sit è triuio colligi quælibet & ad inuidiam conflandam exaggerari.

Iesuitas nõ fuisse reos proditionum.

Postremo de meipso dicturus, velim animaduertatis falsa sæpenumero veris videri probabiliora, si solis agatur coniecturis, præsertim vbi ad illustrandam falsitatem facultas accesserit oratoris. Pietas autem Christiana, & verò communis humanitas postulat, vitæ necisque causam non leuibus quibuscunque coniecturis agi, sed oculatis testibus certisque indicijs, quæ quidem in Domini Attornati accusatione requiruntur. Dicam igitur candidè quid hoc in negotio de quo accusor egerim & quo me modo gesserim; qui etsi vobis à fide Catholica alienis minus fortasse probabitur, certè Catholicus aliam in eo viam tenere nullus potuisset. In primis Deum, Sanctosque omnes testor me ab hoc, & ab alio quouis proditorio facinore semper abhorruisse, huiusce modi machi-

Quid Garnettus ipse fecerit dix. eritque.

1606. machinationes contra suam Majestatē semper duxisse semper docuisse esse illicitas sūma que quâ potui industriâ laborasse vti anteuertere & supprimere. Deinde fateor, à multo iam tempore intellexisse me ex Dño Catesbeyo agitare illum animo quidpiam quod in bonum cederet Catholicorum quemadmodum ipse ratiocinabatur: Hoc nemini quidem detexi, tanta autem vi & efficacitate dissuasi, vt planè existimauerim omnem illam cogitationem deposuisse quæ huiusmodi proditorios conatus spectare posset, certè promisit se depositurum. Silentio autem rem premere Religiosi Sacerdotis officium duxi, docente Christo Domino, *si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum; si autem te non audierit*, ad alia tunc progredi licet. Persuasus igitur omnino illum à machinatione destitisse, existimaui me liberum à denuntiando: Id si minus legi vestræ satisfaciat, Lex tamen Christi me ita instituit & pietas Christiana, non decere Catholicum hominem & Religiosum Sacerdotem, fratrem de crimine de quo pœnituisse credebatur accusare. Quam autem ego alienus semper fuerim ab huiusmodi machinationibus, & quantum conatus sim eas impedire, certissima mea facta probant, omnibus coniecturis firmiora: Impetraui enim literas à Superiore meo, quibus seuerè mandabat ab omni molitione violenta abstinendum; tum etiam quâ potui industriâ conatus sum vt sub grauiori censura præciperetur; quod sanè tam sedulò non feciſſem si facinus probassem. Præterquam quod sciebam quantum summo Pontifici hæc attentata displiceant: Delatum enim ad me fuerat laudatam ab ipso fuisse meam solicitudinē, meam vigilantiam in sedanda commotione Herefordiensi & alijs. Denique obedientia ipsa, & erga Superiores obseruantia, quæ apud nos in summo est pretio, me deterrebat; grauis enim præcepti vinculo tenemur ab omni publicarum rerum tractatione abstinere.) Placuit hic Procuratori Regio interloqui, & asserere *Garnettum* nihil prohibuisse; aliunde saltem id non constare quam ex ipsius-met affirmatione; procliue vero esse vniquique suæ causæ fauere; Denique si prohibuerit, non reipublicæ causâ prohibuisse, sed specie clementiæ, vt ne principalis hæc actio impediretur. Ad quæ *Garnettus*; " Quomodocunque (inquit) Dominus Attornatus iniquè & malitiosè peruertit intentionē meam, mens mea omnino fuit anteuertere si quo modo possem cōmotiones quas timebam, cum animaduertere Catholicos ægerrimè ferre continuas calamitates & vexationes, palamq; dictitare Regem fidem ipsis datam violasse. Certè mandatū sub anathemate quod studui procurare nulli prorsus proditioni fauisset.

De literis Commendatitijs.

XXVI. Iam verò inter alia obijcitur, quod literas commendatitias dederim Thomæ Winter, Fauxio, & alijs trans mare nauigaturis. Fateor dedisse me literas; de causis verò cur transfretarent non inquisiui: Sciebam esse Catholicos, & inculpatæ vitæ; id testatus sum, vt consuetis vrbanitatis officijs exciperentur; quales literas pluribus dedi qui nullo conspirationis crimine tanguntur; hi si mea benignitate abusi sint ad suas machinationes promouendas, non meâ id culpâ factum est sed ipsorum.) Itanè vero (inquit Salisburius)

rius) nesciebas quo fine transmitterent? Nunquid non mihi ipse dixisti, te Dominum Edmundum Baynam nominasse velut idoneum qui ad Pontificem mitteretur?" Hoc solum dixi (subiunxit *Garnettus*) cùm existimatum ex re esset vt aliquis ad Pontificem mitteretur, qui illi conditionem Catholicorum explicaret, neque id sine magnis sumptibus fieri posset, consultius esse vt id negotij Domino Baynam crederetur, quem sciebam à duobus retro annis illud iter meditari, quàm si quisquam alius magno suo vel Catholicorum sumptu destinaretur. Eo vero tempore quo ille traiecit, ego nihil quidquam de hac proditione cognoueram. Et omnino mihi persuadeo Dominum Catesbeyum ne quidem Pontificem certiorem fieri voluisse de reipsa quam machinabatur, sed in genere tantum consulere, an quidpiam esset attentandum. Idque ex eo colligo quod Dominus Catesbeyus mihi sanctè promisisset nihil aggredi nisi assentiente Pontifice. Nostro autem nomine vt quisquam mitteretur nunquam consensi: Mitterent ij, si vellent, qui propius tangerentur. Si quid ex Faulxi alterius ue Confessione colligi videatur quod aliter factum esse arguat, id ipsi viderint; nam eorum inter se ego non interfui consilijs. Quod ad responsum attinet quod tulit à me Catesbeyus de innocentum cum nocentibus cæde, non rectè ab Attornato relatum est. Nec enim respondi, licere Catholicis Protestantes occidere etiamsi innocentes aliqui in cæde inuoluerentur; sed generatim de bello iusto loquens, respondi quod omnes Theologi, & communis bellorum vsus habet, posse oppugnari oppidum, mœnia disijci, etiamsi in mœnibus neci exponerentur innocentes: Præseferebat enim id temporis Catesbeyus iter in Belgium ad militiam. Cùm intellexi hoc responsum ad tam atrox facinus esse deriuatum ex horrui, sciens quantam inuidiam dedecusque id pariturum erat Catholicis; præter alios conatus, precibus ista depellere studui, & in summis votis habui vt leniori, si Deo visum esset, insisteretur via.) Ita est (inquit Salisburius) nam mihi in porticu inambulanti dixisti, tametsi nos Missas vestras non probemus, pro certo tamen te habere eas nobis profuisse; precatum enim te esse ex animo vt hæc conspiratio effectum non sortiretur nisi in Ecclesiæ bonum esset cessura." Nequaquam Domine, (respondet *Garnettus*.) neque enim id dixi; sed me Deum orasse pro verè magno negotio, vt scilicet si Deo placeret, suæ Majestatis cæterorumque in Parlamento animi disponerentur ad lenitatem, nè tam atroces rogarentur Leges, quibus exacerbati Catholici ad huiusmodi molitiones se conuerterent quas verebar. Et quoniam visum est Domino Attornato dicere, me mentem meam hoc colore tegere velle, & testes producit qui id ex ore meo asseuerant; Ego quidem de eorum integritate quam laudat, non habeo dicere sed vt rectissimi sint, possunt in verbo falli, possunt non singula intellexisse, possunt vno prolato, aliud quod sententiam mutat ex inaduertentia subticuisse; neq; enim ego colore vllo mentem tegere volui, neque amplius aliquid dixi, quam habere me ad manum quod respondeam; optabam enim vt leges non sortirentur effectum.

1606.

De cæde Innocentum cum nocentibus.

1606. XXVII. Excanduit ad ista Salisburius, & feruentiori insurgens oratione. "Non est, inquit, *Garnette* quod testes infirmes; si tecum vno teste, aut non omnino recto agere vellemus, posse mus in te fædiora coijcere: Veruntamen id non fiet, vt vbique terrarum omnes intelligant quantâ cum integritate, quantâ cùm lenitate & clementiâ iustitiam administramus: Ideoq; Serenissimus Rex statuit vt in hoc nobili consessu tua causa ageretur. Quis est enim *Garnettus*, vt in hunc locum dicturus vocaretur, & tot præclaris viris molestus esset. Audeo dicere summum Romæ Cardinalem, si causam agere cogeretur, nobilioribus non vsurum. Non tuâ causâ, *Garnette*, huc vocaris, sed vt tuum facinus, & Religionis tuæ fædi errores in lucem producantur, & Majestatis suæ clementia orbi vniuerso fiat manifesta. Regis in manibus tua posita est vita; hanc tibi auferre multas posset ob causas; Vt verò Iustitia constet, & mendacium seu obtrectatorum obturetur os, voluit hoc loco, coram cętu tam honorifico te explorare; quâ de re tam gloriari nobis licet quàm si maximus Cardinalis causam pro Tribunali ageret. Testem proferimus cuius existimatio sanctissima est, qui pro toto mundo tibi non inferret iniuriam: Ex vicino satis vestra excepit colloquia; prudentiæque nostæ fuit, vt tu & *Oldcornus* tam commodè collocaremini vt posletis audire, & audiri. Prudentia quam politicam dicunt, modò Christiana sit, non est à Republica bene instituta reijcienda. Nisi hac via insisteremus, haud sanè scio qua ratione vobiscum agendum esset: Vestris enim libellis de crudelitate infamamur, & de grauissimis persecutionibus, vnde non leuis est à vobis noster metus. [Palpari igitur vos necesse est & foueri à nobis vt à nutricibus paruuli, nè si morbo aut morte corripiamini fama volet veneno vos esse sublatos; vt de quodam vestro nunc est rumor equulei nimis effræuata vi esse discerptum, cùm is præ desperatione sibi ipsi mortem conscinerit.) Non existimauit *Garnettus* huic inuectiuæ quidquam reponendum: Palam enim in omnium oculis erat ex turbulento animi motu ea dici incongruè. Quis enim ignorare poterat quàm acerbè tractentur ij quos semel prænenderint Sacerdotes? Non vt nutrices paruulos, sed vt nouercæ priuignos quos pessimè oderunt. Is quem Salisburius manus sibi intulisse affirmabat, *Ioannes Odoeni*, (ab exiguo corpore dictus *paruus Ioannes*) cum *Garnetto* captus & in Arcem delatus, secundò subditus equuleo, cum hernià laboraret, non fuit par cruciatui, sed ruptis visceribus abductus ad lectum non diu superfuit: Sparsus est sermo quod sua manu interijsset; id tortor ipse negauit, fidem præterea faciens vix se in quoquam vidisse maiorem in tormentis constantiam: Præterquam quod non est, more desperantium & sibijpsis necem inferentium per agros aut viâ Regiâ terræ mandatus adacto in viscera stipite, sed in ipsa arce sepultus.

Salusburij vehemens & inepta oratio.

De notitia in Sacramento accepta. XXVIII. Salisburium perorantem excepit Procurator Regius, & *Garnetto* Confessionem propriam obiecit, cùm *Tesmundo* aures daret; cumq; *Garnettus* agnosceret se id in Sacramento cognouisse, eâ tamen lege vt Sacramento sua vis maneret, nisi aliunde innotescerct; tum vero, si in manus incideret, (nè

quæstione

quæstione premeretur) posse proferre: Northamptonius Comes duo conatus est inferre; primum consensisse *Garnettum* eo quod non prohibuerit, iuxta iuris Regulam *qui non prohibet cum potest, iubet*. Secundò pluris æstimasse suam à tormentis immunitatem quàm Regni totius salutem. At *Garnettus*, "prohibui, inquit, quantum potui; quòd autem non ijs aperui quos vos arbitramini potuisse impedire, non aliam causam habuit quàm Sacramenti secretum, quod violare nefas ducimus. Neque rectè infertur me meam immunitatem prætulisse saluti totius Regni; sed studui malũ non facere vt euenirent bona: Facultas enim enuntiandi sumenda est ex mente Confitentis, in cuius bonum, & verò in vniuersæ Ecclesiæ vtilitatem & salutem hoc Sacramentum cum hac conditione secreti institutum est; quâ violatâ perit veneratio & vsus Sacramenti: Quis enim vellet occulta confiteri nisi certus de secreto?) Obijcientibus deinde Salisburio & Procuratore Regio, quod licet *Tesimondum* non potuerit detegere, debuisse tamen detegere Catesbeyum & Socios qui ipsi confessi non fuerant; & *Tesimundi* ipsius confessionem nullam fuisse, quod ipsum non pœnituerit. Respondit *Garuettus*, primo, *Tesimondum* omnia adhibuisse quæ ad Sacramenti vim fructumque requiruntur; deinde etiamsi desit in aliquo quidpiam quod ad fructum gratiamque Sacramenti pertineat, est tamen Confessio Sacramentalis, atque adeo ad Secretum obligat, non solum in ijs quæ Confitentem tangunt; sed quæ alios quoscunque. 1606.

XXIX. Denique de commoratione Warwicensi interrogatus (vbi & captus est eo tempore quo hi motus increbuerant) tum de colloquio cum Bateso ferente literas à Catesbeyo post detectam coniurationem: Respondit, se nihil suspicantem de motu suscepisse iter ad Sanctæ Winefredæ; reuertentem verò amicorum importunitate hæsisse in illa Regione; Si vllâ prouidentiâ prouidere potuisset tale quidpiam euenturum, sat remotè abfuturum. Cum Batesius ad se venisset cum literis re detecta, noluisse quidquam cum illo habere commercij qui proditorijs his molitionibus se immiscuisset, & se, suosq; & Catholicos vniuersim in summũ certissimumque adduxisset discrimen; neque quemquam ab se missum esse ad Catesbeyum; quicunq; profectus sit se nesciente profectum.) Tum Nottinghamius Comes vt actionem egregio quodam epiphonemate clauderet, petitâ interrogandi licentiâ; Quid *Garnette*, inquit, si ego ad te confessurus accederem, diceremque horâ non plus vnâ interiectâ me Regẽ pugione confossurũ, detegeres? vel non detegeres? Cui *Garnettus*, "Domine mi, si alia aliqua ratione in rei cognitionem deuenirem vtiq; detegerem; sin minus, omnes modos præueniendi inuestigarem, & conquisitis vterer.) Quam vocem nil mirum si circumstans concio risu potius quàm plausu exceperit, quandoquidem è re Ecclesiæ Christi publicâ quid interfit, longè ab Hæreticorum intelligentia remotum est, & Sacramentis pessundatis cætera concidere sit necesse. Verè tamen illud, etsi nescius, subiunxit Nottinghamius; " Nunc *Garnette*, velut in

De commoratione VVarwicensi.

1606. lut in suggesto es, vti aliàs sæpe; sed vt candide dicam quod sentio, ampliorem quam hodierno die fructum nunquam tulisti.) Post quæ Salisburius," Age, inquit, *Garnette*, vides quàm benignè, quamque liberaliter sis habitus, amplâ potestate factâ te defendendi, lectisque præterea pluribus quæ in causam tuam amicissimi tibi proferre potuerunt; totaque actio summa cum moderatione instituta est, quam nemo vti existimo quantumuis malignus calumniari possit.) Vocatis deinde Duodecimuiris, cùm dictus esset noxius, & rogaretur an quidpiam illi superesset dicendum," Hoc solum, inquit, Ego vestræ sententiæ aduersari nolo: Veniet dies quando hæc eadem causa pro Tribunali Christi cunctis adstantibus agetur, non fallacibus coniecturis & malè fundatis argumentis, sed loquentibus conscientijs. Interim Deus Regem conseruet; in eius arbitrio mea mors & vita est posita: Mortem non pertimesco, miseriarum exitum; si vitam salua fide & Religione largiatur, studebo quibus potero officiis eum demereri.)

Quid egerit Garnettus ad sedandos Catholicorum animos.

XXX. Dimissâ concione, & *Garnetto* iam ex sententia reo ad Arcem reducto, interim dum se parat ad mortem, operæ pretium erit ea recolere quæ ad componendos Catholicorum animos, omnemque turbulentam molitionem anteuertendam aut prudenter egit, aut scripsit diligenter. In primis enim cùm Catholicorum nonnulli ad absterrendos Hæreticos ab iniuria ope summâ nitendum existimarent vt nisi concessâ ad vsum Religionis libertate pax cum Hispano non sanciretur, essentque qui armis potius agendum arbitrarentur, longè aliam *Garnetti* mentem experti sunt; opportunitatem quidem illam impetrandæ libertatis non aspernabatur, alienum tamen censebat seditione concitandâ Religionem tueri; extantque eius literæ ad moderatores in eam sententiam scriptæ quarto Calendas Septembris anni quarti supra sexcentesimum, in quibus de pace primùm " *Nemo sapiens pacem non probat, & speramus fore vt Religioni etiam vtilis sit; Id Catholici expectant in patientia. Si tamen negotium tolerationis minus succedat, vereor vt aliqui id sint laturi: quid igitur facto opus est? Nam Iesuitæ illos in officio continere non poterunt. Mandet summus Pontifex pro Imperio nè quis Catholicorum commouere se audeat.* Quam mentem cùm Catholicis aperuisset, non defuerunt qui abalienato à nostris hominibus animo dicerent aucupari nos Regis gratiam assentando, id quod *Garnettus* alijs literis testatur, quas rogatus vera nè essent ea quæ Patauium incerto auctore delata fuerant, Iesuitas apud Regem offendisse quòd pacem voluerint interturbare, decimo calendas Octobris eiusdem anni scripsit in hæc verba. *Quod Patauium scriptum est, Regem Catholicis infensum propter quorundam Iesuitarum minus moderata studia, quàm sit à veritate alienum satis in Anglia constat, neque enim quisquam ignorat quo studio diligentiaq; pacem promouerint. Legatus certè eorum consilio & opera eo in negotio plurimum vsus est. Quin etiam non ita multo ante, vir in Regno primarius, cùm Iesuitas viros bonæ conscientiæ prudentes & doctos dixisset, eos in quorundam cœtu collaudauit, quod in pacis negotio strenuam*

nuam nauassent operam. Compertum etiam est quàm multos abreptura fuisset VVatsoniana coniuratio nisi ei malo Iesuitæ occurrissent. Et quamuis in eorum potestate non sit quid priuatim importunus aut audax quispiam moliatur, id tamen efficient vt multo maxima atque optima Catholicorum pars quæ eta coquant consilia. Qui nobis iniquiores sunt assentari nos Regi eiusq; consiliarijs dictitant; sed quamdiu non aliam causam habent facilè feremus hanc censuram & in laudibus ponemus. Ex Catesbeyi deinde frequentiori colloquio cùm deprehendisset magni quidpiam agitare eum animo quod ab se nollet clarè intelligi, cæpit in concionibus de malorum patientia ac propria Christianorum animi fortitudine sæpius solito grauiusque disputare, atque hortari Catholicos vt ferendo persecutionem vincere, quam vinci repugnando mallent. Offendit ea res Catesbeyi animum, vel quòd ea in se dici crederet, vel quòd inuitus audiret quæ vel sibi vel Socijs scrupulum suscepti facinoris viderentur injcere. Itaque neque tam frequens in colloquijs, neque tam assiduus in concionibus esse cæpit. Inculare etiam Iesuitas quod nunc opponendo Pontificis Imperio, nunc extollendo patientiæ bono, nunc ostendendâ inani meliorum spe catholicos distinerent. Quibus ad *Garnettum* delatis consuluit rursus moderatores suos, Romam scriptis his literis octauo Maij anni insequentis. *Catholici fere omnes in desperationem acti videntur: Multi de Iesuitis queruntur quòd impedimento sint quo minus aperta vis adhibeatur. Hæc ad me casu delata sunt: Nam quæ eorum mens, quæ consilia, quærere non audeo, quòd toto hoc rerum genere prorsus abstinere nos iusserit Pater Generalis.* Ad quas literas Præpositus Generalis rescripsit in hæc verba. *Quæ Catholici pro libertate moliuntur, ea omni ope auertere studeat, curetq; vt cogitationes eas plane deponant, tum quod sine multis ijsq; grauissimis Religionis incommodis consilia hæc neque agitari, neque perfici possunt, tum quòd Catholicos ipsos in maximum discrimen facilè adductura sint, & quod caput est, quòd Sanctissimus Christi Vicarius non modò non probat, sed præcisè desisti iubeat; accedit etiam bonum nostræ Societatis nomen, cùm non mediocre damnum immineat si quid secus Catholici faxint, cùm non ita facilè sibi homines persuasuri sint hæc & similia, sine nostra aut scientia, aut etiam consensu esse factitata.*

1606.

XXXI. In eandem sententiam scripsit Pontificis nomine *Personius*: Quibus acceptis literis Catesbeyum & alios nonnullos ad se conuocat; exponit mandata Pontificis; rogat, obsecrat, videant quid agant molianturue. Cùm tergiuersari videret, & dicere Pontificem non suo nutu sed timidis nostrorum literis in eam sententiam adductum, aliter dicturum si præsens Catholicorum ærumnas videre, & consiliorum suorum rationes audire posset, hortatur vti per certum hominem consulant Pontificem expositis diligenter rationibus; probatur cõsilium; Et quoniam Edmundus Baynham per eos dies iter in Belgium adornabat, huic res tota committitur; proficiscenti *Garnetto* dat literas ad amicos & ad Apostolicum Nuncium; alias etiam per Tabellarium ad Præpositum Generalem quibus quid egerit significat, eas ipsis eius verbis hic reddo.

Id constat ex literis. Archipresbyteri ad Clerum 28. Nou. 1605.

1606. *Magnifice Domine.*

Accepimus Dominationis Vestræ Literas, quas ea qua par est Reuerentia erga suam Sanctitatem & Dominationem vestram amplectimur. Et quidem pro mea parte, quater hactenus tumultum impediui, nec dubium est quin publicos omnes armorum apparatus prohibere possimus, cùm certum sit multos Catholicos absque nostro consensu nihil huiusmodi nisi vrgente necessitate attentare velle. Duo tamen sunt quæ nos valdè solicitos tenent; primùm nè alij fortasse in vna aliqua Prouincia ad arma conuolent, vnde alios ipsa necessitas ad similia studia compellat; sunt enim non pauci qui nudo suæ Sanctitatis iussu cohiberi non possunt, Ausi sunt enim viuo Papa Clemente interrogare num posset Papa prohibere quo minus vitam suam defendant? Dicunt insuper suorum secretorum Presbyterum nullum fore conscium; nominatim verò de nobis conqueruntur etiam amici nonnulli, nos illorum molitionibus obicem ponere. Atque vt hos aliquo modo leniremus, & saltem tempus lucrarentur, vt dilatione aliqua adhiberi possint congrua remedia, hortati sumus vt communi consilio aliquem ad Sanctissimum mitterent; quod factum est, illumq; ad Illustrissimum Nuntium in Flandriam direxi, vt ab eo suæ Sanctitati commendaretur, scriptis etiam literis quibus eorum sententiam exposui & rationes pro vtraque parte. Hæ literæ fusè scriptæ, & plenissimæ fuerunt; tutissimè enim transferentur, atque hæc de primo periculo. Alterum est aliquanto deterius; Quia periculum est nè priuatim aliqua proditio vel vis Regi afferatur; Et hoc pacto omnes Catholici ad arma compellantur. Quare meo quidem iudicio duo necessaria sunt; Primùm, vt sua Sanctitas præscribat quid quoq; in casu agendum siti Deinde, vt sub Censuris omnem armorum vim Catholicis prohibeat, idque Breui publicè edito, cuius occasio obtendi potest nuper concitatus in VVallia tumultus, qui demũ in nihilum recidit. Restat vt nè in peius omnia quotidie prolabantur, oremus suam Sanctitatem his periculis vt breui necessarium aliquod remedium adhibeat; cuius Benedictionem, & Dominationis Vestræ preces humiliter imploramus. Londini, 24. Iulij 1605. Magnificæ Dominationis Vestræ seruus Henricus Garnettus.

Dimisso in Belgium Baynhamo, cùm amici obsequentes se, dissimulato dolore, ostenderent, nec quidquam esse reliquum crederet quod timeretur; Augusto exeunte peregrinationis causa ad Sanctæ Winefredæ proficisci constituit; qua de re quarto calendas Septembres *Personium* certiorem fecit his literis.

Quantum quidem videre in præsentia possumus, Catholicorum animi pacati sunt, certi etiam in posterum persecutionis ærumnas patienter tolerare; nec fine spe fore vt Rex ipse, vel filius eius tantis malis remedium aliquando afferat. Catholicorum interim numerus magnopere augetur; ac spero meum hoc iter, quod Deo dante crastina die ingressurus sum, cùm reficiendarum virium causâ, tum quod prioribus meis domicilijs aduersariorum diligentiâ peruestiga-

tis

tis certam in vrbe sedem non habeo, non sine Catholicæ rei benè gerendæ occasione fore.) Sed coniurati cùm iam inde ab anno superiore cuniculum agere aggressi essent irrito conatu, & cryptam deinde seu caueam ædibus Comitiorum subiectam conduxissent, molitionem suam sunt prosecuti eo euentu quo dictum est. 1606.

XXXII. Ad *Garnettum* in custodiam reductum frequentes conuenere pseudoeuangelij Ministri libidine disceptandi, quibus ille, "Non vacat, Domini mei, vestræ curiositati hoc tempore morem gerere, breue quod mihi vitæ superest latius dabo Deo, & componendo ad suprema animo.) Meminerat quæ olim de *Campiano* sparsæ fuerant calumniæ; nè igitur & sibi vacillantis fidei nota aliqua adfingeretur, consultius duxit ab omni priuato colloquio abstinere quàm famam hactenus inuiolatam contexendorum mendaciorum Magistris committere lacerandam. Aprilis totus datus est deliberationi quid tandem de eo statueretur; palam enim ex ore Salisburij auditum fuerat, nihil liquidæ probationis allatum fuisse ante colloquium cum *Oldcorno*; cognitionem verò illam fundari in pœnitentiæ Sacramento; quod quanquam ipsi eliminassent, reuerentiam tamen aduersus illud religionemque non eo vsque exuerant, vt eius vsum apud Catholicos non probarent, & in vsu silentium multò maximè necessarium non arbitrarentur. Viri etiam grauitas & candor, & apertus in respondendo animus venerationem simul & commiserationem pariebant: Metus denique ne ipsa oris species, & cum modestia copulata dignitas intuentibus suaderet (quod & euenit) nihil atrocitatis, nihil occultæ læuæque machinationis latere in tam æquabili pectore potuisse, sententiæ executionem retardabat. Vicit tamen ex hac ipsa dignitate petitum argumentum, cùm præter notam infamiæ in ordinem Iesuitarum vniuersum ex hoc vno diriuandam (quem plebs magnum Seminaristam, & paruum Papam appellabat) ipse gradus dignitasque suasura erat tantum virum non nisi de crimine teterrimo conuictum ad eum locum fuisse perducendum. Tertius dies Maij Inuentioni Sanctæ Crucis sacer supplicio destinatur. Est ad Sancti Pauli Episcopale templum eiusque Portam occidentalem non modicum spatium præaltis cinctum ædibus, hîc amplum pegma extruitur, & in pegmate patibulum, erat etiam à latere truncus in quo à breui suspendio membratim reus discinderetur, & iuxta luculentus ignis ad ilia exurenda. Locum à prima luce præoccupauit ingens omnium multitudo, oppleuitque aream & fenestras vndique vniuersas; summa erat omnium expectatio. Trahitur *Garnettus* ab arce in crate viminea, vt moris est, defixis plerunque in cœlum oculis, manibus subinde sublatis, vel mente vel voce orans. Vbi se à concussione paululum recepisset confirmassetque, conscenso theatro, & salutata humaniter circumfusa multitudine, vultu ad modestiam summam atque alacritatem composito, in hanc sententiam (facta loquendi potestate) exorsus est.) "Dies iste sacer est Inuentioni Sanctæ Crucis; cuius sub Crucis præsidio placuit Diuinæ bonitati vt ego in hunc locum deductus huius fluxæ inconstantisque vitæ Cruces omnes vnà cum

Quid Garnettus in Arce.

Producitur ad supplicium

Eius oratio ad populum.

1606. cum vita ipsius causâ deponam. Magnum sanè beneficium, pro quo immensas illi par est vt habeam gratias agamque. Quis enim dies alius magis mihi optandus fuisset, quàm is in quo mortis & Crucis Christi per Ecclesiam Catholicam vniuersam celeberrima est commemoratio? scitis plerique vestrum quâ de causâ nunc moriar; eâ nimirum quoniam rem in Confessionis Sacramento narratam non detexi: in quo etsi in Deum non peccaui, videor tamen quam plurimis in Regem offendisse, quod certè perquam dolenter fero. Eam tamen scire debetis esse apud nos reuerentiam Sacramenti, vt nulla ratione effari liceat quæ in eo accepta sunt scelera, nisi vbi & quando pœnitens ipse licentiam concesserit. In eo vno fortasse potuerim offendisse, quod suspiciones meas aliunde natas silentio presserim, alijs interim rationibus conatus turbulentorũ animos sedare & molitiones anteuertere: Fefellit me mea opinio; atq; de hoc silentio veniam rogo.) Cùm vnus quispiam obijceret Catesbeyum extra Confessionẽ explicuisse mentem suam, & diceret habere se eius rei testem ipsius *Garnetti* Chirographum, "Exhibe Chirographum, inquit *Garnettus*, si mea sit verè scriptura, vtique non negabo; Certus sum tamen te nihil huiusmodi posse producere.) Is inserta in peram manu nihil reperiens, ab astante famulo reposcit; hic domi haberi ait." Sane, inquit *Garnettus*, neque hic neque domi habes. Procul fui semper ab omni huiusmodi cogitatione, vt in se mala, & ab rectè institutis Catholicis moribus aliena, hortorque omnes vti ab huiusmodi turbulentis machinationibus abstineant, discantque in patientia possidere animas. Rogatus an quidquam aliud haberet dicendum? "Hoc tantum, inquit, vt mecum & pro me orent omnes Catholici.

XXXIII. Ab ora theatri ductus ad pedem scalæ quæ nitebatur patibulo; cùm peteretur an existimaret se iuste damnatum? Respondit, "In eo non iuste quod quasi conscius cuniculorum & pulueris sub ædibus Comitiorum repositi; nam de ea re nihil resciui nisi eo loco & modo quo enuntiare non potui. Si verò de suspicione mea, quam dixi, nemini patefacta quæstio sit, vniuscuiusque iudicio permitto vt sentiat quod visum fuerit. Exutus vestibus vsque ad indusium (quod ad talos vsque erat consutum) paulum nixus genibus tacitus orauit, tum conscensis gradibus "Benedicat vobis omnibus Deus faciatque Romano-Catholicos; alijs enim nos patet ad Cœlum aditus. Deus Dominus noster Regi, Reginæ, Principi, omnique Concilio benedicat. Quod cum initio examinarer, non egi aperte cum Proceribus deputatis ea ratio fuit, quod vinculo Sacramenti prohiberer; quando verò comperi ab subauscultantibus rem prolatam in medium, satius existimaui rem vti erat fateri quàm silentio meo ansam dare suspicionibus & sermonibus; prona enim sunt hominum ingenia ad deteriora semper suspicanda & proferenda; nè etiam Charissimo Fratri meo *Tesimondo* aliquid de fama decederet, cùm existimaretur plus se immiscuisse huic facinori quàm reuera se immiscuit. Quæ autem demum dixi, de eius licentia dixi. Quod reliquum est, Morior Catholicus. *Adoramus te Christe & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum. Hoc signum Crucis erit in cœlo*

Eius vltima verba.

in Cœlo cum Dominus ad iudicandum venerit. Alleluia. Tum breui Hymno 1606.
salutata Virgine Matre, repetitisq; aliquoties verbis Christi Dñi ex Psalmo, *In manus tuas commendo spiritum meum*, decussatis ad pectus brachijs, petensq; à Deo vt id signum in corde ad extremum vsque portaret, de scala deijcitur: Parãtem carnificem quãtocyus funem prescindere clamore populus deterret, ingeminans abstine, abstine, pendeat ad extremum spiritum. Morientem altum silentium, & multa commiseratio consecuta est; alijs ex modesta grauitate, alijs ex animi vultuq; constantia (quæ & in mortuo perseuerauit) alijs ex prudentibus responsis arguentibus in talem virum tam atrox facinus cadere non potuisse; Sanctumque & in Cœlum haud dubie receptum pronuntiabant. *Tam est val da in quantumuis falsa criminatione Innocentia*; quam Deus Optimus Maximus confirmare voluisse videtur hoc ostento.

XXXIV. Cùm turba ab theatro tantisper secessisset, *Ioannes VVilkinsonus*, honesto loco natus Iuuenis Catholicus, non tam visendi quàm si qua ratione posset nonnihil reliquiarum tollendi studio accedens, quærebat inter paleas colligendo sanguini subiectas, si fortè quid occurreret, cùm nec opinanti, & incerto quî id accidisset, spica tincta cruore defertur in manus: voti compos, rectâ domum Matronæ spectatæ fidei & pietatis contendit traditq, spicam; illa Crystallo inclusã religiosè custodit. Non multos post dies incidit sermo de *Garnetto*, & de reliquijs cum quodam matronæ bene noto viro, præsente *Ioanne*; hic auidus videndi colendiq́ue sumpto in manus Crystallo & diligenter lustrato. "Quid vos, inquit, de sanguine? Ego præter humanã faciem nihil video.) Exciuit ea vox Matronã & *Ioannẽ*, eò magis attonitos quòd præter paucas in spica sanguinis guttas nihil antea conspexerant; tũ verò alios & alios, cùm sibi vix ipsi crederent, veritatis vel exploratores vel testes adhibuerunt. Cùm constanter pluribus & humana ea effigies, & verò *Garnetti* quàm simillima videretur, diuino beneficio viuentem in suo sanguine Martyrem agnouerunt. Dumq; alij, vt fit, alijs Catholici rem indicant, & concursationes videndi causâ fiunt, neque contineri iam Catholicorum conscientiâ eius fama potest, periculosã Dominis esse cæpit. Igitur ad Hispaniensem Legatum perlata, vt attulit Dominis securitatem ita multo reddita est illustrior. Nam ab illo primarijs Regni Proceribus ostensa & consiliarijs, non Regiã modò vrbemq; sed vniuersam Insulam compleuit admiratione. Cantuariensis Pseudo Archiepiscopus indignum ratus se Præsule tantum, & quidem paleâ, Caluinianæ superstitioni vulnus inflictum, ea de re quæstionem instituens plures coniecit in carcerem ad quos eam spicam pertinuisse suspicaretur. Ferunt etiam accitos pictores qui rem arte imitarentur vt miraculi auctoritas eleuaretur; Qui cum respondissent humano artificio perfici id nullo modo posse, prodigium suo iudicio confirmarunt. Nec minor Procuratoris Regij Iudicumque rabies qui lædi Majestatẽ clamabant si quem ipsi non ita pridem damnarant, eum diuina sententia tanto edito ostento absolueret. Sed qui muscis olim culicibusque egit suorũ in Ægypto causam cõtuditq; Regis pertinaciã, idem duabus sanguinis gut-

De vultu in spica expresso.

1606. guttulis atq; exiguo stramine Martyris sui existimationi consuluit & perculit aduersarios Erat ea effigies in media spicæ logitudine, os, oculos, nares, genas, barbam, collum, in vno quasi folliculo ostentans, tamq; accuratè ad similitudinem expressa, vt melius nullo artificis penicillo adumbrari quidquam posse videretur. Quam etsi plures ex nostræ Societatis hominibus conspexerint, (in quibus ego indignus numeror) extetq; in Collegio nostro Leodiensi visenda (nulli enim potius consignari debuit quàm nostræ Societati) non erit abs re nobilis viri testimonium adnectere; cuius est hæc attestatio.

Despica Attestatio.

Ego Conrardus de Vrlel, dictus Grobendonque, Eques, & Baro de Hobocque, his declaro quod existens Londini Anno 1606. Legatus suarum Celsitudinum apud Regem Magnæ Britanniæ, allata est ad me, spica straminea tincta sanguine, vt dicebatur, Reuerendi Patris *Henrici Garnetti* è Societate *Iesu* supplicio affecti, quæ spica dicebatur representare eius effigiem; quam cum diu & curiosè fuissem intuitus, visa est mihi habere formam vultus; non tamen possum dicere quod referat Patrem, quia non sum cum eo viuo versatus; solum vidi illum cùm ad supplicium traheretur. Rogatus super hac re dare testimonium, præsentes signaui meo nomine & sigillo. Bruxellis 9. Decembris. Anno 1625. Baro de Hobocque. Locus Sigilli. Hæc vir Illustrissimus oculatus testis; Iuuat tamen ipsius *Ioannis VVilkinsoni* narratione integram adiungere, quam à morte proximo exceperunt plures ex nostris Patribus & Alumnis Audomarensis Seminarij.

Ioannis VVilkinsoni morientis de eadem testimonium.

XXXV. Nam post acceptam spicam cùm de vita Religiosè instituenda cogitaret, rebus suis vtcunque diuenditis, Audomaropolim in Belgium profectus, atque inter Collegij illius Alumnos adscriptus est. Ibi dum sibi comparat necessariam ad id vitæ genus literarum scientiam, morbo correptus, & desperata corporis salute depositus, hanc rei gestæ seriem coram testibus iuratus edidit, ac manu sua subscripsit. Ego *Ioannes VVilkinsonus* ex graui morbo decumbens, & medicorum iudicio sine spe vitæ relictus, vt Religione me soluam quâ erga Deum & Sanctos teneor, exponam modum quo spicam inueni, in qua effigies Beati Patris *Garnetti* conspicitur.

Pridie eius Diei quo Pater *Garnettus* est supplicio affectus, ingens animo est iniecta cupido spectandæ necis & referendi quidpiam ex eius reliquijs. Spem verò tam certâ concepi fore omnino vt voti compos fierem, vt dubitare non potuerim quin aliquid visurus essem quo Sancti sui Deus Innocentiam testaretur; cumque mihi frequenter eiusmodi cogitatio recursaret, eam conabar abigere nè miraculum expectans vbi necesse non erat, Deum tentando irritarem. Postero die eo me contuli summo mane & proximum carnificinæ locum occupaui eodem in vestigio hærens dum adesset *Garnettus*. Tantus autem ab aduentu Patris equitum concursus factus est, & populi tam ingens turba, vt stationem tenere non possem, neque clarè audire quæ diceret; notaui tamen plura quæ mihi non parum solatij attulere.

Inprimis

Inprimis quod indusium sic aptarat vt nullo posset vento attolli, quod mihi magnum modestiæ & puritatis argumentum visum est. Tum quod cùm essent scalæ amouendæ, manus in Crucem compositæ ante pectus, quamuis aliquantulum demitterentur, Crucis tamen formam supra cor Patris eò vsque expresserunt, donec expiraret: Atque hoc eo mihi maiorem admirandi materiam dedit tanquam diuinitus concessum, quoniam moriens orauerat Deum vt sibi à corde Dominicam Crucem nunquam auelli pateretur. Aduerti præterea cùm caput eius decisum populo spectandum proponeretur, vultum eundem fuisse, & eundem colorem qui viuo fuerat; eodemque tempore animaduerti neminem audiri acclamantem (viuat Rex) quod moris est tali in re, quod mihi indicio fuit populo iam tum Patris innocentiam fuisse probatam. Corpore quatuor in partes dissecto, & vnà cum capite corbi imposito & currui, secedente paulatim turbâ accessi medius inter theatrum & currum, eodem flagrans desiderio quidpiam Reliquiarum asportandi: Circumspicienti, hæc spica, de qua nunc tantus est sermo, in manus mihi deuenit, quonam pacto nescio. De pegmate quidem in corbem caput & membra habentem conijciebantur stramenta, vtrum verò hæc spica de pegmate an de corbe accesserit non ausim dicere, certus tamen terram non tetigisse. Hanc ego spicam eodem die tradidi Dominæ Griffin; Illa crystallinæ thecæ inclusit, quæ cùm esset breuior, factum est vt spica in rotundum inflecteretur. Paucis post diebus me præsente matrona spectandam obtulit honesto cuidam viro probè noto: Is attentius intuitus, præter hominis vultum, inquit, ego nihil video. Nouitate attoniti aduolamus, aspicimus vterque vultum quem antea non aduerteramus. Alij etiam aduocati eodem tempore conspexere. Atque hæc est verissima inuentæ spicæ historia, vti Deus nouit, ad quam narrandam existimaui me pro eius gloria teneri. 1606.

Ad cuius etiam honorem declaro quod per triduum post acceptam spicam tanto lumine illustrari me sensi, & tam pijs accendi desiderijs, vt non nisi à Deo manasse crederem, singulari Martyris merito & beneficio, quem ego magnopere persuasum habebam in Cœlis regnare, & quasi clarè id perspiciebam. Quo tempore contigit vt Patre *Hollando* Societatis *Iesu* Sacerdote, (quicum per id tempus forte versabar) de rebus pijs & de Patris *Garnetti* morte differente, in mentem mihi venerit Beatissimæ Virginis opem ac preces (quas Pater *Garnettus* in extremâ vitæ periodo ardentissimè flagitarat) viam esse expeditissimam ad Dei gratiam obtinendam. Postero die eadem animo reuoluens, magna quædam de diuina gratia cogitare cæpi; quandoq; enim videbar iustitiam Dei intueri adeo sinceram & incorruptam, vt nemo ei posset refragari, alias mirificam eius potestatem, caritatem, & bonitatem erga res creatas omnes tantam esse vt quidquid cuiquam à Deo accideret æquo par esset ferret animo. Ad hæc sensi in me motus adeò ardentes vt omnes tanquam meipsum admarem; de meipso verò tam abiectè sentirem vt nemo me vilior videretur.

1606. Si quos forte pueros alioſue ludibrio haberi cernerem, tantum diuina in ipſis imagine capiebar, vt humi procumbens libentiſſimè eorum pedes ſuiſſem exoſculatus: Eccleſiæ Catholicæ veritas clariſſima firmiſſimaque videbatur vt quæ Deo niteretur. Honorem etiam Sanctorum Reliquijs & Imaginibus habitum, necnon ceremonias quæ à Catholicis vſurpantur, plurimum prodeſſe ad pietatem iudicabam: Hæreſim vero ſatanæ eſſe illecebram & laqueum ad incautas hominum mentes capiendas; Aliaque plura mihi tunc temporis obiecta ſunt quæ præ ægritudine non poſſum iam commemorare. Habueram autem pridem in animo vt me totum Dei obſequio traderem; Creuit hoc tempore illa cogitatio, ac vehementiſſimè ad Religioſum ſtatum amplectendum impellebar. Cogitanti verò nunc Carthuſianum nunc alium ordinem, tandem magno meo ſolatio ſtatui Societatem *Ieſu* petere, & in ea gradum Coadiutoris temporalis de doctrina acquirenda diffidens. Perſuaſus deinde quòd labore & diligentia conſequi poſſem ſcientiam ſufficientem, eò animum appuli: Vnde protinus expeditis quibus in Anglia implicitus eram negotijs; quidquid mihi ſorte euenerat in pecuniam congeſſi vt in ſtudijs mihi eſſet ſubſidio; quod nunc fratri meo in ijſdem educando ſeruire velim; cui ſi ſtudia minus arriſerint, expendi volo in aliquem qui ijs vacare volet; meo enim iudicio nulla viuendi ratio Deo acceptior, aut in ſe felicior excogitari poteſt. Equidem (immortales Deo gratias habeo) iam inde ab initio ab hac mente nunquam diſceſſi. Scriptum fuerat Matrem niſi eam reuiſerem nimio dolore perituram: Hæſi aliquantiſper dubius quid mihi eſſet agendum; at perendie cùm Miſsæ Sacrificio intereſsem, & ex Euangelio legeretur, *qui reliquerit Patrem & Matrem &c. propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit*, animo (Deo laus) confirmato de mutanda ſententia non amplius cogitaui.) Hæc ille mox animam Creatori redditurus. Et erat ſubſcriptum *Ioannes VVilkinſonus*. Additis Patrum qui aderant narranti nominibus, *Rogerij Lea, Franciſci Robinſoni, Ioannis Floydi*; & aliquot etiam Seminarij ſtudioſorum. Quemadmodum igitur de re nulla poteſt eſſe dubitatio, ita viri innocentia facta eſſe videtur Deo dictante perſpicua: Videamus de reliquis quibus eadem calumnia aſperſa eſt.

Edwardi Oldcorni vitę ratio, & exitus.

XXXVI. *Edwardus Oldcornus* (qui & aſsumpto *Halli* nomine vſus eſt) vrbem natalem habuit Septentrionalis Angliæ Metropolim Eboracum; in qua poſt humaniores literas deguſtatas Pharmacopœam aliquamdiu traditur exercuiſſe; Poſtquam verò annum attigiſset primum & vigeſimum, altiora verſans animo, & ad animarum medicinam transferens cogitationem, Romam petijt, atque in Anglorum Seminario, eo quo manſit ſeptennio, tantum in virtute & doctrina profecit, vt eius ſeculi Anno octogeſimo octauo, vna cum *Ioanne Gerardi* in Societatem cooptatus, Tyrocinium in ipſa Inſula cum acceſſione pietatis poſiturus videretur. Excenſione facta, nauticæ turbæ immiſtus Londinum tetendit: Et quanquam eo quo valebat ſermonis lepore ſat cautè diſſimulabat perſonam ad frequentes

per

per itinera excubias fallendas, proximum tamen fuit vt ab ipsis viæ Socijs iterum iterumque detegeretur, cùm obscæna proferentes, vel in Deum & Sanctos iniuria redargueret, quo etiam ardore animi in viri Catholici ædium fenestra conspicatus indecentem Martis & Veneris effigiem pugno excussit comminuitque; indecorum arbitratus in oculis honestæ familiæ huiusce modi versari simulachra. *Garnettus* (vbi accessit) habuit eum apud se aliquantulum: Tum, vt experiretur hominis in animorum tractatione ingenium, in non longè posita celebris Catholici domo arma spiritualia explicare iussit, ad domandam, si qua ratione posset, nobilis cuiusdam fœminæ in Hæresi pertinaciam, nequidquam à pluribus Sacerdotibus tentatam. Ratione diu agitur, & Sanctorum Patrum auctoritate cum verbo Dei scripto consentiente, tum constanti omnium à Christo ætatum vsu atque exemplo. Quę omnia vel ingeniosis illa Sophismatis eludebat, vel risu etiam excipiebat & muliebri supercilio, tanquam deliramenta recentius introducta imitante superstitione Religionem. Itaque aliò conuertens animum & à multo sermone ad multam cum Deo communicationem recipiens se; solitudine, ieiunijs, vigilijs & cætera corporis afflictatione renitentem expugnare aggreditur. Illa vt eũ vidit die vno atq; altero ab omni victu abstinere, mirari primùm insolentiam cæpit, tum curiosius hominem obseruare; atq; vbi tertium iam labi diem impasto cerneret, & quartum succedere, & sui id causa agi intelligeret, quòd obstinatione magis quam ratione abduceretur à recto, animum & aures ad ad saniora inflectens consilia manus dedit, facta deinceps Patris tam studiosa, vt sua illi & Societati cuncta permiserit; in lachrymas ex præteritæ pertinaciæ recordatione tam effusa, vt *Robertus Southwellus* cum Sanctæ *Magdalenæ* lachrymas funebres eleganti carmine iusto volumine depingeret, illas huic imprimis amanti lachrymarum existimaret consecrandas. Habuit deinde *Oldcornum* illa domus totis sedecim annis inquilinum, amplissimo ad omnem circum regionem fructu; vt non dubitarint de illo nonnulli vsurpare quod de *Ioanne Hieronymus*, *omnes eum illius tractus fundasse rexisseq; Ecclesias*: Erat enim in illo rerum gerendarum prudentia quæ abundè cunctis satisfaceret, erat solertia & laborũ tolerantia vt nullius vnquam necessitati deesset; erat in egenos tam prompta liberalitas, vt plurimorum egestatem suâ industriâ sustentarit; vt videri posset ea domus ex gratuito hospitio in bene institutam Societatis Residentiam commutata; vt ad quam vndiq; omnis ætatis & sexus Catholici ad Sacramenta, ad conciones, ad consilium opemque concurrebant. 1606.

Expugnat obstinatam in hæresi fœminam. Ea erat Dorothea Abington

XXVII. Dum vero austeram illam viuendi rationem, quam ad vnius Matronæ subiugandum animum sulceperat, immoderatius prosequitur, ex rupta in pectore vena copioso erumpente sanguine ita elanguit, vt quotannis morbo conflictaretur, neque ad virium firmitatem instaurandam reperiret viam. Accessit in ore malum, cui à Cancro nomen inderc medici; cùm immedicabile hi pronuntiarent nisi exemptis ossibus quæ vitium duxisse affirmabant,

Curatur per lapidẽ ex Sanctæ winefredę fonte de sumtum.

1606. mabant, veritus nè vnà vocem concionaturo eriperent, experiri primùm optauit Virginis *VVinefredæ* & Martyris opem, ad cuius locum supplicij, fontemque pleniſſimum indefcaturientem celeberrima eſt hodieque per vniuerſam Angliam peregrinatio. In itinere incidit forte in Sacerdotem qui ægritudine cognita, Habeo, inquit, apud me ex eo fonte lapillum, quales in imo frequentes viſuntur maculis ſanguineis tincti, & habentur ad huiuſcemodi morbos ſalutares. Acceptum lapidem Religioſè exoſculatur; tum digreſſus in conclaue, & in genua prouolutus commendat ſe Martyri, modò lambens, modò ore toto verſans ſilicem; Horæ partem vix mediam orando impenderat cùm dolorem omnem & vulnus abſterſum aduertit. Et continuato ad fontem itinere vt gratias debitas Virgini pro accepto beneficio perſolueret, nouo cumulatur; nam demerſus, de more, in aquas, valens, firmus, vegetuſque egreditur, priſtino corporis robore reſtituto. Hæc *Ioannes Gerardi* teſtatur ſe, narrante ipſo *Oldcorno*, accepiſſe paulo antequam is in manus perquirentium aduerſariorum incideret; & à Sacerdote etiam illo qui lapidem ægro præbuerat; vt nulla rei fidem derogare poſſit dubitatio.

Capitur & torquetur. XXXVIII. Annum decimum octauum agebat *Oldcornus* in illa Angliæ Regione, ſemetipſum & alios complures ad vitam ex officio peragendam excolendo, cùm pulueraria coniuratio, de qua fusè dictum eſt, in apertum erupit; A cuius ſocietate criminis etſi tam procul aberat, vt non prius coniuraſſe quoſdam intelligeret quàm re patefacta toto paſſim Regno omnium ſermonibus peruulgaretur; quoniam tamen in eodem cum *Garnetto* iuuentus eſt antro, idē ei crimen immpoſuere ęqualiter immerenti. Londinum abductus, & in Arce quinquies quinis horis tortus, admirabili patientiâ probauit innocentiam: Et potuiſſet à delicto liber pronuntiari, niſi Sacerdotalis & Ieſuitici ordinis inſignia prætuliſſet. Nam quod Humphredo Littletono reſponderat (illi qui *Garnettum* apud Abingtonum latere nuntiauerat) interroganti de Coniuratorum conſilio, an ex irrito ſucceſſu ſatis conſtaret eius iniquitas? " euentu quidem id dignoſci non poſſe, neque velle ſe quidquam de reorum conſcientia decernere, vt qui neſciret quibus ductirationibus in eam mentem veniſſent; ſed Deo Iudici permittere;) non tulit à populo plauſum; vt proinde cùm quod in illo reprehenderent præterea nihil eſſet, remiſſum in Vigornienſem Comitatum, vnde fuerat traductus, conſuetorum iudiciorum ſententiam expectare iuſſerint. Iſthic in communem malefactoribus cuſtodiam pridie quàm ad ſupplicium duceretur clauſus, ſocium habuit catenarum ſceleratiſſimum latronem, multorum criminum reum, qui etſi poſtridie plectendus, ſolutus curâ, cantui iociſque vacans errabat per carcerem, modò hunc, modò alium facetijs aggrediens, & in Patrem ipſum orantem incurrens, quaſi ſuperuacua ſolicitudine ſuſpenſum atque ſe ante tempus exedentem. Pater eam eſſe horam prudenter arbitratus qua proximi ſalus continuatæ cum Deo communicationi eſſet præferenda, oratione intermiſſa hominem conuenit: Rogat, quæ cauſa fiduciæ? Si nullo poſt

In carcere conuertit latronem.

mortem

mortem metu tangatur, quia nihil vltra esse existimet quod aut timeri, aut expeti possit, id Christiani hominis non esse existimare; si Christi sibi merita proponat, in quibus securus quiescat, esse quidem illa fiduciæ nostræ spem vnicam; cogitandum tamen Christum ipsum præmonuisse venturum se iudicem, & rationem ab omnibus, bonis atque malis, petiturum, à dextris oues, à sinistris hædos constituendos, & non fidem modò atque fiduciam, sed opera exigenda; Si desunt bona, de malis factis pœnitendum. Hanc Christi primam vocem fuisse à deserti ieiunio, *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum.* primam fuisse Apostolorum, interrogantibus Petrum Iudæis. *Quid faciemus? Pœnitentiam*, inquit, *agite.* Hæc mihi crede, ad optatissimam fiduciam certissima via est quando Christi meritis nostra coniungitur ipsius præceptis obedientia.) Non vanus fuit optimi viri conatus: Deo intus operante totum se latro penitusque tradit erudienti; dies reliquus institutioni, nox confitenti impenditur. Postero die, cùm vterque duceretur, hic se à reliquis segregans reis qui lectum occuparant, cratem vimineam, in qua Pater per luto fædos canales agebatur, ponè secutus est. Rogatus, quid ita faceret? " Sequor, inquit, Patrem meum qui viam mihi salutis commonstrauit: In fide enim quam ipse profitetur statui mori.) Tunc, Inquiunt, Papista, furcifer? Et ille, " fur fui, fateor, & latro, dum vester fui; Nunc verò miserante Deo, & hoc iuuante, factus Catholicus, pœnitentiam ago peccatorum cum vitæ æternæ spe firmiori.) 1606.

Supplicio afficitur. 7. Aprilis Anni 1606

XXXIX. Vno igitur die consimili supplicio tres sublati sunt, vnius fidei præmijque consortes, *Oldcornus*, *Latro*, & *Rodulphus Oldcorni* famulus. Hic & *Ioannes Odoënus* (quem diximus) post decimum diem quo absconditi latuerant, vel inedia cogente prodierunt, vel spe ducti (vt aliàs quandoque accidit) quod pro Sacerdotibus comprehenderentur; sed nimis notus erat *Garnettus* vt aliena specie fallerentur obseruatores. Itaque *Rodulphus* eo solo nomine plexus est, quod Sacerdoti fuerat famulatus. Id quanto in beneficio posuerit, moriturus demonstrauit; Nam vt primum *Oldcornus* scalæ gradum tetigit quò conscenderet, accedens *Rodulphus* impressit osculum vestigio, " O me felicem, inquiens, qui huic viro datus sum famulus; à quo ad rectè viuendum institutus tam beata morte finem viuendi facturus sum.) *Oldcorni* copore in quatuor partes, pro more, dissecto, ilia in fossâ cum igne coniecta arsisse dicuntur ad dies sedecim, quot ferè annis is viuens ignem diuinum in eius Regionis hominibus propagare contenderat; Estque habitum prodigij loco, præsertim cùm ijs diebus copiosa de Cœlo pluuia decidisset; septimo decimo die concursantibus ex vicinis nundinis populis, multâ superiectâ terrâ flamma ægrè compressa est. Narratur & aliud ad vtriusque (*Garnetti* & *Oldcorni*) illustrandam memoriam. Est ante Abingtonianas ædes atrium sat amplum muro circumpscriptum: Isthic postquam captiui duo deducti equos conscendissent, vestigium in quo illi postremum institerunt apparuit nouo graminis genere conuestitum, quale ante eum diem à nemine conspectum fuerat

Refert Gerardus ex Sacerdote qui se vidisse diceret.

1606. fuerat: Neque temerè & nullo ordine consurgens, sed quod herbis in cumulum coëuntibus Coronæ Imperialis figuram imitabatur; & quanquam deiectis vi & impressione irruentium satellitum valuis pateret cuiusuis generis animalibus aditus, cùm cætera depascerent, illud intactum relinquebant. Leuia sunt ista, & infirma, si rem spectes, possuntque variam habere interpretationē: Loquitur tamen Deus non infrequenter per huiusmodi leuia, quemadmodum in Ionæ hedera, ac ficu infrugi, & ad altiora nos euocat; & sicut à Christo dictas parabolas aliter discipuli, alij aliter accipiebant, ita horum virorum innocentiam, & vitæ Sanctimoniam his indiciis confirmari si quis existimet, minimè videtur redarguendus, cùm à pristina Christi, & discipulorum in parabolis consuetudine non discedat.

Tesimundus, qui & Greenwayus & Philippus Beamundus.

XL. Tertius quem conspirationis non patefactæ fama afflauit, est *Oswaldus Tesimundus* dictus *Greenwayus*, & in partibus transmarinis, *Philippus Beaumontius*. Hunc etiam Septemtrio edidit & in humanioribus erudituit. Annum deinde Septimum-decimum ætatis agens Romam profectus Philosophiæ in Anglicano vrbis Seminario operam dedit, & expleto triennio in Societatem est cooptatus, Idibus Aprilis, Anni octogesimi quarti Decursis Theologicis Messanæ Siciliæ, eâ in Ciuitate primùm tradendæ Philosophiæ admotus est, nondum Sacris initiatus; Tum etiam posteà Panormi. Hinc in Angliam vocatus egregiam posuit operam complures annos in illis muneribus quæ illi Missioni sunt propria; Donec coniuratorum vnus, incertus equitatis tantæ causæ, consilij captandi gratiâ facinus aperuit in Sacramento. Anceps consilij *Tesimundus*, quòd hominem videret pertinacius quàm ipse cuperet, præconceptis à se adhærere rationibus, neque facilè melioribus locum dare, rogat vti liceat sibi *Garnettum* super ea re in Sacramento consulere: Datâ licentiâ consulit; & duos peraduo implicat negotio. Quidquid suaderent, quidquid intonarent, quidquid agerent, vel non omnino vel serò suadent; cùm non esset idem omnibus scrupulus & dubitatio, plus socij valebant ad confirmandam, quàm hi ad reprimendam audaciam. Interim dum laboratur vt transmarinis literis & Pontificis summi mandato ab omni sanguinario conatu cessatio imperetur, facinus conceptum detegitur, proscribuntur rei, capiuntur, plectuntur: Notatur inter cæteros ex nomine *Tesimundus*. In communi omniū trepidatione, in pertinaci perscrutātium importunitate, in non semper sat certa notorū fide, exigua spes cùm esset latendi iubetur de naui quâ posset mercede pacisci, & quærere trans mare perfugium. Lintrem fortuito nactus carne onustam porcinâ cōscendit tanquam eius curator mercimonij, & Caletum feliciter tenuit; Neque hic tamen à perquirentibus tutus proripuit se, Bononiamque diuertit Audomarum petiturus; quâ in ciuitate postquam aliquamdiu latuerat, in Italiam contendit superfuitque ad annum vsque huius sæculi trigesimum quintum, modò Romæ & in Sicilia studijs præfectus, modò Theologos in nostro Vallisoleti Seminario explicans, modo Florentiæ & Neapoli alijs muneribus adhibitus, vbi in senectute bona

te bona diem obijt extremum, quatuor votorum Professus ab anno 603. 1606.

LXI *Ioannes Gerardi* postquam in Arce Custodes fefellerat, consueta Societatis munia resumens exercitijs spiritualibus plures excoluit, Societatis homines in varia distribuit nobilium virorum domicilia quibus ipse auctor fuerat ad fidem vel ad perfectiorem viuendi rationem amplectendam; plures transmisit Societatis candidatos; *Rogerium Lea, Thomam Strangium, Nicolaum Hart, Thomam Smithæum*; plures ad studia literarum in cæteris Seminarijs. Tantâ verò pollebat sermonis gratiâ, tam scitè se ad Nobilium mores consuetudinemq; formabat tegebatque soleter personam, vt quicunque efficacitatem in seipso expertus fuisset congressionis, si quem familiarem habebat cui vt sibi optaret, hunc ad *Gerardi* colloquium induceret, certus effectum expetitum secuturum: qui etsi nemini deerat præcipuè tamen operam ponebat in ijs excolendis, siue in communi, siue in seiuncto à sæculi curis vitæ genere, quos ad summum quidpiam perfectumque peruenire posse iudicabat. In se autem obseruauerat Deum inexpectatam non infrequenter suppeditasse intelligendi & eloquendi vim, quâ & Hæreticorum Politicorumque occurreret argumentis, & sua neruosius confirmaret; Vt eo minus mirandum sit tam magnam vtriusque sexus nobilitatem ad eius auxilia perpetuo confluxisse; neq; minorem tamen laudem meretur ipsius sincerum atque indefessum Dei gloriæ promouendæ studium. In alijs autem animaduerterat iniici non rarò ingentem inter confitendum difficultatem; vt quamuis paratissimi accederent, repentè deficeret animus, corpus langueret, quasi morbo aliquo correptis, & interquiescendum necessario fuerit donec receptis viribus daretur progredi, perfecta verò Confessione alacres & lætos surrexisse, ac dicere solitos, si scirent homines quàm magnum afferat bona confessio leuamen nunquam se tanto beneficio priuaturos.

Inter hæc prodijt in lucem coniuratio pulueraria; *Gerardus* inter primos Regio Edicto proscribitur velut auctor actorque coniurationis. Is innocentiæ suæ conscius diligentiâ vtendum existimauit vt nè testis integritatis deesset postquam coniurati omnes plecterentur. Itaque confestim scriptis ad *Euerardum Digbeyum* literis, post sinceram coram Deo iudice & cordium scrutatore sine omni æquiuocatione protestationem quòd nulla eius facinoris notitia ad se peruenisset antequam re detecta omnium sermone peruulgaretur, rogat vt quoniam ipse conspirationis conuictus atque damnatus, nullam nisi à Deo misericordiam expectare iam posset, testari vellet sequentia. Primum Vtrum in die animarum proximè elapso, hoc est, biduo triduoue ante detectam coniurationem, venienti (inquit) mihi domum tuam matutino tempore, cum spe & desiderio celebrandi, & miranti non sacram supellectilem tantùm, sed omnem penè domesticam esse sepositam, non responderis te iter parare in Comitatum Warwicensem ad venandum cum amicis quibusdam, ideoque & canes præmisisse; deinde animum aduertenti ad alia plura (vt quod ab aliquo tempore e- Calumniâ coniuratio nis.

1606. quos plures solito alueras, pecuniæ quantitatem insolitam ex gregibus venditis & armentis confeciſſes, (quod ab homine prouido & ad rem attento quemte semper repereram fieri sine magna aliqua causa non debuisset) verentique nè quid animo agitares, quod tuo quidem iudicio ad cõmune Catholicorum commodum referretur, & monenti videres porrò nè temerè quid ageres sed certo consilio; facile enim esse nocere cùm quis prodesse se existimat, Duo responderis; Primùm nihil in communè Catholicorum rem agitari quod quidè tu scires aut mihi posses dicere: Alterum; quod quandocunque tu aliquid in rei Catholicæ vtilitatem susceperus esses, perspicuum cunctis futurum quantum illam tu tuis commodis & rationibus præferendam censeres. *Garnettum* etiam (quantum tu cogitatione assequi posses) de huiusmodi re aliqua non esse consultum: qua in responsione cùm aquiescerem discessi; neque ab eo die te aut ex coniuratis quempiam postea vidi; speroque te testem præterea futurum quàm vehementer ego semper ab omni vi & turbulento agendi modo abhorruerim: Et sanè si hac tua tam graui affirmatione mihi non fuisset factũ satis, cito declarassem quantum mihi displiceret omnis violentia, cùm Christi consilium & superiorum mandata ex contrario contendant vt in patientia studeamus possidere animas nostras.

XLII. Erant apud Iacobum Regem eo tempore præcipui, Dux Lenoxiæ, Comes Salisburiensis, & Northamptonius; Hos scriptis literis rogat vti non minus Innocentiæ quam iustitiæ rationem habere velint, vt tantos viros & ad tam magna natos educatosque decet. Si quis coniuratorum, qui præ se ferret mori in timore Dei, sine spe longioris hûc vitæ obtinendæ, cum posset dicere actorem vel conscium coniurationis, non recusare se præter infamiam, omne genus supplicij perduellionibus debiti: *Euerardum Digbeyum*, quo familiarissimè semper vsus fuerat, testari posse quàm ignota sibi fuerit hæc omnis conspiratio biduo antequam detegeretur; flagitat illum eo in articulo interrogari, neque dubitare quin quod verum esset dicturus esset: Literas ad eum scriptas adiungere, vt certius reddantur, quo omnibus notum sit quid ad integritatem comprobandam requirat. Denique vt non auditum damnare à moribus Dei alienum est, ita æquas audiri postulantibus præbere aures excelsi esse animi, actum generis dignitati, tum amplitudini potestatis congruentissimum; quotum omnium haud dubitaret viros tantos habituros rationem.

Migrat ex Insula. Quid *Digbeyus* moriens testatus sit in loco dictum est. Quid cæteris ipsique Regi visum sit inde colligi potest quòd post reorum examinationem, & inspectis literis, quas ipse per plateas Londinenses de nocte curauerat spargi, remissius inquisitum est; initio enim tanta est sedulitate quæsitus, vt nouem diebus continuis in antro domestico latere necesse fuerit, fame & frigore enecandus (erant enim festa Natalia) nisi pia domesticorum caritas (quibus notæ erant latebræ) modũ reperisset in tenebris quidpiã esculenti quandoq; porrigendi. Et potuisset diutius delitescere (nam commodas sibi ædes cõparauerat) at videns non posse se eo fructu quo olim calamitoso illo tẽpore versari, nactus opportunitatem

tunitatem Legati in Hispanias redeuntis, sub eius vmbra traiecit in Belgium, & profectus Romam, cùm Tibure aliquamdiu à curis semotus hæsisset, rediit Louanium, multis magnisq; rebus efficiendis seruatus, de quibus suo loco. Interim exeunti ex insula, in portu ipso non parua oblata est difficultas. Legato enim & qui comitabantur nobilibus incidit vereri nè ingratum futurum esset Regibus protegere hominem tanti criminis causa proscriptum; durauitque disputatio à vespertino tempore ad sequentis diei horam nonam, quâ erat soluendum; cùm subitò mutatis animis, Legatus ipse & nobiles vocatum *Gerardum* propriis manibus veste induerunt Hispanica, vt minori suspicione tanquam de familia vnus transfretaret. Et erat dies tertius Maij, quo die & hora *Garnettus* ad mortem trahebatur; vt proinde *Gerardus* id *Garnetti* meritis tribueret; quemadmodum & quatuor votorum professionem, ad quam post annos aliquot eodem Maij die tertio est admissus, etsi Theologiæ, præterquam morali, nunquam dedisset operam, nisi quantum priuato studio assequi potuit. 1606.

XXXXIV. Quàm vero pernicosa sit illa æmulatio quæ (vt Cicero in Tusculanis loquitur) riualitati similis est, in libello qui post viginti sex annos prodijt est demonstratum: In eo enim cùm assereretur iactasse se quempiam de Societate quòd laborando in puluerariæ coniuratione sudore maduisset, tam indiligens linguæ custos inuentus est Reuerendissimus Chalcedonensis Richardus Smithæus, quàm calami, scriptor ille libelli, dixisseque fertur hunc fuisse *Gerardum*. *Leuis* nimirum *apud præoccupatos est omnis probatio.* Quid enim fortius *Digbeij* morientis & *Gerardo* familiarissimi Testimonio? Qui non illum solum, sed omnes Societatis homines ab opere, & à conscientia excluserit; Et quidem latere illum potuit cæterorum conscientia, huius certè haud potuit opus. Quid deinde *Gerardi* tot literæ; tot Religiosæ cum iureiurando affirmationes, tot execrationes? de quibus literis, hæc *Michaël VValpolus* ex Anglia ad *Personium* 29. Ianuarij Anni sexcentesimi sexti." Vidi *Gerardi* literas, quas tam plenas esse iudico, vt optari nihil amplius possit; & planè persuasum habeo; ipsi Regi & vniuerso Senatui factum esse satis; fertur etiam Regem id verbo significasse cùm literas inspexisset: Vt merito *Thomas Fitzherbertus*; eo tempore Seminarij Anglorum de vrbe Rector; *Mutij* Generalis mandato Chalcedonensis prudentiam ea in re conscientiamque requisierit, his scriptis ad eum literis: Noua calumnia de Gerardo.

Reuerendissime & multum honorabilis Domine.

Cùm intellexerim quendam ex nostra Societate insimulatū nuper esse (tacito nomine) in libello in lucem edito (ac si gloriatus fuisset sudasse se in conspiratione puluerariā operando) & Reuerendissimam Dominationem Vestram hunc nominasse, atque (vt quidem videtur) credere fuisse Patrem *Ioannem Gerardi*; Religione me obstringi arbitror, vt quædam quæ illum remque hanc contingunt cogitationi Reuerendissimæ Dominationis Vestræ offeram, tum ex cōmuni vinculo nostræ Religionis, tum ex magnis ipsius meritis, tum

1606. quoniam hoc tempore ad me pertinet nonnulla ipsius cura (quanquam me indignum existimo qui tali viro imperem) ac denique quoniam à multis retro annis certissimè mihi cognita est eius innocentia in hoc genere, à primo tempore quo illa calumnia est ab Hæreticis illi illata: Nam ego ipse & alij multi illi amici & affines diligentissima disquisitione rem ad veritatem reuocare studuimus, reperimusque ab ipsis reis pronuntiatum esse innocentem, ab *Euerardo Digbeyo* præsertim quo familiarissimè vtebatur: Eius rei testes habeo literas Londino scriptas vigesimo nono Ianuarij Anni sexcentesimi sexti: Quas literas ostendi viris integerrimis hinc propediem discessuris; à quibus (si videatur) discere poterit Reuerendissima Dominatio vestra rei veritatem; ad Dominationem enim Vestrã adibunt. Vt verò plenissimè Dominationi vestræ satisfiat, mandante Reuerendissimo Patre nostro Generale, præcepi in virtute Sanctæ obedientiæ, his ipsis præsentibus qui profecturi sunt, (quod præceptum ex nostro instituto obligat sub mortali) vt veritatem indicet, An conspirationis puluerariæ conscius fuerit? Sanctè itaque & vt saluus æternum esse velit testatus est coram illis, eius conspirationis notitiam nullam ad se peruenisse, neque per *Euerardum Digbeyum*, neque per alium quempiam, donec detecta communi famâ celebraretur: Additis argumentis grauissimis quæ rem euincerent; quibus parco recitandis, quoniam proprijs literis ipse ad Dominationem Vestram perscribet. Quod ad me attinet, meum esse duxi certiorem facere Dominationem Vestram Iurisiurandi huius & testificationis, simulque, quas dixi, literarum, quarum exemplaria vnà mitto. Neque dubium mihi est quin apud Dominationis Vestræ caritatem habitura hæc sint locum iustissimæ purgationis à tantâ calumnia, ad quam approbandam nulla adhuc vero similis ratio allata est, nullumque fundamentum extra Hæreticorum malitiosas interpretationes & suspiciones ex aliquorum inter reos cum eo consuetudine natas. Quod cùm ita sit, hæc tam solemnis asseueratio, & iusiurandum liberè præstitum, tam in conscientia, quàm de iure habenda sunt pro legitima & Canonica purgatione; Liberantque eum ab omni suspicione, non facti solum seu criminis, sed etiam collusionis seu fraudis ac fallaciæ præsertim cùm vir sit & integerrimæ famæ, & summæ venerationis apud plerosque in Anglia, propter multorum annorum ea in vinea strenuissimos vtilissimosque labores, & carcerum tormentorumque pro Catholica fide constantissimam tolerantiam, in Societate verò nostra inter præcipuos numeretur, vt qui se semper Religiosissimè gesserit, & optimæ sinceriss imæque mentis conscientiâ clarus, cunctis vbique cum præclarissimo in omnes exemplo se probarit. Neque venit mihi in dubium quin etiam Reuerendissimæ Dominationi Vestræ hanc suam sit probaturus innocentiã; Eandemque Dominatio Vestra sit ijs persuasura, quicunq; ex sermone Dominationis Vestræ iniquiorem, quàm pro meritis, imbiberint de eo opinionem. Ita enim prospiciet Dominatio Vestra & famæ eius reparandæ, & conscientiæ propriæ exonerandæ; cùm nulla possit esse dubi-

Purgat se solemni iureiurãdo

dubitatio quin & Iustitia & Caritas restitutionem exigant. Et certè si vel pro- 1606.
pria Dominationis Vestræ vel alterius esset causa, siue affinis, siue amici, siue subditi vestri (in quo omni genere ipse me contingit) nemini ambiguum esse posset quin Dominatio Vestra sic esset iudicatura, imò vero exactura reparationem. Quod me impellit vehementius, non dico vt idem à Dominatione Vestra expectem, cùm me id non deceat, sed vt humillimè flagitem, in beneficio positurus non meo tantùm sed totius Societatis nomine. Et quando non aliò hæc dicta sunt, finem scribendi facio, omnem Reuerendissimæ Dominationi Vestræ adprecans fælicitatem. 15. Martij 1631. Reuerendissimæ Dominationis Vestræ seruus humillimus.

Thomas Fitzherberti. Quas literas quis alius effectus consecutus sit præterquam quod Reuerendissimus Chalcedonensis responderit, se auditu percepisse id quod de *Gerardo* dixerat, ad me perlatum non est. Quod cùm tenue valde & perexiguum ad tantam calumniam diluendam videretur *Richardo Blondo* Prouinciali Angliæ, opemque posceret *Mutij* Generalis; hic in hæc verba rescripsit." Ad purgandum Patrem *Ioannem Thomsonum* suspicione calumniæ, quam illi Prælatus iste, cuius Reuerentia Vestra in suis meminit, impingit, curaui etiam omnia fieri quæ existimaui innocentiæ illius testandæ seruire aliquo modo posse. Atque inter alia mandaui, vt vrgeretur in virtute S. Obedientiæ verum dicere an eius rei, quam ipsi obijciunt, vlla ratione sibi sit conscius : & responsionis ab illo tali comminatione expressæ exemplum fide publici Notarij confirmatum, si opus erit, confici curabo. Hisce officijs si ille sibi satisfieri non patitur, equidem non reperio quid amplius facere possimus.) Ita Deus suos vndequaque ad patiendum exercet; *& quod iure non obtines, fit fortiter tolerando gloriosius.*

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER OCTAVVS.

INflammatis hoc tanto coniurationis facinore Hæreticorum in Catholicos animis, visum aliquibus est non procul à periculo abesse nè violenta ac tumultuosa in eos fieret incursio, quâ fortunæ & vita omnium in discrimen adduceretur. Itaque suadente Northamptonio Rex Edicto proposito declarat delictum paucorum ac temeritatem non esse in omnes transferendam; abstinerent proinde à vi, sua se prouidentia rem vniuersam esse moderaturum. Et prudenter id quidem, atque vt decebat Regem. At commune omnium ordinum Concilium cùm sedisset, Leges tulit haud paulo grauiores quàm præcedentibus annis experti fuerant. Etenim Elizabetha regnante pendebant octoginta aureos in singulos menses; at nunc libertas facta est Regi, vt diuisis possessionibus in tres partes, duas sibi Rex sumeret, tertiâ Catholicis relictâ, quâ familiam alerent & cõmunia cæteris onera sustinerent; eâ potestate *Iacobus* & *Carolus* moderatè vsi sunt; At postquam exauctoratis Regibus populus dominari cæpit libertas in durissimam transijt exactionem. Tum si quis ex illis Ecclesias quidem cum cæteris frequentaret, abstineret verò à Cœna percipienda, primo anno aureis octoginta mulctaretur, secundo in duplum iret, tertio in triplum; quæ triplex mulcta, hoc est ducentorum quadraginta aureorum, soluenda esset donec se penitus ad eorum sacra ceremoniasque conformaret;

Le es nouæ in Catholicos.

Indicta

Indicta tenuioribus pœna duodecim assium in singulos dies Dominicos quibus ab Ecclesijs abstinerent. Ab Ædilibus curatoribusq; vicorum suggererentur quotannis nomina eorum quos constaret vno vel pluribus mensibus non interfuisse ritibus; Nullus in Regis Principisue curiam veniret sine Senatus Regij licentia. Nullus qui tribus mensibus abfuisset à precibus maneret Londini, neque ad decem circum milliaria, nisi aliam alibi habitationem non haberet: Ab habitatione autem sua consueta non iret vltra quinque milliariorum spatium sine venia & scripto expesså causâ concessionis. Nullus in republica munere quocunque fungeretur, seu Procuratoris aut Aduocati; seu Executoris & Administratoris vltimæ voluntatis, seu Tutoris, seu Iudicis, aut Ductoris Militiæ. &c. Nullus honestioris conditionis vir ad merendum sub extermo Principe transfretaret, nisi constrictus mulcta octoginta aureorum se non transiturum ad Catholicam Religionem, aut quidquam in patriam machinaturum. Qui occultè contraheret matrimonium, aut Baptizaret prolem neglectis consuetis inter Protestantes ritibus, quadringentorum aureorum solutioni subiaceret, quorum pars tertia cederet Regi, tertia delatori, tertia Parochiæ. Si quis deferret latentem Sacerdotem, ducentorum aureorum præmio donaretur. Si quis adolescens qui decem & octo annos ætatis attigisset sine licentia Regis transfretaret eo fine vt Catholicè educaretur, hæreditate, bonisq; cæteris excideret, nisi redux se ritibus Patriæ conformaret. 1607.

II. Quæ leges & aliæ plures quas longum esset recitare, etsi durissimæ cuique videri possint, præ Iureiurando tamen quod his ipsis comitijs propositum est, tolerabiles visæ sunt Catholicis; vel quia pluribus facilè carebant quæ inhibebantur; vel quia modum & rationem reperiebant quâ seueritas inter exequendum mitigaretur. Iusiurandum verò omnes peruagabatur familias, & totidem verbis exigebatur. In quo illud perturbationem exaggerabat, quod de iure inter doctos non conueniebat, alijs approbantibus, alijs damnantibus, alijs in neutram partem pronuntiantibus. In octo autem capita distributum erat. Primùm; " clarè & in conscientia coram Deo & mundo agnoscendus erat Iacobus Legitimus & verus Rex sui Regni: In quod etsi insolitum, & ab antiquis Sacramentis alienum, (vt quæ voluntatem & actionem requirebat fidelem, quidquid intus in animo lateret opinionis) facilè vnusquisque decerdit. Proximum erat vt profiterentur " Quod Papa nec per seipsum, nec per vllam aliam auctoritatem Ecclesiæ, vel sedis Romanæ, vel per alia media cum quibuscunque alijs aliquam potestatem aut auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Majestatis suæ dominiorum disponendi, vel alicui Principi externo ipsum damnificare, aut terras suas inuadere auctoritatem concedendi, vel vllos subditorum suorum ab eorum suæ Majestati obedientia & subiectione, exonerandi aut vllis ipsorũ licentiam dare arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Majestati suæ, Personæ, statui & Regimini, vel aliquibus suis subditis infra sua dominia offerendi.) Quæ cùm multa sint in vnum conglobata, copulatiuis & disiunctiuis

Iuramentum nouum, vocatum fidelitatis.

Eius octo capita.

1607. disiunctiuis varijs implicita, (quidquid de Regibus indulgentius ab auctoribus disputatum sit) certè Regum subditos nemo vnus vnquam exemit à Pontificis, Ecclesiæque, & sedis Romanæ potestate coërcendi, & spirituales censuras ad temporales in eos pœnas & damna extendendi. Iam vero tertium non erat minus implicatum," Iurandum enim erat ex corde quòd non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis vel depriuationis, facta vel concessa, facienda vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel per quamcunque auctoritatem deriuatam, aut deriuari prætensam ab illo, seu sua sede, contra dictum Regem, Hæredes, aut successores suos, vel quacunque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia, fidelitatem tamen & veram obedientiam suæ Majestati, hæredibus & successoribus suis præstituri essent, ipsumque & ipsos totis viribus contra omnes conspiratores, & attentata quæcunque contra personam illius, vel illorum, eorumque coronam & dignitatem, ratione vel colore alicuius sententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint, defensuri, omnemque operam impensuri ad reuelandum suæ Majestati, hæredibus, successoribus suis omnes proditiones, & proditorias conspirationes quæ contra illum, aut aliquos illorum ad notitiam vel auditum, peruenissent.) Etiamsi enim daretur tuentibus hoc membrum, *Iacobum* quia, (educatus licet in Hæresi,) nihil hactenus acerbitatis exercuisset in Catholicos, posse (quod illi prætendunt) censeri immunem. Quis de Successoribus tam multis ita respondeat vt iureiurando inuiolabili se constringat tam longè ante ad eos defendendos, nisi qui Pontificii in omni euentu abroget potestatem?) Quartum his verbis conceptum erat; "Præterea iuro quod ex corde abhorreo, detestor, & abiuro tanquam impiam & Hæreticam hanc damnabilem doctrinam & propositionem; Quod Principes per Papam excommunicati, vel depriuati, possint per suos subditos, vel aliquos alios quoscunque deponi, aut occidi.) Etenim quo definiente proscripta est tanquam Hæretica talis propositio? Etsi enim non iuratur copulatiua, sed vtrobique disiunctiua (vel depriuari; vel per quoscunque; vel occidi) & verbum *occidi* mitius est, quàm quod in vulgari habetur; Illud enim truculentius aliquid denotat, nimirum, mactare, iugulare, trucidare. Interim tamen iureiurando firmandum erat ipsum complexum; (neque excommunicatos, neque depriuatos posse deponi, aut occidi) quæ mens sat clara erat comitiorum cùm censoria potestate propositionem definiebant Hæreticam. Quodnam autem poterat in his omnibus esse illiteratorum iudicium? Quæ cogitatio? Quando de repente rapti ad Tribunal in hæc eadem verba iurare constringerentur? Cum præsertim in reliquis membris hæc sequantur." Et vlterius credo, & in conscientia mea resoluor, quod nec Papa, nec alius quicunque potestatem habet me ab hoc iuramento, aut aliqua eius parte absoluendi." Quod iuramentum agnosco rectâ & plenâ auctoritate esse mihi legitimè ministratum; omnibusq; Indulgentijs & dispensationibus in contrarium renuntio.)" Hæcque omnia planè & syncerè agnosco & iuro, iuxta expressa verba per me hic prolata,

prolata, & iuxta planum, & communem sensum & intellectum eorundem verborum, absque vlla æquiuocatione, aut mentali euasione, vel secreta reseruatione quacunque.)" Hancq; recognitionem, & agnitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè in vera fide Christiani viri: sic me Deus adiuuet. 1607.

III. *Richardus Holtbeyus* (is qui ante decennium *Henrico VValpalo* Eboraci clauso frequentibus literis solatio fuit) Missionis post *Garnettum* moderator, vt primùm edicto vulgatum est hoc iusiurandum, vetuit nostros temerè de eo sententiam ferre, ne & ipsi in varia discederent: Tum missò Romam exemplari, quam poterat doctissimos circum Londinum Sacerdotes, modò singulos, modò ad ædes *Georgij Blackwelli Archipresbyteri* congregatos, rogauit quid intus sentiendum, quid interrogantibus Catholicis suadendum: Quo in congressu cùm constantiam consensumq; desideraret, maluit Româ expectare responsum, quàm per se quidquã definire, quanquam in negatiua esset firmissimus, eamq; si quando premeretur fidenter docebat. Eodem etiam tempore cum nouis legibus emersérat rursus antiquata opinio de ritibus Hæreticorum sine noxa frequentandis; ad quæ duo *Paulus* eius nominis quintus (qui recenter ad Ecclesiæ vniuersalis tractanda gubernacula assumptus fuerat) aduertens animũ, pro eo quo fuerat semper in rem Anglicanã propensissimo studio dum Protectoris munere fungeretur, obuiandum confestim censuit periculo, vacillantesq; Catholicorum animos his literis conatus est corroborare.

Breue Pauli Quinti primum.

Paulus Papa Quintus Catholicis Anglis Dilecti filij salutem & Apostolicam Benedictionem. Magno animi mærore nos semper affecerunt tribulationes & calamitates quas pro retinenda Catholica fide iugiter sustinuistis: sed cum intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum aucta est. Accepimus enim cõpelli vos grauissimis pœnis propositis templa Hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse. Profecto credimus procul dubio eos qui tantâ constantiâ atque fortitudine atrociss imas persecutiones, infinitas propemodum miserias hactenus perpessi sunt vt immaculati ambularent in Lege Domini, nunquam commissuros esse vt coinquinentur communione delertorum Diuinæ legis: Nihilominus zelo Pastoralis officij nostri impulsi, & pro paterna solicitudine, quâ de salute animarum vestrarum assiduè laboramus, cogimur monere vos atque obtestari, vt nullo pacto ad Hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cùm ipsis in ritibus communicetis, ne in Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere sine detrimento Diuini cultus & vestræ salutis. Quemadmodum etiam non potestis absque euidentissima grauissimaq; Diuini cultus iniuria obligare vos iuramento quod similiter maximo cum nostri cordis dolore audiuimus propositum vobis fuisse præstandum, infrascripti tenoris, videlicet, Ego A. B. etcætera superius recitata. Tum pergit Pontifex. Quæ cùm ita sint satis vobis ex verbis ipsis perspectum esse debet quòd huiusmodi iuramentum salua fide Catholica, & salute animarum

1607. vestrarum præstari non potest, cùm multa contineat quæ fidei atque saluti apertè aduersantur. Præterea monemus vos vt ab hoc & similibus iuramentis omnino caueatis: Quod quidem eò acrius exigimus à vobis quia experti fidei vestræ constantiam, quæ tanquam aurum in fornace perpetuæ tribulationis igne probata est, pro comperto habemus vos alacri animo subituros esse quæcunque atrocia tormenta, & mortem denique ipsam oppetituros potius quàm Dei Majestatem vlla in re lædatis; & fiducia nostra confirmatur ex his quæ quotidie nobis afferuntur de egregia virtute atque fortitudine, quæ non secus ac in Ecclesiæ primordijs resplendet nouissimis hisce temporibus in Martyribus vestris. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, sumentes scutum fidei, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, nec quidquam vos terreat. Ipse autem qui coronaturus vos certamina vestra è cœlo intuetur, bonum opus quod in vobis cæpit perficiet. Nostis quia discipulis suis pollicitus est se nunquam eos relicturum esse orphanos: Fidelis enim est qui repromisit. Retinete igitur disciplinam eius, hoc est, radicati & fundati in caritate, quidquid agitis, quidquid conamini in simplicitate cordis & in vnitate spiritus sine murmuratione aut hæsitatione vnanimes facite: siquidem in hoc agnoscent omnes quia discipuli Christi sumus, si dilectionem ad inuicem habuerimus; quæ quidem caritas cum sit omnibus Christi fidelibus maximè appetenda, vobis certè, dilectissimi filij, prorsus necessaria est; hac enim vnâ diaboli potentia infringitur, quâ nunc aduersus vos tantopere insurgit, cùm ipsa contentionibus atque discordijs vestrorũ filiorũ præcipue nitatur. Hortamur itaq; vos per viscera Dñi nostri Iesu Christi, cuius caritate è faucibus ęternę mortis eripti sumus, vt ante omnia mutuâ inter vos caritatẽ habeatis. Præscripsit sanè vobis præcepta maximè vtilia de fraterna caritate viciſsim exercẽda fel. record. *Clemens* Papa octauus suis literis in forma breuis ad dilectũ filium Magistrũ *Georgium Archipresbyterum* Regni Angliæ, datis die 5. Mensis Octobris 1602. Ea igitur diligẽter exequimini; & nè vllâ difficultate aut ambiguitate remoremini, præcipimus vobis vt illarũ literarũ verba ad amussim scrutetis, & simpliciter prout sonant & iacent accipiatis & intelligatis, sublatâ omni facultate illa aliter interpretãdi. Interim nos nunquâ cessabimus Deum, Patrẽ misericordiarũ, precari vt afflictiones & labores vestros clemẽter respiciat, & vos cõtinua protectione custodiat atq; defẽdat, quos Apostolica Benedictione nostra peramãter impertimur. Datũ apud Sanctũ Marcũ sub annulo piscatoris. X. Cal: Oct. M.D. C V I. Põtificatus nostri Anno secũdo.

Blacwelli Archipresbyteri hæsitatio.

IV. Acceptas has literas *Holtbeyus* ad *Georgium Archipresbyterum* è vestigio defert. Is ægrè eas aperit, ægriùs diuulgat. Videri potuit iam tum in alteram sententiam transijsse, partem affirmantem amplexus quam postea & verbo asseruit & scripto, cũ in Magistratus Hæretici manus deueniſſet: septimo enim Iulij anni sequentis è carcere (quem portam-domus vocant) benè longam dedit Epistolam ad Assistentes suos & confratres, affirmans & suadens hoc quod ipse de verbo ad verbum, prout lege statutum est, iurauerat iusiurandum

randum, verissimè iurandum esse. De quo errore inueni *Personium* hoc Epistolio eum peramanter commonuisse. 1607.

Carissime Amice. Locorum longa intercapedo, & non parua dubitatio an literæ meæ ad te peruenturæ sint me faciunt breuiorem. Spero animi tui propensionem in veteres amicos tuos loci mutatione & conditionis non esse commutatam: Nostra certè eadem est in te quæ olim fuit, creuit potius additione commiserationis. Et si intima animorum nostrorum sensa perspicere posses, videres profectò centenos qui te nunquam conspexêre pro te ardentissimè orantes. Hostes ea quæ examinato tibi exciderunt pernulgant, prout ex ipsorum instituto sunt maximè; Iam ea habemus ab ipsis prælo subiecta. Multi ea mirantur: Alij etiam impressis non adhibent fidem: Quibus plura nota sunt, & qui te maximè diligunt, arbitrantur & sperant quod licet ad aliquam Magistratus satisfactionem, & placandum furorem aduersus Catholicos id quod à te factum est fecisti, paulatim tamen inuestigabis modum aliquem aptum te extricandi, quò ingẽs scandalum quod alioqui haud dubie nascetur anteuertas. *Paulus* moderatè rem accipit, & nuperrimè mihi dixit se hoc ipsum optare quod spero. O Amice mihi dilectissime! Quàm præclara tibi opportunitas diuinitus in manus delapsa est finiendi & coronandi glorioſè senectutem tuam, & labores tot annis in ea Messe feliciter impensos! Vtinam daretur mihi tecum in isto cõmutare vices! Quanquam quid facturus essem ignoro si essem eo loco. Loquor tamen ex ardenti desiderio quod in me sentio, & certa fiducia in Deo meo. Propones, vti spero, ante oculos magnanimum responsum venerabilis Eleazari, & piam eius cogitationem de ætatis ac senectutis suæ eminentia digna, quæ ipsa nos monet vicinæ mortis aut vitæ certè non diu duraturæ, vt tam breuis vmbræ pretium vile videri necesse sit. Perpetua fuit apud Catholicos & sanctissima tua existimatio; In eadem spero te moriturum. Nunc vero fama tua Insulæ finibus non arctatur; Christianum orbem peruagatur vniuersum. Christus *Iesus* abundantiam gratiæ suæ cumulatissimè tibi largiatur, vt possis omnibus esse solatio retexendo illud quod hactenus tam ingratum sparsit odorem. Vale. Manum nosti, & animum scribentis.) Cardinalis etiam Bellarminus iusto volumine rationes ab eo digestas confutauit. Nihil autem demum ab eo morti proximo exprimi aliud potuit, quàm hæc conditionalis, si in aliquo erraui, me pœnitet. Quanto glorioſior exitus Roberti *Drureij* Sacerdotis secularis, qui non ita multo ante conuictus de Sacerdotio, cũ in ipso supplicij articulo offerretur illi vita & libertas si hoc se iureiurãdo vellet astringere, renuit, eo inter cætera nomine, nè Catholicis esset occasio in eum lapidẽ offendendi.

Personij ad eum literæ.

V. Videri potuit *Paulus* Pontifex literis quas ad Catholicos direxerat, finem imposuisse quæstioni de iureiurando, omnemqu sustulisse dubitationem. At actum est aliter quàm sperabatur. Alij de re qualis esset non integrè sincereque informatum aiebant esse Pontificem: Alij calumniabantur Iesuitas quasi auctores scriptoresque literarum; Alij non liquere dicebant cur non liceret

1607. cum fraudulentis dolosisque Hæreticis fraude etiam & dolo agere, & verba aliter quàm sonarent intellecta illis dare, mentem sibi Pontificique seruare: Itaque in varia dissipatis animis necesse fuit secundam adhibere medicinam his literis.

Paulus Papa Quintus

Pontificis alterum Breue.

Dilecti Filij salutem & Apostolicam Benedictionem.

Renuntiatum nobis est reperiri nonnullos apud vos, qui cùm satis apertè declarauerimus per nostras Literas Anno Superiori. 10. Cal: Octobris in forma Breuis datas, vos tutâ conscientiâ præstare non posse iuramentum quod à vobis tunc exigebatur, & præterea strictè præceperimus nè vllo modo illud præstaretur, nunc dicere audent eiusmodi literas de prohibitione Iuramẽti non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate scriptas fuisse, sed potius aliorum intuitu atque industria, eaque de causa ijdem persuadere nituntur mandata nostra dictis literis expressa non esse attendenda. Perturbauit sane nos hic nuncius, eoque magis quòd expectauimus obedientiam vestram, (filij nostri vnicè dilecti,) qui vt huic Sanctæ sedi obediretis opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique piè ac generosè nihili fecistis, nunquam suspicati essemus potuisse reuocari apud vos in dubium fidem literarum nostrarum Apostolicarum, vt hoc prætextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verùm agnoscimus versutiam atque fraudem aduersarij humanæ salutis, eique potius quàm vestræ voluntati tribuimus, hanc renitentiam. Ea propter iterum ad vos scribere decreuimus, & denuò vobis significare literas nostras Apostolicas anno præterito 10. Cal: Octobris datas de prohibitione Iuramenti, non solum motu proprio, & ex certa nostra scientia, verum etiam post longam & grauem deliberationem de omnibus quæ in illis continentur adhibitam scriptas fuisse, & ob id teneri vos illas omnino obseruare, omni interpretatione secus suadente reiecta; Hæc autem est mera, pura, integraque voluntas nostra, qui de vestra salute soliciti semper cogitamus ea quæ vobis magis expediunt. Et vt cogitationes & consilia nostra illuminet is à quo Christiano gregi custodiendo nostra fuit præposita humilitas indesinenter oramus. Quem etiam iugiter precamur vt in vobis filijs nostris summoperè dilectis fidem, constantiam, mutuamque inter vos caritatem & pacem augeat, quibus omnibus cum omni caritatis affectu benedicimus. Datum Romæ apud Sanctũ Marcũ sub Annulo Piscatoris 10. Cal: Octob. 1607 Pontificatus nostri Anno tertio Petrus Strozza. Et à tergo: Dilectis Filijs Catholicis Anglicanis. Hæc Pontifex. Quæ nihilominus, quantæque exortæ sint de hoc ipso iureiurando tum verbo, tum editis libris contentiones non attinet dicere, cùm in aperto sit nostræ Societatis homines in Anglia omnem reuerentiam aduersus Pontificem eiusque literas adhibuisse, & debitâ coluisse obseruantiâ; Quam cùm *Holtbeyus* in suæ curæ commissis stabilijsset, transmisit in Belgium, domus ad hanc Missionem pertinentes inspecturus, & de ijs Præ-

posito

posito Generali respondurus. In eius autem primordijs & vitæ reliquo cursu quando quædam relucent Religiosæ probitatis exempla ea non sunt hic omittenda. 1607.

VI. Natus Fraitoniæ in Comitatu Eboracensi anno seculi decimi quinti quinquagesimo tertio, post hausta Latinæ linguæ initia in scholis domesticis, Cantabrigiæ primum, deinde Oxonij Philosophis dedit operam audiendis explicandisque; sed cùm Catholicè sentiret, & similiter sentientes haberet frequentes auditores, neque ferret impunè à solemnibus precum cætibus absentiam, postpositâ Religioni curâ (post primum adeptum) altioris in Academia gradus, aut commodi amplioris consequendi, in Belgium transmittens, Duaci & Rhemis tres annos sacræ scripturæ, & de conscientia quæstionibus cognoscendis impendit; Tum Cameraci Sacerdotio initiatus reuertit in Angliam, totumque Septentrionem complexus ad Scotiæ limites, vastas horridasque Regiones perpetuis itineribus, vno vel altero adiutore, circumiens, strenuum se probauit Christianæ vineæ cultorem. Neque tamen sibi ipse vsquequaque satisfaciebat. Videbat enim multum sibi deesse doctrinæ ad id genus vitæ quod susceperat cum dignitate pariter & securitate sustentandum. Deliberanti verò, aptius institutum non occurrit quàm Societatis *Iesu*; Tum quòd eodem quò Seminariorum instituta collimet, tum quod viros omni armorum spiritualium genere instructos producat: nouerat enim Duaci *Martialem* nostrum & *Columbum* & *Bustardum* & alios; *Campianum* etiam domo acceperat, iuueratque ad locum ab hominum consortio seiunctum, in quo rationes suas decem ad Academicos perpoliret: Et videri potuit ea cogitatio præmium hospitij; Nam à felici *Campiani* exitu non multi menses effluxerant quando tanta cum illustratione mentis est indita, vt confestim sub arbore flectens genua (nam fortè in horto inambulans deliberabat) tria vota Societatis tacitus apud se conceperit; Et quoniam necessaria videri poterat eius opera per Quadragesimam iam inchoatam, addidit quartum votum, susceptum se iter Londinum versus alterâ post alteram Paschæ Dominicam. Aberat Londino *Gaspar Haywoodus*, ad quem absente *Personio* Societatis cura pertinebat; igitur ex vendito equo factâ pecuniâ transfretauit. Morabatur tunc temporis Parisijs noster *Thomas Darbishire*; Huic cùm explicuisset animum confirmasset; spiritualibus Sancti Patris commentationibus, admissus ab Otthone Pagæo Prouinciali migrauit Virdunum ad Tyrocinij exercitationes anno octogesimo tertio ineunte. Studuit deinde Mussiponti annis quatuor Theologiæ & Scotorum Seminario præfuit. Anno altero pestilens lues insedit ciuitatem, dispersisque per alia loca Sodalibus mansêre cum *Holtbeyo* tredecim, ex quo numero decem corruptos pestilentia suis ipse manibus sepeliuit. Scotum etiam vnum sublatum in humeros, (quos habebat latissimos) transuexit per mediam ciuitatem, in agris terræ inferendum: Ipse cum duobus Coadiutoribus euasit, non alio vsus medicamine quàm vt faciem & manus aceto abluerent. Post captatam Treuiris & Moguntiæ liberiorem auram, reuersum

Holtbeij initia & progressus

Pestiferis famulatus.

1607. In Anglia quid præstiterit.

sum Mussipontum Claudius Mathæus Prouincialis acceptis mandatis *Claudij* Generalis mittit in Angliam. Isthic prima eius cura fuit in ea paucitate hominum Societatis quam initia huius Missionis ferebat complures Sacerdotes seculares ex Seminarijs prodeuntes adsciscere sibi adiutores, & in loca opportuna distribuere, subministratis liberaliter equis & pecunia. Ipse ab anno octogesimo nono, quo redijt in Insulam, ad sexcentesimum quadragesimum quo obijt, nullo vnquam tactus corporis morbo, nullâ perquirentium nebulonum astutiâ interceptus, solerter simul & indefessè in opus incubuit, magnamque messem collegit animarum & meritorum. Manu promptus ad opificum quæcunq; tractanda instrumenta, hortensia, fabrilia, muraria, tornatilia, quocunque consistebat loco latibula tam dextrè apteque fabricabat, vt nullum fuisse dicatur eius arte perfectum quod importunissimorum perquisitorum industriam non effugerit: Acu etiam pingebat ad Altaris vsum vestes sacras, quarum exemplar ad *Mutium* Generalem Romam missum in Sacrario domus Professæ seruatur. Ita spiritualia modò modò manualia vsurpans, ætatem produxit ad annos octoginta septem; & senectute ipsâ fatiscens diem habuit extremum decimum quintum Maij Stylo veteri, Annum cum ageret in Societate quinquagesimũ octauum, & à Professione quatuor votorũ trigesimũ septimum. Paupertatis fuit semper præcipuus cultor, quam veste, mensâ, cubili, cubiculoque præferebat; in alios munificentissimus, præsertim erga eos qui custodiâ detinerentur, vel recentes ad Christi vineam excolendam aduentabant, quarum omnium virtutum exercitatione, quo Christo similior, eo præmio propior.

VII. Vt verò solatij quidpiam subsidijq; spiritualis in hac tam graui tamque turbulenta pulueriariæ conspirationis tempestate afferret afflictis dispersisque per Angliam Filijs *Claudius* Generalis, opportunum arbitratus est per litteras ea suggerere quæ ad vniuersæ Missionis rectam constitutionem administrationemque pertinere viderentur, quando præcipua in miserijs consolatio est studium placendi Deo, à quo si quid aduersi accidat, id omne ad maius eius obsequium inquirendum persequendumque dirigitur, & ad eundem finem ab vnoquoq; recta sapiente vsurpatur. Sic igitur ad Patres Societatis *Iesu* in Anglicana vinea laborantes transcribit.

Literæ Claudij Generalis ad PP. in Anglia.

Facere non possum (Patres Fratresque dilectissimi) quin vos ineunte hoc anno nouo meis literis, solicitudinis nostræ de vobis testibus inuisam, præsertim post tàm atrocem tempestatem quæ vos præcipuè per totum annum Superiorem exercuit, quæ talis profecto visa est vt misericordiæ planè diuinæ tribuendum sit quòd penitus deiecti vel consumpti non fueritis. Primùm igitur ingentes gratias diuinæ bonitati de tam singularis patrocinij & protectionis suæ beneficio agimus. Deinde vos hortamur ad eandem semper de immenso eius caritatis thesauro habendam fiduciam, maximè in ea causa quam pro iuuandis ciuium vestrorum ad Dei gloriam animabus sustinetis: nam diuinum auxilium nunquam (vti sperandum est) aberit si ea à vobis vicissim præ-

stentur

stentur quæ vestrarum partium sunt, & quæ ad opus istiusmodi ritè perse- 1607.
quendum pertinere noscuntur.

Etsi autem à vobis cumulatè præstari, diuinâ opitulante gratiâ, & ipsa etiam periculorum multitudine excitante confidimus, maximè verò quæ ad vnionem cum Deo, conscientiæ puritatem, animarum zelum, patientiam, longanimitatem, prudentiam, orationis frequentiam, aliasque virtutes tanto operi necessarias spectant, pro nostri tamen muneris ratione quædam vobis breuiter in memoriam ad mutuam nostram consolationem cohortationemque reducenda existimauimus.

Ac primùm quidem, cùm vos isthic Constitutionum Societatis exemplaria habere intelligam, non erit opus quidquam ex eis hoc loco attingere, sed illud tantum in vniuersum admonere sat erit, vtilissimum esse frequentem earundem, ac præsertim compendij, seu regularum lectionem meditationemque, ex quibus profecto vitæ religiosæ (secundum Institutum nostrum) ratio desumenda est. Pro Missione vero ista Anglicana, negotio ipso temporibusque consideratis, particularia quædam suggerenda mihi videntur quæ hic summatim perstringemus.

Quæ igitur ad Obedientiæ praxim pertinent quo minus frequentem apud nostros isthic extra Collegiorum disciplinam viuentes vsum habent, eo diligentius cum occasio datur præstari debent, & illa regulæ trigesimæ tertiæ clausula memoriâ semper habenda est, vt excellere studeant omnes in Obedientia, licet nihil aliud quàm signum voluntatis Superioris, sine vllo expresso præcepto videretur: Cum illo etiam magna fiducia, & religiosa animi simplicitate conferenda sunt quæ tutè commodeque per locorum distantiam conferri possunt, nec quidquam maioris momenti à subditis in ista Missione assumendum quod Superiori notum esse non cupiant, suoque tempore rationem ei reddant. Præ omnibus verò commendatum habeant, quod sæpe hinc præscriptum est, vt à rebus politicis, & à nostro Instituto alienis, alioqui licitis, nè se immisceant: nam ab eis quæ Principem offendere possunt, vel reip. statum perturbare, certum est non modo ipsis abstinendum, sed vbi commode possunt, vt etiam alij id præstent curandum est, eo quod maxima inde lucrandarum animarum impedimenta nascantur.

Neque erit credo necesse admonere quidquam de subordinatione exactè seruanda, neque de vnione nostrorum inter se, quam alioqui magna animi nostri consolatione iam inde ab initio huius Missionis obseruatam studiosè admodum comperimus. Idemque iudicium est de mutua caritate pacequè cum externis, etiam ijs qui parum pacis studere videntur, ac denique de æquanimitate, mentisque præparatione ad ea omnia promptè & libenter facienda vel ferenda, quæ Obedientia præscripserit, siue circa loca stationesque in quibus versantur retinendas, relinquendasue, siue circa alia quæuis munera seu officia obeunda; quæ quidem animi dispositio ac præparatio etiamsi reipsa nunquam effectum sortiretur, magnam tamen habet apud Deum remunera-

1607. tionem,& plurimum ad omnẽ viri Religiosi,secundum nostrum Institutum, virtutem conferre putanda est: quapropter frequenter hæc animo versati à singulis persuademus.

De Sanctissimo Paupertatis præsidio (quod merito Constitutiones nostræ firmum Religionis præsidium appellant) illud dicendum occurrit, vt licet temporum morumque & negotiorum præsens constitutio, Sancti huius sepimenti præclaris commodis, multis in rebus, carere vos cogit, interiori saltem mentis affectu diuinam hanc virtutem, Religiosorum omnium matrem, cui vos quoque speciali voto in filios ipsimet consecrastis, semper amplecti studeatis; cupioque vt quibuscunque oblatis occasionibus hoc ipsum ostendatis, parcimoniæ studentes, & rebus vobis concessis quam moderatissimè vtentes, nè hospitibus vestris Catholicis graues vel onerosi sitis; & nè paulatim abundantiæ consuetudine inopiam ferre molestum sit. Quo in genere præclara est illa Apostoli sententia mente Religiosa semper retinenda *scio abundare, scio & penuriam pati.* Præclarissimum verò eiusdem Apostoli exemplum est; quod si ita sectari non liceat vt manibus laborantes victum quæramus, id saltem omnino retineatur, vt *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus,* nè Catholicos satis alioqui expensis grauatos & exhaustos grauemus. Quanquam igitur victus, vestitus, lectique ratio quæ regulis nostris præscribitur, pauperibus accommodata obseruari isthic in publico non possit ob necessariam hominis exterioris simulationem quæ ad maius Dei obsequium assumitur, quando tamen aberit ista simulandi necessitas; & nostri inter eos tantummodo versabuntur quibus cogniti sunt, meminisse debebunt illud Regulæ nostræ salutare monitum, vt iuxta mensuram Sanctæ discretionis, suis temporibus effectus aliquos Paupertatis experiantur, quod & sibi ipsis ad emolumentum spirituale, & alijs ad ædificationem erit; nè patentur illud quod ex necessitate assumpserunt retinere iam ac diligere ad voluptatem. Qua etiam de causa magna sobrietas nostris hominibus adhibenda est tum in victus & vestitus cultu, tum in verbis, actionibus, cæteraque vita, dum etiam simulare coguntur, nè aliquid faciant vel dicant personati quod indignum animo Religioso eis videatur qui veram ipsorum conditionem norunt, neue dum illudunt alijs alios scandalizent, quod omni ratione cauendum est. Moderata igitur esse debebit nostrorum hominum etiam in simulando corporis cultu ornatuque diligentia, nec tam pretiosis quam aptis & idoneis ad eum qui prætenditur finem siue vestibus, siue cibarijs, siue alijs rebus ad vitam secularem pertinentibus vtendum erit; pecuniarum etiam effusiones, quæ nonnunquam à viris Religiosis sub contemptus pecuniarum specie inconsideratè fiunt, omnino vitandæ; expensæ etiam & emptiones incommodæ, & multo magis largitiones quæ à viris religiosis fieri non debebunt nisi valde moderate.

De castitatis ac Puritatis custodia cùm nostræ Constitutiones nihil singulare præscribendum censeant, eo quod Angelicam quandam perfectionem, tam

mentis

mentis quam corporis munditiâ nostris hominibus imitandam esse propo- 1607.
nunt, Nos quoque hac de re tanto breuiores erimus, quanto diuina gratia opitulante confidimus magis vos strenuè hoc in certamine versari, & palmas inde egregias quotidie ex eiusdem diuinæ Misericordiæ beneficio ad sempiternæ gloriæ meritum referre. Quia tamen video vos in pugna adhuc esse, & pugna satis perdifficili periculique plenissima, non possum, fateor, de vobis non esse solicitus; Cogito enim conditionẽ vestram esse eam quæ est hominis in Arce aliqua obsessi, qui foris quidem hostes acerrimos, potentissimos & importunissimos habeat, intus verò non paucos ex militibus ducibusq; dubiæ ac suspectæ fidei, cui si aggeres desint ac propugnacula multisq; contra portis aditus ad eam pateant, enimverò huic homini merito timendum sit, & amicis de salute eius magna cura & solicitudo habenda. Vos igitur cùm in hoc ipso bello arduo constituti sitis, in quo foris contra vos militant infinitæ fere dæmonum turmæ ad tentandum paratissimæ, intus verò concupiscentiæ illecebræ ad consensum inuitantes cum hoste conspirent, ac demum propugnacula Religiosæ domus ac disciplinæ quibus hostes longius arceantur non adsint, facilè est videre quanta sint pericula, præsertim cùm vnica fere ad securitatem viuendi via, fuga nimirum, tantopere à Sanctis Patribus in hoc bello laudata, vobis quoque magna ex parte præclusa esse videatur, cùm dificile sit secularem conuersationem, vel fœminarum etiam plerumque conuictum intra ædes Catholicorum effugere. Cæterum etsi hæc per se molesta, & propter pericula quæ diximus metuenda sint, quia tamen his periculis, diuini honoris amplificandi causa, non tam ex electione vestra quam Superiorum ordinatione vos subiecistis, copiosum sanè ab eo diuinæ gratiæ subsidium expectandum est, modò vestra diligentia, & industria, quod spero, non desit. Porrò hæc industria in eo maximè posita esse videtur, vt occasiones omnes, quantum fieri potest, euitentur, tentationes anteuertantur, vel statim amputentur, familiaritates fugiantur, dona & munuscula secularia neque dentur, neque nisi rarò & ex causa aliqua probatissima (à fœminis præsertim) admittantur, erga quas exactè seruare conuenit regulam nostram, vt Sacerdotes, inprimis ij qui confessiones ipsarum accipiunt, graues se ac seueros magis quàm indulgentes præbeant. Reliqua vitæ spiritualis subsidia omnibus nota, frequens nimirum oratio, iugis meditatio, diligens Conscientiæ examen, attenta piorum librorum lectio, victus ac vestitus moderatio, discreta carnis castigatio, solitudo, ac reditus frequens in se, exercitiorum spiritualium vsus, aliaque similia nequaquam prætermittenda. Atq; hæc de votorum obseruatione quam vnicuique summè commendatam esse opto, quippe cùm in ea Religiosæ totius vitæ summa consistat.

Circa Conuersationem autem cum proximis perneccessarium est vt nos Religiosos esse semper meminerimus, ac proinde ad maiorem longè quàm reliquos vitæ curam ædificationemque obligatos, neque hoc tantum in diuino conspectu, verumetiam in oculis proximi, cui necesse est errata nostra

1607. grauiora videri quàm aliorum qui eandem viuendi perfectionem non sunt professi. Quare satagendum est vt si aliquando in Catholicorum ædibus vel vbi domesticis noti sunt, ob externorum quorundam præsentiam nonnihil quoad victus, vestitus, sermonis, ludi, aut conuersationis vsum dissimulare cogantur (ita tamen vt nihil adsit mendacij vel scandali) recedentibus externis vel nostris ad suos se recipientibus, omnis illa simulatio deponatur, eoque acrius Religiosæ disciplinæ pro temporis ac loci ratione insistendum quo maiorem spiritus distractionem afferre possit illa dissimulatio; ita vt Catholici domestici intelligant nostros non ex voluptate, sed ex necessitate illam præsentibus externis vsurpasse; neque vnquam adduci nostri facile debent vt seorsim apud solos catholicos vel ludant vel ornatum corporis non necessarium adhibeant, vel ciborum varietatem aliaque huiusmodi expetant.

Ad habitationem nostrorum quod attinet, valde profecto esset optandum vt non nisi bini, saltem in Residentijs, vnà viuant, ob commoda plurima, maximaque quæ inde sequi solent, ac propterea omnino procurandum id erit vbi commodè fieri potest: vbi tamen hoc obtinere non licebit, in eo saltem erit insistendum vt alter ab altero non ita longè absit quin mutuum inuicem consilium, auxiliumque ac solatium accipiant: debebit etiam Superior de hoc ipso cogitare seriò, & alicui ex magis exercitatis pro temporis locorumque ratione committere, vt ceterorum qui proximè absunt in spiritualibus curam nonnullam suscipiant, ita vt inuicem sæpius de modo orandi, alijsque rebus ad spiritum pertinentibus vel per literas vel coram conferant, præsertim cum Superior longius aberit ita vt ad ipsum commodus accessus non detur: Hic etiam rerum spiritualium Præfectus poterit aliquoties ex mandato Superioris Residentias visitare tanquam Inspector, ac locorum limites à Superiore definiendi sunt vnà cum tempore Præfecturæ seu inspectionis.

Atque idem planè dicimus de ratione conueniendi ad votorum Renouationẽ; Nullo enim modo hac temporum difficultate expedire videtur vt Nostri vel omnes vel magno numero vnà cõueniant, sed satis erit vt Superior alicui id demãdet vt aliorum qui cõmode coire non poterũt vota accipiat, cui etiã de cõscientijs rationẽ pro Societatis consuetudine reddere liceat, nisi quis malit Superiori omnino id præstare, habeatq; illum adeundi opportunitatẽ. In omnibus verò his congressibus meminerint tum exhortationes mutuos inuicẽ habeant, tum Collationes etiam de Regulis earumq; obseruatione dubijsq; occurrentibus, Pœnitentiarũ præterea ac mortificationum nonnullarum exercitium in vsum reuocare studeant, vt hac diligentia ostendant se veros disciplinæ Societatis amatores esse, & quæ in ea fieri solent mente ac desiderio retinere. Tractent etiam sæpè de spiritus renouatione quàm necessaria viris omnibus Religiosis sit, maximè vero ijs qui in eiusmodi Missione versantur, quas nihil contra tot ac tanta pericula tueri potest, aut ad præclara cum spiritus alacritate & perfectione peragenda excitare nisi ardor diuini Spiritus, qui vt in actionibus retineatur, in ocio & tranquillitate hauriendus est. Nam vt diuus Augu-

stinus

stinus in illud Psalmi *si memor fui tui superstratum meum* pulcherrimè animaduertit, "Qui quando ocioſus est non cogitat Deum, in actionibus ſuis Deum cogitare non poteſt; Qui autem memor eius est quando quietus est, in ipſo meditatur cùm agit nè in actionibus ſuis deficiat) Quæ etiam de re extant iam nonnulla monita noſtra in libro de renouando ſpiritu, quem apud vos eſſe ſpero, & non raro à vobis lectitari. Quod ſi iſtiuſmodi librorũ piorum qui ad fouendum Noſtrorum ſpiritum idonei iudicantur copia apud vos non fuerit, curabit Superior vt ex vicinis Societatis Collegijs, Audomaropolitano, Duaceno, alijſque ſubminiſtrentur, vt vnuſquiſque ſaltem noſtrorum Patrum vnum habeat, vnà cum ſumma Conſtitutionum & Regularum. 1607.

Ad extremum hortor vos Patres fratreſque in Domino cariſſimos, vt magno excelſoque animo ſitis in hoc Dei agone ſuſtinendo. Spectaculum facti eſtis Deo, Angelis, & hominibus: Proinde quod Apoſtolus ad homines veſtri ſimiles, & in non diſſimili temporum conditione conſtitutos ſcripſit, *ſobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide*, humiles in ſpe, fertùdi in Caritate, ac diligentes in veſtri cuſtodia. Chriſtus Dominus potentior omnibus ipſe vicit mundum & diabolum, iubetque nos confidere. Ille vos cuſtodiat ſemper. Reliqua Præfectus Miſſionis pro data occaſione ad vos perſcribet; cui etiam quiſque veſtrum ſæpius pro negotiorum opportunitate, vel animi ſui ſolatio ſcribere poterit, quæ & ipſe Nobiſcum quoad opus fuerit conferat. Nobis verò ab vnoquoque veſtrum ſi cõmoditas ſine periculo daretur, pergratum eſſet ſemel ſaltem quoq; anno literarum aliquid accipere: Verum ſi illud fieri non poteſt Superior Conſultoreſque pro reliquis ſuppleant; Et quia Nos etiam frequenter hoc literarum officium ob eaſdem cauſas præſtare nequibimus, huius Epiſtolę exemplum vnicuique noſtrorum dari poteſt, vt accurata eius lectio, & obſeruatio conſolationem vberem & fructum copioſum afferat multorum meritorum. Dominus *Ieſus* ſua diuina gratia vos omnes protegat, ac tueatur. Romæ nono Ianuarij Anno. 1607. Veſter amantiſſimus in Chriſto frater

Claudius Aquauiua.

VIII. Id autem quod Ioannes Chryſoſtomus in Sancto Ioſeph Virginis ſponſo obſeruauit, tum de aduerſis tum de proſperis iuſtorum vitam admirabili varietate contexi, id noſtra hæc Miſſio experimento didicit, cùm inter anni ſexcenteſimi ſexti turbulentiſſimas tempeſtates quibus noſtræ Societatis homines eique adhærentes præcipuè iactati ſunt, ſurrexit in Belgio domus Probationis, in quâ & numero, & virtutum ſolidarum exercitio augerentur operæ, & in Meſſem copioſiorem multiplicati redderentur. Louanij in Brabantia habitauerant Equites Melitenſes loco ad pietatem atque ad voluptatem facto; nam in colle vniuerſam Ciuitatem deſpectante præter ampla ædificia Templum erat inter cæteros Cœli Sanctos Magno Gregorio Anglorum Apoſtolo Sacrum; In plano hortus muro circumſcriptus, in decliui, area ambulationibus

Domus Probationis Anglicana Louanij.

1607. bulationibus concinnandis commoda, in quas per graduum interualla distinctas, perque vites ordine positas cùm descendisses, libero fruebaris cælo, siue laxandus in aprico esset animus, siue ad superna nullo interpellante erigendus: nam intra vrbem propè extra vrbem ad mœnia posito nihil in aures nihil in oculos incurrebat quod à sanctis cogitationibus sermonibusue intentam mentem posset auertere. Eo loci *Personius* prohibitus Watenis, primam nouæ militiæ stationem elegit missoque à *Claudio* Generale Româ *Thoma Talbotto* qui Tyrones ad Societatis mores instrueret, fœlix dedit initium operi, sustentando partim prouentibus qui ex Watenensi Præpositura superesse poterant alendis in loco Patribus, partim liberali donatione quam fecerat Illustrissima virgo domina *Aloysia de Carauajal* quam superius memorauimus.

Thomæ Garnetti martyriũ.

In prosperis etiam numeratum est, quod *Thomas Garnettus*, (*Henrici* nuper è viuis sublati affinis) qui adolescens septendecim annorum inter primos in Audomarense Seminarium recens erectum cooptatus fuerat, huius etiam domus primitias fuso Dei causa sanguine consecrarit. Huius Parens *Richardus Garnet*, Oxonienſis Academiæ in hæresim delapsæ pertæsus, cogitatione se conuerterat ad iter transmarinum, quò Theologicis disciplinis imbutus ad sacros Ordines suscipiendos disponeretur. Nec tentem moras amor præoccupat & honesto implicat matrimonio; Quam mutationem vt ratione aliquâ piâ compensaret, primum quem habiturus esset filium Deo consecrat & *Thomæ* Cantuariensi Martyri: Cuius nomen cum edito indidisset, in literis tum domi tum foris tradidit instituendum, vt nè quid ex sua parte deesset quo minus quod vouerat expleretur. *Thomas* ad pietatem haud segnior quàm Parentes, & in Theologicis exercitatus suscepto Sacerdotio reuertit in Angliam & sex annos in sat diuite messe posuit, sedulò connitens vt solidæ pietatis sensum virtutemque robustam in eos quibuscum agebat infunderet. Inter quæ deprehensâ exitiosâ pulueris cõiuratione, & noua iurisiurandi formâ inuentâ, cùm animaduerteret Societatis homines Pontificiæ potestatis præcipuos esse assertores, atque in illos inprimis eorumque sectatores, quantumuis innocentes, omnem inuidiam detorqueri, eo ardentius optabat ipse his adiungi quo pessimum quemque videbat ab eorum consuetudine & vsu abhorrere. Et quanquam iam inde ab anno sexcentesimo tertio fuerat ab *Henrico Garnetto* Sociorum numero adscriptus, votorum tamen copia facta non est variis euentis præpedito. Tum cùm in suspicioſissimo illo detectæ conspirationis turbine procliue esset ignoto cuique præberi molestiam, iter facienti iectæ sunt manus; & licet præter voluntariam comprehendentium supicionem nulla esset causa criminandi, primùm in Portam domus datus est custodiendus, tum ad Arcem translatus; vbi cùm variis examinibus exagitato nihil exprimi posset quod ei noceret, Salisburius extento indice iurans " efficiam, inquit, vt omnem tuam proditionem fatearis, vel ab extremis tuis digitis illam exprimam.) dedit ea vox *Thomæ* ansam

ad

ad extrema quæque patienda se comparandi, sed cùm nulla essent vel leuissima sceleris indicia, hæsere in voce minæ, nec quidquam illi præter octo vel nouem mensium solitudinem, & ex duro cubili perfrigidaque hyeme species quædam scyaticæ adhæsit mali. Tum solum vertere iussus, incidit opportunè in annum quem dixi inchoati Louanij Tyrocinij: de quo ita *Gerardus* in manu scripta relatione, "Testes habemus complures inter nouitios quàm sincere *Thomas Garnettus* adlaborauerit vt mundum perfectè exueret, & sui victor à virtutibus solidis esset instructior) Vir experientia rerum & vsu præditus, at valetudine tenui atque incommoda, post aliquot menses remissus in insulã, amplissimum dedit profectus testimonium, & ornamento virtutũ, & claræ mortis pro Religione oppetitæ. Breui enim ab excensione interuallo rursus in manus incidẽs & Sacerdotij accusatus necis pronuntiatã sententiam eâ animi lætitiâ audiuit, vt cum lachrymis profiteretur sæpius, nihil sibi grauius accidere posse quàm vt vel amicorũ interuentione, vel euentu aliquo dies dicta supplicio prorogaretur; sæpius etiam ante sententiam cùm in mentem venisset cogitatio fugiendi, & cùm amici suggererent opportunitatem, voci internæ quasi dicentis, Noli fugere, elegit obedire potius quàm occasionem hanc prætermittere, in qua amplius verosimiliter glorificaturus esset Deum quàm si pluribus annis in messe laboraret. Postero verò die cùm frequentes accurrerent, & modò hoc modò illud ipsi surriperẽt quasi reliquiarum loco," Vt quid inquit ista? cùm forte adhuc in hac causa non moriar. O me infelicem si post tres iam ad cœlum conscensos gradus, quartus & vltimus denegetur! Apprehensus, Conuictus, Adiudicatus neci, vt in vltimo hæream, & Cruci paratæ subtrahar, quàm infame! quam durum! Vocatus itaque ad cratem seipso alacrior fortiorque apparuit, & sponso similior quàm morti addicto incubuit. Pleudo-Verbi Ministro insultè obijcienti non Religionis sed proditionis esse damnatum, iucundè & argutè respondit" Eum qui obedit Principi reum non esse læsæ Majestatis; se autem Principi legique obedire: Lex iubet Sacerdotem in Insulam reducem morti tradi; Ego obedientissimè trado corpus Regi, animam Deo.) Obsederat supplicij locum cum frequentissima Nobilitate Comes Exonienſis ex Senatu Regio vnus. Hic *Thomæ* suadere aggreditur vt nuperum (quod vocant fidelitatis) insiurandum iuraret, vitaque ex Regis clementia frui vellet; plures Sacerdotalis Ordinis in ea verba iurasse; plures rem habere dubiam atque controuersam, plenamq; inter doctissimos dissensionis. "Eo ipso ex capite, respondit *Thomas*, non est meum illud pro certo iurare, neque si mille mihi darentur vitæ iurabo) Itaque iussus conscendit lætus currum, atque exosculatâ trabe, reliqua etiam pecunia quam tulerat in satellites stipatoresque & subiectum populum partitâ, hæc ad astantes clara voce pronuntiauit. " Sum Sacerdos, in Societatem etiam Nominis *Iesu* adscriptus quamuis eorum minimus & indignissimus: Id in iudicio fassus non sum, sed reliqui probandum quod verti mihi vitio non debet: neque enim me cohibuit mortis metus, neque quod eram

1607.

Eius responsa & verba ad astantes.

1608. ram negaui, naturæ priuilegio vti mihi licuit quemadmodum cæteris, præter quam quod intelligo Magistratum moderatiorem non probare apertam accusati Sacerdotis confessionem, nè vltro mortem accersamus, & iudicibus imponamus necessitatem contra nos lege agendi quam nollent. Trium testimonio damnatus sum dicentium me pluribus in locis cùm tenerer in Arce captiuus scripsisse, *Thomas Garnettus Sacerdos*: Scripsi equidem, sed probari non potuit me scripsisse. Nouem annos impendi consolandis animâdisque Catholicis, alijs aberrantibus reducendis in viam; nullam vnquam proditionem agitaui animo, neque agitari cognoui) cumque Ministellus malitiosè obijceret æquiuocè ista dici, "Nequaquam, bone vir, inquit, nam si æquiuocè agere voluissem, iam mihi esset viuere liberum priuilegio iurisiurandi modò propositi; Iurisiurandum antiquo Regum more conceptum vltrò obtuli me iuraturum, tulique in iudiciũ consuetam eo tempore formam; adstat ad latus Minister qui eius habet exemplar: Istud vero quod nunc proponitur habet cum fidelitate Religionis præiudicium ita permistum vt nemo id Catholicus, meâ quidem sententiâ, iurare possit.) Tum erectis in Cœlum oculis, manibus ad pectus decussatis" O me Felicem, inquit, cui hic dies fortunatissimus illuxit! Quid miramini me hoc dicentem? Equidem existimo neminem in mũdo hac hora me feliciorem. Auertat Deus ab hoc regno iram suam, neque repetat, obsecro, abeo sanguinem meum. *Domine, nè statuas illis hoc peccatum*; ignoscat Deus illi qui me perquisitoribus detexit; parcat apparitori qui me prehendit: condonet Londinensi Episcopo qui in custo diam dedit, & Secretario qui instigauit: Indulgeat Arcis Præfecto, & testibus quos ille produxit: Vtinam illos omnes possim in Cœlo videre vnà mecum æterna fruentes beatitudine.) Recitata deinde precatione Dominicâ, salutatione Anglicâ, Symbolo Apostolorum, & Hymno veni Creator Spiritus, ad ea verba, *sermone ditans guttura*. subducto curru pependit, & animam innocentem tradidit Creatori, circumfusâ plebe prohibente succidi funem prius quam supremum exhalasset Spiritum. Acta sunt hæc Londini vigesimo tertio Iunij Anni sexcentesimi octaui, dum numeraret ille ætatis annos triginta quatuor, Societatis verò vix integros quinque.

Certamen alterum Iacobi Sharpe cũ parentibus

IX. Et hic quidem fuso sanguine lauream consecutus est immortalem. Videamus in alio genere certantẽ alium, & in parentum cõuersione frustra laborantem, quo discant qui præ-propero ardore feruntur in affines reducẽdos, quanto in discrimine versari necesse sit, si suo magis ingenio, quam Superiorum secuti ductum se applicent: Quamuis enim iste non suorum, sed sui victor euasit, polliceri tamen idem sibi vnusquisque non debet; nè fidentiâ quam in se cum certa spe collocat, fiduciæ quæ in Deo solo ponenda est, præponderante irruentibus hinc inde blandimentorum, lachrymarum, lamentorumque vndis obruatur & pereat. *Iacobus Sharpe* (dictus *Pollardus*) venerat sub hoc tempus Sacerdos ad Tyrocinium; Is in Angliam post absolutum biennium, & vota nuncupata redux, hæc ad *Claudium* Generalem sua manu conscripsit.

Admo-

Admodũ Reuerende in Christo Pater noster, Pax Christi. Mense abhinc quarto literas ad tuam Ptem. Dedi, & vitæ meæ rationem aliquam, & meã in parentum meorum conuersionem studium intimaui; verùm cùm secus ac putaram omnia euenerint, censui non ingratum tuæ Paternitati futurum (Superiore id consulente) si huius rei exitum paucis aperirem. Cùm à primo meo in Angliam ingressu sæpius tum præsens per sermonem, tum absens per literas apud parentes meos egissem, vti natiuo solo ædibusq; relictis aliò se transferrent, vbi ego familiarius cum eis versari possem, & securius illi faciliusque Catholicorum frui consuetudine, ceu medio ad eorum salutem aptissimo, tandem postulatis annuunt, fidemque dant omnia ex animi mei sententia præstituros; eoque iam ventum erat, vt nihil præter ædes commodas deesse videretur: Ego onus hoc ædium quærendarum in me lubens lætusque suscipio, sperans fore non tam loci amænitate, quàm Sanctæ Religionis dulcedine capiendos: Sed eorum quos ego capere destinaram laqueos non euasi. Parentes siquidem vt me circumuenirent, ædes suâ spõte mutarunt, ad domum cuiusdam Doctoris Theologiæ, & apud istos Archidiaconi, se contulerunt. Amicos interim meos non amicè admonent, vt eo loci cum illis communicaturus accederem: fraudem Catholici non senserunt, vrseruntque vt ijs satisfacerem: Acquieui, & pridie Ascensionis eos conueni. Agi inter nos cæptum de loci situ, & domesticarum rerum dispositione: Illi se mecum profecturos promittunt ad destinatum à me locum. Ista dum agimus, en tibi supra nominatus doctor domum hanc cum vxore commoraturus accedit: Sanctè mihi pridem & iuratus in literis quæ extant scripserat in hunc sensum; Nunquam Dei faciem videam, si tibi saluus in domum meam ingressus non pateat & egressus; Quod & sæpius fideliter præstitit, humaniter me domi tractando (me enim illius fidei totum commiseram, hac ratione prodesse sperans parentibus) fòris etiam apud parentes meos liberè conuersandi facultatem sub Archiepiscopi Eboracensis publico sigillo impetrarat: ipse etiam me domum patris adduxit; & Irenarchæ, à quo pridem titulo Sacerdotij captus fueram, conciliauit. Omnia ex animi sententia fluere videbantur: At dum postridie Ascensionis me ad iter accingo nouas ædes cum parente petiturus, subitò Irenarcha (cui pacis vt vocant Regiæ procuratio commissa erat) à parente & Doctore vocatus aduolat; cubiculum ingreditur; multa de conditione mea, de locis quæ frequentaueram scisciatur: accusat quod sacrum in nobilis cuiusdam domo feciſlem; Quid multa? Ad disputandum me prouocat; tandemque parentum me custodiæ committit, ad hoc enim illi immunitatem ostendunt ab Archiepiscopo concessam. Irenarcha parenti subdolè minatur me ni cautè custodiat, multamque pecuniam imponit si euado; duos insuper famulos addit qui latellitum vice nè de via domum versus elabar obseruent. Domum igitur parentum sat benè cinctus adducor, confluunt vicini & cognati, aduentum & omnia fausta adgratulantur. Parentes hoc rerum successu læti, & in fraude felices, nouis me artibus aggrediuntur. Bono animo esse

1608.

1608. esse iubent; pecuniam copiosam, vestes meliores, necessaria omnia promittunt. Dies aliquot vt potui transegi amicorum visitationibus detentus, externâ lætitiâ quod telum in animo latebat mentiente. Instabat festum Pentecostes, vehemensque me inuasit desiderium diem illum inter Catholicos celebrandi; ingenium ad fugam conuerto; dum hanc meditor, ad vicinum oppidum vbi publicus conuentus agebatur inuitor: Annuo, sed ea lege vt nullus concionator ad disputandum, nullus Magistratus ad examinandum accederet: Conditionē acceptant; progredimur. Erat autem illo in oppido nobilis quidam Pastor, qui licet professione esset Medicus, & peritus iuris, auctoritate etiam pacis-procurator, curam tamen scilicet gerebat animarum: Hunc ad me inuitant, ingenio subdolum, sermone blandum & totius in me conspirationis conscium; Clam vocatus ex improuiso adest, salutat perbenignè, longo sermone de Religione agit; post leuem de re vna & altera controuersa velitationem, domum suam inuitat, vel potius pro auctoritate imperat, eâ lege vt si illum ego in partes meas, vel me ille ad suas pertraheret, libertate donarer, sin minus, eâdem qua veni securitate discederem. Parentes meo nomine legem accipiunt, meque post festa ad certamen paratum fore promittunt. His ita constitutis, cogitare incipio de Doctoris dubiâ & suspectâ fide, & de dolosis parentū artibus, qui non solum mihi in Religione acquiescere nollent, sed nihil non agerent vt me ad sectam suam pellicerent. Quare iterum fugâ mihi consulere statui: Nocte quadam parentes cubitum concesserant, famulis ad fores sedere solitis remotis; egredior igitur; ostio claui obserato omnes includo; ephippio frænoque onustus ad equum ocreatus festino. Inclusi animaduertentes, clamant; per fenestram prosiliunt; nudis pedibus insequuntur; assequuntur, in equum manum inijciunt: Hac spe frustatus ad pedes prouoco, cogitans domum Catholici quindecim milliaribus distantem. At illi vicinis excitatis vias insident, equites peditesque sequuntur. Cursu & sudore fesso aliud non occurrit quàm vt insequentibus me offerrem domum reducendum. Parentes hac potiti victoria omnia diligentius obseruant, vectibus ferreis muniunt fenestras; Interdiu Mater custos erat, nec licuit abeius latere discedere: Noctu Pater eodem mecum in lecto decumbebat: Alijs enim me credere non sunt ausi suspicionum plenissimi, vt nè consanguineos quidem ad colloquendum admitterent. His per aliquot dies transactis ducor domum Doctoris iam dicti; mansi dies quinque, parente comite. Quotidianas cum eo disputationes habui (maximè de Canone scripturæ) & omnia comitatis officia. Cùm nihil verborum lenocinijs argumentisue proficeret, suasit parentibus longiore opus esse morâ, non dubitare se tandem euicturum, multos enim fingebat se Sacerdotes & Laïcos conuictos ad suam traxisse Religionem.

Domum rursus redeo, vbi mihi permoleste accidit quòd cùm Catholici ad me misissent quendam in habitu pauperis qui me inuiseret, cognoscerentque quo loco res meæ essent, parentes antequam inter nos agere possemus

prehen sum

prehensum ablegari curarunt Eboracum ad carcerem vbi etiam nunc de- 1608.
tinetur. Nec contenti omnem ad me aditum amicorum præclusisse, Hæreticos quotidie admittunt, vt si non ratione conuictum, importunis saltem disceptationibus oppressum ad sua alliciant. Hæreditatem amplam pollicentur, pecuniam ter mille aureorum, ædes, suppellectilem ostentant dicentes, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris secundum fidem* nostram. Nuptias proponunt, vxorem & dotem amplam, & ante omnia spem prolis ad bona possidenda: Hoc Mater vrgebat maximè, prole post me relicta abeundi quo liberet futuram potestatem. Erant hæc leuiora: Acrius profecto percellunt parentum continuæ preces, lachrymæ, ploratus, oculos videre lachrymarum imbre madentes, faciem macie tabescentem, verba audire quę possent cor lapideum emollire. Non vana fingo: Quid ego dicere, quid cogitare potui, quando videre cogebar vtrumq, parentem genibus in terrā prouolutis & elatis manibus has voces miserandum in modū eructantes: Miserere nostri Fili mi, miserere nostri, miserere Genitoris, miserere Genitricis, miserère vberum istorum quæ te lactauere: Vitam à nobis acceptam tu morte compensabis? Miserere saltem canitiei, miserere senectutis; noli canos nostros cum mærore ad inferos deducere; noli instar serpentis materna viscera corrodere: Nihil te mouet materna facies rugis plena, madida lachrymis; nihil paterna pietas, nihil Dei Religio? maledicta hora in qua genitus es, & tempus quo te in studijs aluimus: Itáne Patrem, Itáne Matrem Filius deseret? Accipe prius cultrum, ingrate Fili, (cultrum mihi obtulerunt) & cultro hoc iugulum nostrum pete, ne videre cogamur tuum infelicem exitum. Hæc centies (nihil addo) hæc pœnè continuo ingeminarunt; Non erat locus, non hora, non colloquium, vbi hæc lamenta aures non verberabant meas. Quis mihi quæso sensus inter tot lamenta esse potuit? Non potui sanè non dolere; sed Saluatoris dicto solatus dolorē leui. *Qui diligit Patrem & matrem* &c. Occurrit etiam celebre illud Hieronymi dictū, viuâ certè hypothesi depictum; " Si mater sparso crine, sciſſis vestibus ostendat vbera quibus te nutrierat, si pater in limine iaceat; per calcatum perge Patrem, siccis oculis ad Crucis vexillum euola; solū pietatis genus est in hac re esse crudelē.) Hoc ego spirituali solatio animū refeci meum: hac me armaturâ contra omnia carnis & sanguinis tentamenta defendi. Dū vero hæc aguntur, Archidiaconus ille, de quo supra, me ad prandiū sollicitat; vbi cùm pro more multa promuntur, sermo tandē incidit de Edicto recens à Rege edito, quo Sacerdotes omnes ex Anglia relegabantur. Ego hoc nuntio lætus cæpi me Sacerdotem prodere; (Parentes enim hoc celauerā) & Edicti vti beneficio volui pro libertate potiunda. Egi sæpe cum parentibus, sollicitaui amicos vt suaderent, nè fortè si palam pro Sacerdote agnoscerer, in reditu esset maius periculum. Sed nil preces, nil argumenta mouerunt, prævaluit in eis spes futurū me aliquando eiusdem cum ipsis Religionis. Volui me pacis Præfecto palā pro Sacerdote sistere, Sed nec hoc licuit, omni ad me intercluso aditu: Opportunè accidit, vt sæpe nominatus Doctor me per literas ad disputandum

1608. inuitaret, idque publica auctoritate: Libens parui: Inter cætera, petij vt copia mihi fieret Edicti de Sacerdotum exilio: Vt legi, rogatus an essem Sacerdos, vltrò agnoui; cupiens eo vti quasi beneficio; sed res vt optabam non successit. Confestim enim Eboracum mittor ad Cõsiliarios Regios, detinecorq; ad septem hebdomadas expectans supremi Præsidis voluntatem. Quo interuallo cauerant Parentes nè communi cum cæteris Sacerdotibus carcere clauderer, nè ex ipsorum consortio fortior euaderem; sed domo perditissimi Hæretici, Catholicisque inimicissimi, à quo præter iurgia, blasphemias, & turpissima quæque nihil audire potui. Et nè requies vlla daretur, aderant Parentes; Mater à mane ad vesperam in eodem mecum cubiculo manebat, vt vel lachrymis me emolliret, vel quidquid literarum ad me scriberetur intercĩperet, & Catholicorum congressum auerteret: sedenti assidebat, comitabatur ambulantem, exeuntem insequebatur. Si horas legerem (nam fuit mihi semper copia Breuiarij) occluso cubiculo fores obseruabat; Cùm quocunque agerem aderat, & omnia discutiebat. Conuenire me volebat quidam Catholicus, & quò minore cum suspicione veniret accessit Ministro comite. Hunc mater inuitat vt mecũ disputet. Ille ridiculè satis, mirari se dixit quod ego neglecta fide Regni, sibi multisque alijs ignotam Religionem amplecterer: Carceris custos adstans, Indignabundus, Quid, inquit, tu fidem istorum ignorare te dicis, cùm eam tenearis impugnare, apage vias tuas, & contumelijs oneratum eiecit domo. Mater Catholicis omnibus imprecabatur tanquam seditiosis perduellibusque: Inuehebatur in eos qui quidquam suppeditarent aut vestis, aut pecuniæ, aut hospitij; In Sacerdotem præsertim quendam ætate venerabilem, doctrinâ clarum, qui eo in carcere detinebatur, dicebat enim illum peruertisse filium. Voluit tandem mecum ipsa rem conficere: Conciones frequentat; & si quid contra Catholicos dictum fuisset ad me defert, & conatur suadere: inuitat ad audiendam concionem, pollicetur locum in templo secretũ, sermonem futurum de rebus quæ aures meas non offenderent; lanam offert quâ aures obstruam modò velim vel semel interesse. Vt vidit immotum, rursus ad lamenta se conuertit: Nihil ergo facies mei causa, Fili? Ego vestra adirem templa, audirẽ sacra, neque tamen arbitrarer me quidquã conscientiæ meæ nocituram. Hoc omnes Doctores nostri facerent: Tunè prudentior? Ego pro te in die Iudicij stabo, pro te respõdebo. Conscientia docet colendos esse parentes, tu illos negligis: Multiplicas preces quasi non possis sine illis saluari; Colis imagines, cùm Deus solus sit colendus: si tamen vis mecum domũ redire, hæc omnia tibi permittam; tecum orabo, tecum ieiunabo, & tuo nomine eleemosynas quas voles distribuã. Nihil horum te mouet? ò infelicem matrem &c. similibus enim centies repetitis me à mane ad vesperã fatigat. Malunt me Carcere perpetuo teneri quàm vt exul proficiscar, quò conspectu meo liceat frui; Hoc agunt apud concilium Regium, & Iudices; oblatâ etiam pecuniâ flagitãt: Illi annuunt, modò velim interesse cõcioni, vel iusiurandum recens cõpositum iurare. Ego offero me cocionanti ad futurum, modò liceat mihi confestim eodem loci de sublimi verba ad populũ

facere

facere: Non placet: Frequentes interim me adeunt Pseudo-Euangelij Ministri: Nullum enim doctrinâ insignem præteribant parentes quem ad me non adducerent; Dominus dedit os & sapientiam, quibus & opponentium rationibus, & audientium expectationi videbar fecisse satis.) Hæc ille ad *Claudium*. Tum exul primum, deinde redux in Angliam post annorum aliquot labores Professus quatuor votorum duodecimo Maij anni sexcentesimi vigesimi secundi, non diu superfuit. 1609.

X. Eo fere tempore quo hic in exilium pulsus alias sedes quærere iussus est; *Guilielmus VVright* Anglicanæ Missioni additus est ex Germania Superiore. Natus Eboraci, & artibus quibus liberales doctrinæ continentur instructus, Auunculi Sacerdotis operâ Rhemos transmissus, aliquanto post tempore Romam profectus, in Societatem cooptatus est, octauo Decembris, anno seculi quingentesimi octogesimo primo: Dum peracto Tyrocinio humanioribus repetendis, & Logicæ deinde inchoandæ admouetur, incommodâ vsus valetudine, mittitur Viennam Austriæ. Isthic feliciter confectis studijs, bis Philosophos explicuit, ac tertio Græcij Stiriorum; Tum etiam Theologos totidem fere per annos: Vtrobique Sodalitati Beatæ Virginis Annuntiatæ dirigendæ Præfectus, Ferdinandum secundum frequentem habuit auditorem, qui in omni vita beneficij memor non minus absentem per literas coluit quàm præsentem perorantemque coluerat. Doctor Theologiæ renuntiatus, & quatuor nuncupatis votis, anno sexcentesimo secundo Alphonso Carillo earum Regionum Prouinciali iunctus est socius. Sed cùm sublatis dispersisque per temporum iniquitatem viris in nostra Missione claris, vndique conquirerentur qui eorum locum cum dignitate implerent, *Personius* literis *Claudij* Generalis munitus, *Guilielmum* ab extetis ad domesticos labores auocat, & in Angliam destinat. Vix octo menses consuetis nostrorum occupationibus impenderat, indicio nescio quo proditus capitur, & in Arcem Londini compingitur. Reintellecta, Salisburius Comes Præfecto Arcis renuntiat non esse hunc hominem qui se regni Reipublicæue rationibus misceat aut eo loco tenendum; mitteretur potius ad Episcopum, Doctumue quempiam cum quo de Religione decernat. Richardus Bancroftius per eos dies in Archiepiscopi Cantuariensis iura intrauerat, (vir austerus & rigidus) hic post breuem de Religione sermonem, ducendum tradit ad Album-Leonem cum mandato vt ne cuiquam adeum pateat aditus. "Id mirum est (inquit *VVrightus*) Ego enim à viginti iam annis familiariter versatus sum cum similis vobis sectæ hominibus, neque vlla vnquam intercessit offensio: Nunc in Patriam redux, ab omni arcear commercio? Durum id quidem; ed si ita fieri necesse est, on repugno.) At viri comitas & existimatio doctrinæ pluribus aperuit aditum, non ad eius solius præsens, sed ad plurium solatium sempiternum. Eodem carcere tenebatur Pseudo-verbi-Seminator, sed de concione postulatus pronuntiatâ contra Ministros coniugatos; Hic fidelem se obtulit & præstitit interpretē, siue literæ essent vltrò citroq; mittendæ, siue quidpiā aliud amicis significandum.

Guilielm. wright ex Germania in Angliam traijcit.

Capitur, & Ministros duos conuertit.

1609. Ita Deus in se sperantes nunquam destituit, & fidum interpretem præmio inexpectato donauit: Nam abdicatâ quam habebat Ecclesiasticâ possessione, Catholicis se adiunxit. Alter quicum ante captiuitatem fuerat ei consuetudo, vt intellexit teneri captiuum obtulit ei, si posset euadere, domum Cătabrigiæ, in qua tuto lateret, & ad præsens subsidium florenos quinquaginta. *VVrightus* memor Religiosæ modestiæ recusatâ pecuniâ, & actis humanè gratijs, " De domo, inquit, ve vides prouidit Rex; si verò migrandum mihi sit extra Insulam non deerunt viginti in quibus humanissimè recipiar; tu cùm vxore onereris & liberis, & domum & pecuniam habes ad vsus vitæ magis necessariam; Neque deerit mihi argentum & aurum in Dei Prouidenta conquiescẽti.) Valuit ea moderatio & frequentior de vera fide sermo ad hunc etiam deuiantem in rectam viam traducendum. Neque cum vllo genere hominum libentius disceptabat quàm cum huiusmodi sciolis, qui vel experiundi causâ, vel suæ ostentandæ scientiæ accedebant; Cùm enim non magno negotio quàm leuiter tincti, quamque essent impares ad propugnandum, refutandumue quod suscepissent ostenderet, vel ipsimet, vel certè assidentibus suadebat non tam facilè credendum Magistris qui quæ tenerent tueri non possent.

Grassabatur per id tempus Londini pestilentia, à qua nec carcer immunis fuit; eo in discrimine cùm surdas Bancroftij aures frustra pulsasset postulans migrationem, ad ingenij artes conuersus, clauis effigiem quâ Carcer claudebatur conspirantibus pluribus in argilla vel cera adumbratam tradit noto aurifici ferro effingendam, & arte propitia elabitur, custode ex industria ad tabernam auocato. Inde procul Londino in Leceſtrensem Prouinciam semigrans, illius residentiæ iecit fundamenta, rexitque per annos duodecim, magna cum animi moderatione; nec interim à laboribus, solitisue Societatis Ministerijs cessauit, docendo, exhortando, confirmando Catholicos, heterodoxos quâ verbo, quà libris scriptis refellendo. Multos sane mouit admiratio videre hominem extrema penè ætate, plurimæque literaturæ, qui in celebrioribus Academijs Philosophos Theologosque explicarat, ad Abecedarios pueros, & infima Rudimenta descendere, in his totos dies versari, hæc sedulo docere; id quod non libenter solum sed cum voluptate quadam & hilaritate faciebat: Denique eo in munere consenuit: Nam famulum qui postremis annis illi ministrabat, rudem & impolitum, rudimentis imbuit Latinæ linguæ, & id muneris non nisi cum vita deposuit. Decennio prius quàm è viuis discederet Asthmate tactus, (quod pulmonum vitio, & pituitæ grauedine in Orthopnoïam degenerauit cum perpetuo vitæ periculo) palæstram habuit virtutis amplissimam, Medicis affirmantibus subitanea morte in Asthmatis paroxismo extinguendum. Sed effecit vir solertissimus quâ quotidiano Missæ Sacrificio, quâ precum assiduitate, quâ sui inspectione, & mortis ipsâ memoriâ, vt nè mors illi subita aut improuisa accideret. Toto enim decennio inter acerbissimos quos patiebatur dolores, rarissimè Sacrosanctum Sacrificium; aut statas preces intermisit. Patientiæ vero argumenta fuere plane admiranda;

etenim

etenim licet quotidie propemodũ grauissimis accessibus vrgeretur, vt præsentes terreret doloris acerbitas, non æqualiter solũ constanterq; ferebat, sed & lepore aliquo condiebat singula, nihil ore frequentius versans quam, *Da patientiam Bone Iesu, & amorem; auge pœnam & dolorem: Deo gratias; infinities in infinitum, Deo gratias.* Accessit ad meritorum cumulum postremis mensibus calculi dolor, qui Religiosum hunc militem, multâ sui victoriâ, multis patientiæ, caritatis, fidei, aliarumque virtutum actionibus nobilem sustulit ad decimum octauum Ianuarij diem, Romanæ Petri Cathedræ Sacrum, (quam Cathedram summo studio semper defenderat) sub decimam matutinam, postquam Canonicum Officium persoluisset, Coronam Virgini Matri obtulisset, & Psalterium *Iesu*, Litanias, aliásque preces recitasset, solitâ mentis serenitate nemini vicinæ mortis suspicionem faciens. Paranti se cuidam ad Missæ Sacrosanctam oblationem; *memento mei*, inquit, *ad altare*; Quæ fuere illi vltima verba. Nam subitò in deliquium incidens, Extremâ vnctione munitus placidissimè obdormiuit, Anno seculi sexcentesimi trigesimo nono; ætatis septuagesimo nono, Societatis sexagesimo. Quoniam inter acerbissimos dolores mentem in vna re qualibet licet pia figere non dabatur, proposuit sibi quasdam quasi coronulas breuium aspirationum quas interdiu noctuq; vel Latinè, vel vulgari idiomate percurreret, & asperitatem cruciatuum mitigaret; Quarum exemplar hic adscribere non erit inutile. Loco orationis Dominicæ, Verbi gratia, recitabat Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto, Sicut erat &c. Tum.

1609. In vltimo morbo patientia & exercitia.

Precandi breues formulæ.

Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis. Decies.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis. Decies.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis. Decies.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis. Decies,
Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis. Decies.

Repetito ad singulas decades Gloria Patri.

Eodem modo distribuebat in Classes Angelos omnes & Sanctos: Incipiendo à Beatissima Virgine.

Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ. Amen,
Omnes Sancti Angeli intercedite pro nobis. Decies.
Omnes Sancti Archangeli. &c.
Omnes Sancti Principatus, &c.
Omnes Sanctæ Potestates, &c.
Omnes Sanctæ Virtutes, &c.

Tum de reliquis aliam. Omnes SS. Dominationes, omnes Sancti Throni; Omnes Sancti Cherubini: Omnes Sancti Seraphini: Omnes Sancti Spirituum ordines. &c.

Aliam deinde Patriarchis & Prophetis & cæteris per ordinem Litaniarum Sanctis.

1609. Modò sententiâ aliquâ in similem ordinem distributâ se solabatur; vt loco orationis Dominicæ,

Per vulnera Christi deleantur nostra delicta.

Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Decies.

Da patientiam Domine & amorem, auge pœnam & dolorem. Decies.

In die Iudicij libera nos Domine. Decies.

Benedicam Dominum in omni tempore. Decies.

Infinities in infinitum sint Deo gratiæ. Decies.

Et pro Defunctis. Millies, millies requiem æternam dona eis Domine.

Tum. Et lux perpetua luceat eis: Quinquagies.

Interiectis ad singulas Decades, millies &c.

Cuiusmodi precum formulæ numerantur in eius Autographo plusquam viginti; quò & varietas pareret oblectationem, & breuitas acueret attentionem. Quæ si cuiquam videantur pro tanti viri grauitate exilia, sciendum est Deum benigno semper oculo humilia respicere, & sublimiora cui vult & quando vult donare: Et huiusmodi orationes breues, vt est in Prouerbio, cœlos tanquam iacula penetrare.

Robertus Iones Superior post Holtbeyũ.

XII. In missionis per Angliam curas Anno sexcentesimo nono successit *Holtbeyo*, *Robertus Iones* Salopiensis, Is qui Romæ in Societatem adoptatus alterius seculi anno octogesimo secundo, post studia sublimiora in Societate decursa, fertur Philosophos in vrbe triennio explicuisse. Vir Mariæ partibus potius quàm Marthæ deditus. Itaque sedente illo ad clauum, onus agendarum rerum *Richardo Blondo* plerumque velut administratori incubuit. *Robertus* in communes literas ea digessit quæ ipse experientiâ magistrâ didicerat, & à nostris obseruanda existimarat, quas hic recitasse è re nostra futurum arbitror: sic enim ait. Tertius iam agitur annus ex quo onus hoc meis viribus longè dispar subiui: Non igitur ab officij mei ratione alienum videbitur si meam in onere portando incuriam ijs (quibus pro modulo meo possim) modis redimere iam tandem & compensare nitar. Cogitanti mihi quâ viâ quoúe modo hoc præstare possem, id oppotunè occurrit vt ex ijs quæ in hac messe experientiâ iam didiceram, Religiosa nostri instituti placita, & pia Superiorum monita, de integro tam mihi quàm cæteris laborum Socijs sub eodem vexillo militantibus ardentius sequenda & accuratius obseruanda proponerem. Eo quidem magis hoc in animum induxi meum, quo Socios indies multiplicari, longis terrarum tractibus disijci & disiungi, persecutionis acerbitatem augeri & reerudescere animaduerto: Vnde fit vt à frequenti Superiorum accessu, & à solitis illis cohortationibus & colloquijs, quibus non rarò olim Patersamilias, & tota simul familiola sese mutuo iuuabant, nunc (prò dolor) iniuriâ temporis interdicantur: Id hac tempestate non permittitur

Eius literæ ad nostros

quod

quod tunc operariorum paucitas tolerabat, & aduersariorum conatus non tantopere retardabat. Quamuis autem singulari Patris nostri de nobis curâ præfecti rerum spiritualium sparsim pro locorum opprtunitate sint constituti, & nemini necessarius ad superiorem priuatim negetur aditus, cùm tamen ex præsenti rerum statu adeo turbulento, & ex omni parte periculoso, in magnas redacti simus angustias, multisque iam priuemur adminiculis, perneccssarium est vt quisque sibi summa quadam solicitudine ac vigilantia inuigilet, & se tui officij solertem censorem, iustumque suarum actionum iudicem coram Deo suo constituat; vt hac ratione quasi purgato mentis oculo, quid statuendum sit facilius deprehendat, ad sua munia persoluenda commodius se accingat, & ad superna præmia capessenda vehementius anhelet: sed vt hoc optabilissimum ministerij nostri scrutinium rectè fiat, dirigi debet ad propositam nobis viuendi normam, quam in disciplinæ nostræ sanctionibus seruandis, & moderatorum dictatis exequendis consistere inter nos tam liquidò constat, vt superuacaneum sit hoc vllis confirmare rationibus. Itaque vt hanc laudatissimam suipsius quisque rationem ineat, suorumque progressuum verus indagator existat, satis erit Patris nostri literas paræneticas, antecessoris mei temporibus ad nos scriptas, studiosè reuoluere, & sagaciter trutinare; Cum enim ad particulare huius Missionis bonum de industria dirigantur; & ad omnia pericula interius exteriusque vitanda aptissimè designentur, in illis profectò tanquam in speculo contemplari licebit quales simus, & quales esse debeamus. Vt autem maiori cum fiducia, alacritate, expectatione bonorum euentuum, ad ea ritè perpendenda & efficaciter adimplenda, quæ in ijs literis de virtutibus maximè necessarijs dicuntur accendamur, hæc pauca experimentis comprobata subiungam. 1609.

XIII. In primis quod attinet ad caritatem & animarum zelum, comperi specialem quandam Dei Prouidentiâ erga eos inquibus horum cælestium charismatum sincerus feruor & defæcata virtus, absque vllâ terrenæ corruptionis & mundanæ caliginis admixtione viguerunt. Hos in medijs pressuris summisque discriminibus constitutos, multi Orthodoxi angustiati etiam & afflicti expetere, alere, fouere consueuerunt. Horum industriâ, vel potius ad hos (vt plurimum quidem inter pauperes Catholicos degentes, eorumque curam gerentes,) præter omnem spem & expectationem diuersa subinde missa sunt quasi cælitus subsidia, ad plurimorum inopiam sublcuandam, & ad fiduciam in Domino firmiter collocandam. Hi cùm ex intuitu solùm diuini operis quod præ manibus habent negotia sua tractent, proprijs cõmodis non inhiant, superfluitates omnes amputant, curiositates multas, quas circa victũ & amictum mundi dilectores sectantur, parui pendunt, & sic (iuxta Apostolicam doctrinam) forma facti gregis, vbique & in omnibus se accomodant prout eorum necessitas exigit quorum cura illis à Christo Domino demandatur. Hoc siquidem modo omnibus omnia facti vt omnes saluos faciant, efficacius omnium diuinorum diuinissimum perficiunt opus, quod est

Caritas & zelus animarum commendantur.

1609. (vt testatur Beatus Dionysius) in auxilium animarum cooperari Deo. Hoc opus, hic labor erat Dei Filio in terris, hoc vult, hoc sitit, hoc præcipit iam regnans in cœlis: Ad hæc mercimonia coëmenda suæ Majestatis altitudinem ad nostræ mortalitatis ergastulum inclinauit. Non est ergo mirum eos qui per harum excellentissimarum virtutum imitationem Duci suo & Antesignano appropinquant, omnibus esse gratos, omnibus placere, displicere nulli, multisque præterea Diuinæ bonitatis dignationibus insigniri, quæ alijs in ea reformitan incuriosis nimiumque remissis non conceduntur. Quin etiam sæpe accidit vt cùm aliquibus Christi & Sanctorum eius vestigia languidè æmulantibus hæc præsidia cælitus subtrahantur, nullibi propemodum sua sorte contenti sint, atque adeo paucis cordi, multis onerosi, sibimetipsis graues, aliis difficiles reddantur, vt paulatim ad exteriora diffluentes, & transeuntia huius seculi solatiola (in quibus non est requies cordis) quæritantes, perarduum sit Superioribus de illis disponere. Non inficior (quantum ad modum locumque laborandi opportunum spectat) horum dierum difficultatem, Catholicorum penuriam, piorum omnium continuam vexationem, aduersariorum machinationes plurimum impedire quominus quorundam etiam strenuè in vinea Domini laborantium iusta desideria compleantur: At hoc Dei beneficio euenire credendum est, nimirum ad eorum patientiam cumulatius remunerandam, & ad eorundem certamina certius tutiusque probanda: Nam nec hisce incommodis ipsi diuexantur, nec in Prouincia susceptа consternati torpescunt, quin potius per omnia Diuinæ voluntati se conformantes, pro bonis à Deo sibi traditis ad lucrum apportandum desudant. Hinc etiam fit vt qui hac Christianæ dilectionis flamma succenduntur singularem conciliandi sibi animos hominum prærogatiuam habeant, non modò fratrum, domesticorum, amicorum, sed aliorum etiam bono pacis aduersantium, quorum beneuolentiam eâ dexeritate captant vt multos ad meliorem frugem, & ad veram nobiscum amicitiam ineundam reuocent. Operæ pretium sanè est nostrisque constitutionibus consonum vt nostri (præsertim qui in Missionibus distinentur) omnes, quantum in illis est, etiam aduersarios faciant beneuolos, suisque conatibus adstipulantes: sic enim primùm expectatus ad plures Christo lucrandos aditus patefiet; Deinde succedet proxima dispositio ad caritatem illam vniuersalem amplexandam, quam particulari præferendam esse monet B. P. *Ignatius*; Denique ex hoc dilatato corde, ex hac generali dilectione erga omnes Christi sanguine redemptos, solidabuntur mutuus ille inter nos ipsos amor & vnio quæ nobis summopere commendatur, & sine quibus Societas nostra nec regi nec conseruari potest. Pro huius confirmatione audite B. P. *Ignatium* dictantem, præcipuum vinculum ad membrorum inter se & cum capite suo vnionem, esse amorem Dei, cum cuius diuina ac summa bonitate si Superior & inferiores valde vniti fuerint perfacile inter seipsos vnientur; idque per eundem illum amorem fiet, qui à Deo descendens ad omnes proximos ac peculiari ratione ad corpus Societatis pertinget.

Verùm

Verùm sicut Diuinus hic amor multum confert ad vnionem, ita è contra sui ipsius Amor (vt idem B. P. affirmat) grauissimus huius vnionis & boni vniuersalis est hostis. Quàm verò perniciosa sit & ab omnibus vitanda hæc vnionis tinea, vel ex eo colligitur quod in magnum proximorum damnũ vergat, quorum æterna salus, quæ post propriam perfectionem & salutem nobis vt finis proponitur, sine hac charitate & perfecta in omnibus cohærantia difficillimè procurari poterit; Et vt omittamus ea quæ huius rei gratiâ in nostris legibus & institutionibus toties inculcãtur, hæc ad hanc messem spectantia ab vsu quotidiano cognita breuiter adijciam. Noui multos Catholicos, eosque prudentes, noui multos Dominico gregi nondum aggregatos, à fide tamen & pietate non auersos, qui nobiscũ potius tractare quàm cum cæteris ob id potissimum se malle fatentur, quoniam in iudicijs cõsensionem, in consilijs pulchram quandam inter nos harmoniam percipiunt, & ideo tutius se, sibi, suisq; rebus, tam caducis quàm in æternum manturis consulturos existimant, si sub firmis huiusmodi, & quasi à Deo stabilitis, vt putant, auspicijs gubernentur: Nec defuere Hæretici, alioquin cordati, qui ijdem rationibus ducti asserere non dubitarunt, si vnquam contingeret vt Papistæ fierent se cum nostris solummodò acturos: Huius prædictionis felicem euentum multorum probat conuersio nostrorum operâ per Dei gratiam procurata. Sed illud est maximè admirandum quod nostræ Societatis homines à pluribus Catholicis penitus ignotis, nullaque prorsus priori intercedente cõsuetudine, per solam speciem exteriorem dignoscantur, nempe per modestiam, Religiosam conuersationẽ, colloquia sale conditâ, per Sacrosancti sacrificij vniformem celebrationem, & alia huiusmodi indicia: vt verissimum sit illud B. P. Nostri Elogium, conformitatem scilicet nobis tum in interioribus tum exterioribus esse valde necessariam. Missis exterioribus, quę per se nota sunt, & (si interna salua ac sana sint) à rectitudine vix aut raro deuiant, hæc de interioribus intimanda iudicaui. 1609.

XIV. Non vos latet quàm medullitus mentes nostras penetrare & possidere debeat illa Beati Pauli ad Timotheum exhortatio, quâ monet, vt *fidelem sermonem, doctrinam sanam, verbum irreprehensibile* amplectatur. Certè (nisi mea me fallat opinio) *verbum* hoc *irreprehensibile*, non tam Beatissimo Timotheo, talis tantique Magistri discipulo, & Dei spiritu edocto fuit necessarium, quàm nobis hîc laborantibus, vbi lux veritatis densissimis tenebris obuoluitur, nè videlicet, (vt asserit idem Apostolus) *velut paruuli fluctuemus & circumferamur omni vento Doctrinæ, in nequitia hominũ, in astutia ad circonuentionẽ erroris*. Scitis quot nouitates, suspiciones, vanitates, errores, offendicula, nonnulli circa Hæreticorum Ecclesias frequentandas, concionesque audiendas, & prophanum illud infidæ fidelitatis iuramentum sparserint; scitis præterea quàm libenter quidam alij quosdã ex nostris harum macularum vnâ vel alterâ cõspergere voluerint; adeò vt ij qui talibus impostoris impetebantur nõ sine difficultate & molestia sese ab illis extricare potuerint; Et verosimile est quasdam suspiciones circa iuramentũ illud in quas domestici quidam

De Contentione in opinionibus.

1609. adducti sunt fuisse subortas, vel ex amore amicorum inordinato, vel potius ex præcipiti, & minimè approbata eorum commiseratione, nè suis spoliarentur facultatibus, vel certè verbis incautè dictis quæ ad prauum sensum poterant detorqueri. Absit autem à nobis vt aliter hominibus placere studeamus, quàm honor *Iesu* Christi, & inuicta veritas præmonstant, *si hominibus placerem* (ait Apostolus) *Christi seruus non essem.* Quocirca (Patres fratresque dilectissimi) cùm Regnum hoc afflictissimum innumeris abundet corruptelis, & diuersæ insidiæ nobis tendantur, omniumque oculi & aures in nos potissimum conuertantur, ita *in omnibus* (præsertim in doctrinæ sanæ puritate seruanda) *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros*, vt vniuersis ad salutem æternam via plana præparetur, amicis calcar ad iter alacriter arripiendum addatur, inimicis nullum obijciatur offendiculum. Et vt hoc quod ad doctrinam pertinet facilius exequamur, pauca adhuc attexam, nè fortè subrepat inter nos iudiciorum diuersitas, quæ fraternam violet vnionem, & debitam minuat subordinationem. Obsecro igitur vos, & secundum eam potestatẽ quæ mihi omnium indignissimo concessa est, fraternè moneo, vt quæ vel a Sede Apostolica, vel à Patre Nostro Generali statuta & stabilita sunt, nobisque in hoc emporio negotiantibus commendata, integra prorsus & inuiolata ab omnibus seruentur, neq; vlli nostrûm liceat illas aut alias id generis præscriptiones, à propria & germana significatione ad peregrinos & sinistros sensus inflectere. Ab alijs verò paradoxis, nouisque dogmatibus quæ magni momẽti sunt & singularitatem sapiunt, & quæ deprauatis hisce temporibus magis ac magis disseminantur, omninò cauendum est, nec vlterius in ijs progrediẽdum quàm à tribus vel pluribus (si commodè fieri possit) ex grauioribus & doctioribus Patribus maturè rem totã perpendentibus permittitur & cõprobatur. Hinc profectò sperandũ est, vt sicut hactenus per hanc agglutinationem affectuũ & sententiarũ pro Dei gloria amplianda conspirantiũ res nostræ, licet initio parcæ, à Deo tamen secundatæ in immensum creuerint, ita in posterum Deo ijdem pijs conatibus fauente, nobisque eandem morum similitudinem Deo nostroque Instituto consonam prosequentibus minimè dilabantur.

De oratione. XV. Iam verò vt de oratione aliquid dicam; nemo est qui nesciat, quantopere nobis in agone, licet glorioso, periculoso tamen, certantibus, flagrans ac sedulum requiratur orationis studium; Quo nempè hinc necessitates, miserias, defectus fragilitatis humanæ perspicuè cernimus, illinc Dei clementiam ad subueniendum paratissimam confidenter intuemur, quo etiam diuinam eius sapientiam de rebus gerendis consulimus qui non fallit, eius imploramus auxilium qui implorantibus dexteram porrigit, quo etiam eius consortium affectamus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera; quo deniq; ad eius amorem citius inflammamur, ex quo tanquam ex vberrimo omnium bonorum fonte bona omnia dimanant, & de quo (vt ait B. Gregorius) est singulare mandatum, quia quidquid præcipitur in sola caritate solidatur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non maneat in radice caritatis. Quid plura? Cùm tantis iactemur fluctibus, tantis premamur angustijs, tot

encruemur

eneruemur distractionibus, cumque corpus quod corrumpitur aggrauet animam, quàm auidè ad tranquillam Orationis Stationem contendere debemus, in qua ad animam corporis rectricem spectat interiori iudicio (vt ait Sanctus Leo) ab incōuenientibus exteriora frenare, vt à corporis cupiditatibus sæpius libera, in aula mentis possit diuinæ vacare sapiētiæ, vbi omni strepitu terrenarū silente curarū, in meditationibus Sanctis, & in delicijs lætetur æternis. Ex animo fateor meipsū aliosq; nonnullos in hoc Sancto exercitio elanguentes à recto nonnunquam negotiandi modo deflexisse. Vigilemus ergo & oremus præcipiente Domino ne intremus in tentationem, non quamcunque, sed eam quæ superat nostras vires, & quæ plerumque ob magnam erga benignissimum Dominum ingratitudinem, nimiamque in Dei seruitio oscitantiam permittitur, & multoties ita ingeminatur, vt stellæ, quæ ad primi mototis motum non mouentur, de Cœlo quandoque cadant. Nostis verborum sensum; nostis & exemplum, quod eo magis est metuendum, quo pluribus experientijs instruimur stellam è Cœlo inter mundana periplemata cadentem ab omnibus pro omnium peripsemate reputari. Tanti casus, tantæque ruinæ originem ostendit B. Basilius cùm inquit, A Religionis instituto quidam fere deficiunt; causæ sunt istæ: vitiorum intemperantia, laborandi fuga, (adquam reducitur orationis neglectus) iudicij corruptela, cordis instabilitas. Cæteris omissis, laborandi fuga nobis ad hunc laboris locum destinatis est multum formidanda: Institutum nostrum postulat magnos labores; Otium philautiæ mater est, vitiorum nutrix, heroïcarum virtutum nouerca, Religiosæ disciplinæ remora, seruoris erugo, ad omne malum propensio; non igitur torpeamus, nec huc illuc sine causa cursitemus; addamus orationi requisitos cum discretione labores; non prætermittamus vtilissima bonarum, maximè vero sacrarum literarum studia, nè tenebris ignorantiæ meritò reprehendendæ inuoluamur: Mariam à Martha non separemus, vt dignum Domino hospitium præparemus. 1609.

XVI. De votorum obseruatione (cùm in ea vt P. N. asserit, totius Religiosæ vitæ summa consistat, & quanti momenti sit omnes intelligant) parum aut nihil videtur esse dicendum. Illud de paupertate colenda annectam, Primò; Non est Euangelicè pauper (teste Sancto Hieronymo) qui post diuitias relictas saluatorem non sequitur; id est qui relictis malis non facit bona; facilius enim, inquit, sacculus contemnitur, quàm voluptas: Nouimus multiplices mundanæ voluptatis illecebras; Sed audiamus eundem Sanctum Hieronymum euanescentes respuentem voluptates. "O quanta, inquit, beatitudo est pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris semper viuentia, & habere Dominum debitorem.) Deinde (id quod omnibus notum est) frequenter recogitetur, non eum qui nihil habet esse vere pauperē, sed qui nihil habere desiderat. Vt enim docet S. Gregorius," quisquis pro Dei gloria temporalia veraciter contemnit, & hīc perfectionem mentis recipit, vt iam ea non appetat quæ contemnit, De votorum obseruatione.

1609. & in sequenti seculo ad æternæ vitæ gloriam peruenit, & sic centies recipit quòd dedit, qui perfectionis spiritum accipiens terrenis non indiget, etsi hæc non habet: Ille autem pauper est qui eget eo quod non habet, nam qui & non habens habere non appetit, diues est: Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis:) Hæc dixerim ad viam maximo proprietatis malo præcludendam, à quo si Dominus huc vsque nos pro sua pietate immunes custodierit, præcauendum tamen est nè ob plurimas & particulares huius loci difficultates, tésim ac pedetentim proserpẽs ille cancer Dei seruos inficiat. Non desunt exempla quamuis non domestica, quæ in hoc Apostolico commercio indignissimum quoddam Monopolij genus sapiunt, & lucrum temporale respiciunt. Conteramus huius serpentis caput cuius sibilus eò tendit vt alios rectè ambulantes (fortasse etiam fratres) ad nostrarum occupationum loca ventitantes grauatè aspiciamus, & forte pertimescamus nè alieni robur nostrum comedant, auctoritatem minuant, merces distrahant, quasi bona nobis dispertita, id est, animarum lucra, non essent Christi sed nostra. Quibus absurditatibus si ob respectus humanos aures arrigamus (quod absit) ìtatim ad nos perrumpet formidolosus ille, de quo loquebar, coluber, vt nos proprietarios efficiat: Quod quàm periculosum sit ostendit Sanctus Basilius, quia scilicet corrumpit disciplinam, est signum diffidentiæ de Dei Prouidentia cui se Religiosus commisit, est dispositio ac præparatio vt quis meditetur disiunctionem à cæteris, & proinde dispendium animæ, exemplo Iudæ, qui communem vitam fastidiens obolis priuatis fecit iacturam animæ.

De vestitu. De vestitu nobis iuxta locorum ac personarum circumstantias conuenienter satis à Patre Nostro dictum est; Illud addam; debere nos esse valde cautos, nè in vsu alicuius vestitus, etiam decentis, ex affectata quadam elegantia nimis compti ac politi à Catholicis censeamur. Notamur, mihi credite, in paruis, quanto magis in magnis. Nunquam audiui discretum paupertatis rigorem vllis displicuisse, sed placuisse potius; excessum verò circa victum & amictum etiam in minimis offensionis ansam præbuisse cognoui.

De Castitate. Ad Castitatem in sua Angelica puritate seruandam vehementer exopto vt omnes particularia documenta huc spectantia, & in literis Patris Nostri appositè præscripta, iterũ atque iterum recogitent, & accuratè executioni mandent; Et quidem si in hoc præclaro & in alio non absimili luctamine de carne, mundo & diabolo victoriam reportare cupiamus, nostræ partes erunt occasiones omnes vel minimas cuiuscunque leuitatis deuitare, de nostris viribus non præsumere, Diuinæ gratiæ (cum qua nostra requiritur cooperatio) totum tribuere. Cassianus de hac re præclarissimè loquitur. " Certos (ait) nos esse conuenit quod licet omnem continentiæ districtionem, famem scilicet ac sitim, vigilias quoque & operis iugitatem, atque incessabile lubeamus studium lectionis, perpetuam tamen castimoniæ puritatem horum laborum merito contingere nequeamus, nisi in his iugiter deludantes experientiæ magisterio doceamur, incorruptionem eius Diuinæ gratiæ largitate concedi. Ob

hoc

hoc sanè solummodò se vnusquisque infatigabiliter perdurare debere cognoscat, vt per illorum afflictionem misericordiam Domini consecutus, de impugnatione carnis ac Dominatione præpotentium vitiorum Diuino mereatur munere liberari. 1609.

De obedientia, cuius efficacia exploratissima est, satis sit cum Beato nostræ Societatis Parente insinuasse, eam solam esse virtutem, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit. Et Diuus Augustinus; Obedientia commendata est in præcepto; Quæ virtus in Creatura rationali mater quodammodo est, omniumque custos virtutum. Nec prætermittatur illud Diui Bernardi, virtutem nempe Obedientiæ supplere vices discretionis, quæ Mater, inquit, Virtutum est, & consummatio perfectionis. Nobis verò quàm necessaria sit hæc discretio, ex eo apertissimè constat, quia sine hac fieri non potest vt ad tot vanitates & insanias fallas ante oculos positas non respiciamus. De Obedientia. Gregorius Augustin. Bernardus

XVIII. Hæc in præsentiarum dixisse sufficit, quorum omnium Sanctus Thomas, Angelicus ille Magister, commodissimum indicat nobis compendium; & vtinam sicut sibi petita obtinuit, ita etiam nobis petitionis suæ salutarem consequatur effectum." Da mihi, dicebat, ille, Domine Deus, cor peruigil, quod nulla abducat à te curiosa cogitatio: Da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; Da rectum, quod nulla obliquet sinistra intentio; Da inuictum, quod nulla frangat tribulatio; Da liberum, quod nulla sibi vendicet peruersa & violenta affectio.) Ecce quomodo ex corde peruigili reijcitur omnis nociua singularitas, expellitur omnis curiosa inuestigatio, tam in intellectu quàm in affectu in pernicem animæ tendens, vt nec *sapiamus plusquam oportet, sed vsque ad sobrietatem*, nec velimus aliquid in terris nisi *prout voluntas fuerit in Cœlis*. Cor nobile non serpit humi, non prolabitur deorsum, sursum dirigitur, *quæ sursum sunt quærit, vbi Christus est in dextera Dei sedens*; Non diligit mundum, aut ea quæ mundi sunt, *quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*; Illa ergo affectio indigna est nobili corde quæ cælestia deserens immergitur mundo *qui transit vna cum concupiscentijs suis*. Verùm nè cordi vigili & excelso promerita denegentur præmia, nulla debet interuenire deformis obliquitas, quæ tam eximiam nobilitatem efficiat degenerem; Exigit præterea tanta animi generositas, vt & à nulla aduersitate superabilis, & à peccati seruitute sit libera, nempe *ea libertate quâ Christus nos donauit, & liberauit à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei*, contra quam nulla prævalebit aut peruersa affectio, aut violenta tentatio: In omnibus enim sperandum est *propter eum qui dilexit nos*. Christus *Iesus*, cuius dulcissimo nomini, & deuoto famulatui nos totos vitalque nostras deuouimus; hanc nobis animi magnitudinem & perfectam libertatem tribuat, virtutesque de Cœlo ad ea omnia præstanda suppeditet, quæ ad eius gloriam promerendam, & felicissimum ipsius Regnum acquirendum nobis alijsque pluri mis S.Thomas.

1610. sufficiant. Quod optat Omnium in Christo seruus *Robertus Iones.*

Anno quarto postquam ad Missionis gubernacula accessisset, traditâ *Michaëli Walpolo* administratione, à quiete quam hic adamauerat, translatus est ad æternam, anno eius sæculi decimo quinto, non multum quinquagenario maior, professus quatuor votorum Anno tertio.

Varij iniuriâ aspersi Coniurationis calumnia.

XVIII. Vt astra crinita (quæ Cometæ vocantur) magnarum habentur calamitatum prænuntia, quas deinde vel in Principes viros, vel in Regiones integras tanquam de Cœlo depluunt, ita fatalis illa stellarum errantium conspiratio quæ homines innocentissimos, *Garnettum, Gerardum, Oldcornum, Tesimondum* visa est inuoluere calumniantium malitiâ, iniquissimâ suspicione plures afflauit viros in Societate vndequaque probatissimos, *Guilielmum Balduinum, Ioannem Perceyum, Nicolaum Hartum, Thomam Strange*, aliosque; Non ad calamitatem quæ diuturna esse posset inferendam, sed ad eam quæ semper duratura esset immortalem nominis meritorumque gloriam amplificandam, quorum meritis describendis reliquus hic liber deseruiet.

Guilielmus Balduinus.

Guilielmus Balduinus Cornubiensis, in primis bonarum literarum rudimentis addiscendis *Ioanni Cornelio* Martyri collega, postquam quinque annos ijsdem perficiendis in Oxoniensi Academia posuisset, Rhemos, deinde Romam profectus Philosophis Theologisque dedit operam in Anglicano. Ex quo sacris initiatus in Societatem cooptatus est anno sæculi decimi quinti nonagesimo; & anno vno ad Diui Petri vixit pœnitentiarius. Incommoda vsus valetudine missus in Belgium, morali Theologiæ explicandæ adhibitus est aliquamdiu Louanij; Tum vocatus in Hispanias (quò ab Anglis maria infestantibus securius nauigaret) mutata veste mercatorem Neapolitanum simulans sub nomine Octauij Fuscinelli parat transfretare. Non est id tam tectè dispositum vt quadruplatores quos per omnia loca Magistratus Hæreticus seminarat odorem non acciperent Iesuitæ iter quopiam parantis; quem à Bruxellensi ciuitate Audomarum vsque secuti, cùm certius quidpiam odorari non possent, iuuenum quorundam eo ex Seminario in Hispanias traijcientium iter maritimum indicant, & suspicari se *Balduinum* Iesuitam vnà vehi habitu mentito. Nauis Regia Oceanum obsidens Dunkercanæ non difficulter potitur & vectorum; securi nautæ de Iuuenibus tentant quid sit de Italo Mercatore; Modò dormientem suscitantes alloquuntur; modò nomine appellant, *Balduine* caue; modò subornant è nautis quempiam qui occultam de nocte exsecensionem polliceatur acceptâ pecuniolâ; Ille ad omnia surdus, vel nihil respondebat, vel Italicè rogabat, quid (malum) vellent? Comes Notinghamius rei maritimæ per eos dies Præfectus, adolescentibus ad Cantuariensem missis, *Balduinum* liberaliter habet domi suæ, donec quid Regius Senatus statueret perferretur. Lustrati Palatium ostenditur Christi effigies Cruci affixi viuis expressa artificiosè coloribus: Dum hanc plures è familia vnà contemplantur, vnus quispiam ex stipatoribus rogat quid hoc rei esset? Respondetur ab astante quopiam esse Christi in Cruce pro nobis morientis imaginem: Christi

In itinere Hispaniensi capitur.

morien-

morientis est ista imago? reponit stipator non iniuratus; At ego Christum 1610.
semper existimaui collo sicut apud nos suspensum obijsse mortem. Ignorantiam hominis miseratus est *Balduinus*, at vix se tamen à risu continuit, hominem audiens ætate prouectum tam natiuè insciti am suam exprimentem: Senatus decernit captiuum Italum ad Brigittæ fontes mitti custodiendum, & benignè tractari dum quid certius cognosci possit.

XIX. Eodem in carceris cubiculo tenebantur disparis Religionis duo, corrupti-verbi-Minister, & Catholicus qui in quæstione tormentis inferior fassus fuerat aliquid ex quo Sacerdoti erepta est vita. Hæsit hic aculeus in mente tam altè vt noctes dieſque infelicem casum voce lamentabili deploraret, eoque dolentius quòd rursus esset admouendus tormento in quo moriturum se esse præsagiebat: Etenim lictores hi pessimi si quem nacti sunt cedentem propelliere conantur in profundum. Audiebat *Balduinus* lamentantem, & subinde Latinè rogabat Verbi-Ministrum quid esset causæ? nouerat etiam Catholicus Latinè aliquid; itaque solabatur illum vt poterat, hortabaturque ad interiorem pœnitentiam quando Sacramentum deesset, spemque in Deo collocandam. Sed quò dies vicinior in quo ad quæstionem vocandus erat, eò incõsolabilius anhelabat ad Sacerdotis auxiliũ consiliumq; Quid *Balduinus* faceret? si se clam Verbi ministro, nocte concubiâ detegeret vel Anglum esse vel Sacerdotẽ quæ illi securitas hunc ipsum in tormentis non declaraturum: Tum fortè eo in cubiculo, ijsq; cum socijs de industria collocatum se suspicabatur vt hi quis tandem esset indagarent. In alterâ verò partem lachrymæ & lamenta, non iusta solum, sed tam germana videbantur, vt spem facerent integerrimæ sinceritatis. Quærit quam fidei secretique constantiam seruaturus esset si Sacerdotem illi procuraret? Omnem quæ expeti posset pollicetur, ad ipsam Sacerdotis appellationem erigens animum, & non mediocrem ostentans lætitiam: pararet igitur se, & de Sacerdote quærendo suæ fideret industriæ: *Balduinus* spemque metumque inter ancipiti cogitatione distractus, de anima tamen hominis afflictissimi quàm de corpore suo solicitior, noctu adrepit ad cubile; vigilantem reperiens & anxium, aggreditur; Sacerdotem se esse declarat, & quoniam ille pessimè se latinè explicabat, Anglicè alloquitur. Quâ gestiret miser lætitia facilè vnusquisque decernet: Ad confitendum tamen eâ nocte induci non potuit, quod rursus *Balduino* dubitationem attulit non mediocrem. Nocte tamen altera fidelem se præstitit, & ritè expiatus, alacer ad tormenta profectus est, & quemadmodum auguratus fuerat in catasta dilaceratus. Cùm nihil de *Balduino* cognosci posset, commutatione facta cum *Haukino* quodam in Hispania captiuo, dimissus est, vt huius vnius afflicti hominis iuuandi causâ ipse captus videretur: sesquianno mansit in Anglia apud Richardum Cottonum in Hantonienſi Prouincia; Tum euocatus Romam aliquamdiu Ministri munere functus est sub *Mutio* Vitelleschi in Anglicano Rectore: *Holto* deinde successit Bruxellis in Hispanias amoto, Vice-Præfectus Missionis; quem locum ad decem circiter annos cùm tenuisset, magno suæ gentis in ijs quæ ad vtrumque homiem spectant emolumento, significauit *Albertus* Archidux gratum sibi fore si

Iuuat Captiuum Catholicum.

Liberatur.

1610. foresi Bruxellis abesse vellet; Quamuis enim nihil sinistri suspicaretur de *Balduino*, tanta tamen importunitate Thomas Edmundi Orator Iacobi Regis, tantaque frequentatione calumniarum facilè tractabilem Principem fatigabat, vt hanc viam ineundam se cupere demonstraret, quò à tam molesto homine liberaretur, calumniabatur enim consensisse cum conspiratoribus pulueranijs; egisse etiam olim cum Frederico Spinola de Anglia inuadenda; Ingratissimum esse Iacobo Regi, quicùm omni officio certare è re esset Belgicarum Prouinciarum. Cessit *Balduinus* Principis inclinationi, & latuit aliquamdiu Louanij, rerum Cœlestium consideratioñ contemplationiq; mirificè deditus, in quibus ad teneros sensus proclius, & lachrymas, sine istis vix vnquam salutare sacrificium offerebat.

Rursus capitur in Palatinatu migrans Romam.

XX. Incidit interea anno sexcentesimo decimo iter necessarium Romam versus; in quo cùm per Alsatiæ confinia transeundum esset & per Frederici sexti Electoris Palatini Dominia, ab huius militibus in oppidulo non procul à Spirensi ciuitate detentus est; Et quanquam ordinis sui vestem nonnihil & nomen dissimularat, officiosarum tamen literarũ amici ad amicum Mediolani tradendarum indicio, & nomen, & gens, & viri dignitas patefactaest; Mittitur igitur benè catenatus Heydelbergã, gratum futurus Iacobo Regi munus, atq; arctè, & mutatis frequenter carceribus custoditus tandem mittitur in Angliam. Ducebatur Heydelberga Iuliacum, (tecêter ab Hollandis bello captum) modò equo, modò carrucæ insidens, cinctus stipatoribus Germanis duodecim. ingenti constrictus catenâ à collo ad pectus & ad dorsum decussatâ, & circumductâ corpori, à quâ pendebat à tergo altera octodecim pedes longa; vt per iocum diceret opus sibi fuisse (vt viris Principibus) caudatario. Alteram ei manum per interualla permittebant liberam, vtramque nunquam, neque cultri vsum. Iuliaci Anglis Hollando militantibus traditus est; Hi solutâ catenâ, quam tres quatuorue feræ claudebant in totidem milites Germanos distributæ, diligenti septum custodia humaniter habent: Edwardus Cecilius, Salisburij Comitis frater, eâ in statione Præfectus militum suæ mensæ eum frequenter adhibebat, cæteri importuni potius quàm parci nullum humanitatis officium prætermittebant. Viri grauitas in congressu, in sermone prudẽtia, in inculpatæ conscientiæ fiducia iucunda securitas in animis pariebat venerationem, ora soluebat in laudes quibus etiam apud Regem copiosè illum ornauit Ioannes Burlacey ordinis equestris & ductor militũ qui in Insulam comitabatur. Vt ex Tamisi exscendit ad Arcem, occurrens Præfectus Guilielmus Wade (de quo in Sacerdotes non magna fuit vnquam commendatio humanitatis) pollicetur commodè se eum habiturum quantumuis atrocis criminis accusatum: Cui *Balduinus* cùm gratias egisset, "Si verò commodè, inquit, me habeas, id plus est quàm ego expectem; atqui vtcumque acciderit paratus venio.) Quo in loco illud non est prætermittendũ; quibus diebus nũciatum est Regi *Balduinum* appulisse, ijsdem perlatum esse Electorem Palatinum, illum qui vinctum miserat, ex hac vita migrasse: *Ita quæ sub cœlo sunt rarò sunt integra gaudia. Albertus* Archidux vbi intellexit in Arcem tradi-

Moritur Palatinus Elector eo tempore quo Balduinus excẽdit.

tum,

tum, scriptis ad Regem literis repetijt captiuum. Respondit Iacobus, nihil per contumeliam, nihil per fraudem agendum esse; si merito suo liberare se posset ab ea quæ ei tribuebatur consensione pluuiariâ, tum verò remittendum; quàm id non libenter faceret probauit octo annorum captiuitas, quibus nihil afferri potuit quod non declararet innocentem quantumuis in multis & à multis interrogaretur Pseudo-Episcopis & Senatoribus; inter quos Gilbertus Comes Salopiensis coram multis testibus in cœna affirmauit, quantum ex responsis cognosci posset, omnino se arbitrari *Balduinum* à consentione cum conspiratoribus esse liberum. Rex ipse post aulæum auscultans laudabat in responsis prudentiam, pronuntiauitque innocentem; neque displicuit doctrina quam tradidit de potestate Pontificis in Principes, Northamptonio iussu Regis rogante," Posse videlicet Pontificem quibusdam in euentibus excommunicare & deponere Principes; occidere verò, aut iubere trucidari non posse: Etenim cùm Pater sit vniuersalis omnium Principum, pro Paterna in filios auctoritate corrigere non est alienum & punire si inobseruantes & immorigeros se præbeant; non est tamen parentis vitam tollere.) Cecilio in plura extra conspirationis quæstionem vaganti durius aliquantulũ respondit: "Mirari se per tot terræ marisq; amfractus eò loci deductum vt in proditionis grauissimo crimine ex tenuissimis cæcisq; suspicionibus responderet, nunc illo crimine prætermisso de alijs ad rem nihil pertinẽtibus rogari.) Tortuosum enim eius ingenium ex curuo mensus corpore, satius existimauit telam calumniarum sermonis grauitate præcidere, quàm per partes retexere.

1610.

Balduinus habetur innocens.

Eius opinio de potestate Paterna Pontificis in Reges.

XXII. Anno eius sæculi octauodecimo, Didacus de Sarmiento, Comes de Gondomar, Catholici Regis apud Iacobum Orator, negotiorum causa iturus in Hispanias, petijt proficiscenti sibi donari Sacerdotes omnes qui carceribus tenerentur atque *Balduinum* inter primos: Hic honestè post tot annos omnium iudicio comprobatæ innocentiæ negari non poterat; præterquam quòd, Cecilio Salisburiensi Comite demortuo, nemo erat inter Aulicos tam peruersi ingenij vt vellet, aut tantæ auctoritatis vt posset cum Hispano Oratore contendere, quod & reliquis præstitit faciliorem dimissionem. Decimo quinto Iunij Anni decimi octaui mandatum Regium scripto delatum est ad Præfectum Arcis Alanum Apesley vt Patrem *Balduinum* liberum consignet earum latori literarum, in partes transmarinas secundum ea quæ haberet ipse perscripta transuehẽdum. Discedenti ex Arce Comes Northumbriæ adgratulatus est honorificam dimissionem, quâ dispersis malitiæ contumeliæque atris nubibus, luce clarissimâ innocentiæ se ordinemque suum collustrasset. Apud oratorem (cuius rhedâ vectus exierat) dum dies duodecim ante iter excurrunt, nullus erat in congressum colloquiumque venientium finis, aut modus, siue gratulandi, siue venerandi, siue Iesuitæ in veste sua videndi gratiâ, & eius Iesuitæ qui tot annorum experimentum immunis sustinuerat. Ad Cantuariensem officiosæ salutationis causâ ductus, dicenti plurimum debere Regi de libertate donata: " Equidem, inquit; At si Dominatio vestra vel alius

Donatur Oratori Hispaniẽsi cum alijs è Societate, et secularibus.

1610. quiuis aduersum me adferre quidquam possit, paratum inueniet ad reditum in Arcem vt respondeam.) Sui enim semper similis nè hilum quidem cedendum est arbitratus ijs quos aduersus Catholicos esse nouerat peruersissimos, ipsa sua constantia aditum præcludens iniuriæ. Præter *Balduinum* vndecim ex nostra Societate vnà exularunt, *Rodulphus Bickley, Alexander Faireclough, Guilielmus York, Henricus Haukinus, Richardus Barlet, Ioannes Swetnam, Ioannes Bamfield, Franciscus VValleſius, Franciscus Young, Laurentius VVorthingtonus, Ioannes Falconerus*; quorum plerique ad nouos labores in Insulam remigrarunt. *Rudolphus Bickley* non multò post in senectute bona Audomari finem viuendi fecit. *Balduinus* ingenti lætitiâ Bruxellis acceptus Romam festinauit ad *Mutium* Generalem ante tres annos electum; quem cùm de Missionis statu edocuisset, circuitu confecto per Hispanias rediit in Belgium Vice-Prouinciâ constitutâ, & datus est Rector Audomarensi Seminario primus Anglicanæ nationis, *Isabellâ* Infantâ post *Alberti* mortem Regente, & Ciuibus Audomarensibus respondente, "Verendum non esse ea in Ciuitate Seminarij administrationem esse commissam ei viro cui ipsa existimaret se fidere posse totius Belgij gubernationem; fecitque potestatem nominandi quem vellet suæ gentis successorem. Rexit decem annis. Teneritatem animi quam in oratione erga Deum ostendebat, erga sibi subiectos exercebat, cum amabili grauitate coniunctam, quà & adolescentum, numerum auxit ad propè ducentos & facilè sibi vnumquemque conciliabat. Cùm annum ætatis numeraret sexagesimum secundum, Societatis trigesimum sextum, & à Professione trigesimum, exigua febris addita veteri ventriculi ægritudini, & in eâ ætate aucta sciaticæ, doloribus ex incommodâ captiuitate contractis, paucis diebus languentem ad extrema deduxit, anno sæculi trigesimo secundo, quo in articulo integro iudicio munitus Sacramentis, humilis animi illustre testimonium dedit, cùm à minimo quoque veniam precaretur eorum quæ fortè inter gubernandum deliquisset.

Datus est Rector Seminario Audomarensi.

Isabellæ Infantæ de eo testimonium.

Moritur.

XX. Ioannes Percey (dictus Fisherus) Dunelmensis à fratre natu maiore in humanioribus institutus, dum apud Matronam Catholicam diuersatur nō solum librorum Catholicorum legendorum copiam nactus est, sed piæ fœminæ exemplo precandi imbibit studiū. Adolescens quatuordecim annorum nondū orthodoxis moribus assuetus, cùm esset in procinctu vt cum sui similibus commensalibus precibus Schismaticorum interesset, Hospitam inaudiuit lamentantem, "heu me! Neminem ego habeo qui mecum oret; obtulit *Perceyus* se socium. "Nequaquam, inquit illa, es enim excommunicatus.) Eo verbo quasi iaculo ictus, hospita se in cubiculum proripiente, procidit in genua Deum ardenter precatus vt se à tam periculoso statu quamprimum erueret; legerat enim aliquando aliqua & audiuerat de ea censura, proposuitque Sacerdotem Catholicum vt primum posset conuenire. Annus fere elabitur antequam daretur opportunitas, partim quoniam hospita

Ioannes Percey dictus Fisherus.

Occasio conuersionis ad Catholicam.

partim quoniam hospita se aliò transtulerat, partim quia difficulter se Sacer- 1610.
dotes tam teneræ ętati sine experimento committebant. Ille interim ab orandi consuetudine non discedens, paratum se per examina præstare satagebat vbi facultas esset. Matrona, quam dixi, non minus de *Ioanne* solicita quàm de seipsa, rogauit Sacerdotẽ vt eum in domo paterna non procul commorantem à se vellet inuisere, & tentare quid esset in iuuene: Sacerdos vt vidit in ætate lubrica Patris fratrisq; potestate subiectum & incertum sortis adolescentem, sermonem intulit de differenda reconciliatione dum patris fratrisue consensus impetraretur, ne molesti ab incepto eum auerterent. "Fac, inquit *Ioannes*, prout optimum videtur; at quo loco interim existimas futura est anima mea si hoc interuallo moriar? Ea quæstio rem definiuit; neque passus est Sacerdos illum diutius frustrari voto. Frater qui eum instituendum susceperat, videns præclusam esse ianuam ad locum in vtrauis republica obtinendum quòd Catholicè viuere statuisset, suadet iter transmarinum, vt cum sui similibus studia prosequatur. Bis terue tentauit frustra viam, ita re- Transmittit in Gallias.
ferta erant omnia delatoribus. Nactus tandem virum qui discendæ linguæ Gallicæ causâ eum transueheret, Rhotomagum tenuit, inde Rhemos; quo in Seminario cum triennium consumpsisset humanioribus & initijs Philosophiæ audiendis, reliqua Romæ prosecutus est sub *Mutio* Vitelleschi Rectore, & pro assertionibus Vniuersæ Theologiæ propugnauit, Præside Michaële Vasquez. Tantus fuerat antecedentibus annis ardor Alumnorum cupiditasque moriendi pro fide & Religione, vt studiorum plerique cursum breuissimum conficere, & in Insulam accepto Sacerdotio quantocius redire peroptantes, paucos post se relinquerent qui solennia statutaque sacrificia persoluerent, vt necesse fuerit Clementi Pontifici in ætate quorundam indulgere, vt ante annos iure decretos promouerentur. Inter hos cùm se *Perceyus* per spirituales commentationes pararet, sensit se ad Societatem *Iesu* ineundam impel- Animum adijcit ad Societatẽ.
li; obstabat etiam in ipso desiderium Patris & Matris, cæterorumque affinium in viam reducendorum. Multa secum disputabat in vtramque partem: Intererat fortè Sacro-Sancto Sacrificio quod ab *Alano* Cardinale celebrabatur; Eo in Sacrificio ardenter orans Deum vt mente collustratâ finem facere posset dubitandi, hoc dilemmate concluſit. In Societate (quæ omnia prudẽter expendit) iudicaberis idoneus qui quamprimum mittaris in Insulam, vel nondum idoneus; si primum, faciet illa quod ex voto tuo erit; si alterum, melius est vt nunquam, quàm inidoneus nauiges.) Tum etiam cùm Martyrij auiditate & ipse solicitaretur, quod maiorem caritatem nemo habeat, Christo ipso pronuntiante; In Superioris sapientia acquieuit respondentis Martyrij cupidum vbique esse posse, auidum non debere; his malè quandoq; cedere dum inconsideratè se inijciunt occasioni; cupidissimis non semper concedi; Dei enim est liberale donũ, ad quod Societas non claudit sed disponit aditũ: Vnum deniq; Martyrij euentũ multis posse in Religione perpessionibus compensari.

XXIII. Tornacum missus anno alterius sæculi nonnagesimo quarto, Ty-

1610. Tornaco in Angliã migrans capitur.

rocinium posuit Eleutherio Pontano Rectore, Institutore Ioanne Bargio: sub anni secundi finem animi nimia applicatione ad ea quæ sui erant instituti debilitate capitis contracta, prohibituque ab omni precum genere, natali cœlo vt recrearetur per Hollandos tendens in Angliam, Hissingæ ab vbiq; suspiciosis militibus Anglis tenetur, cognitoque ex literis, quas occultè ferebat, quis esset quæstioni admouendum minantur ni dicat cuius operâ Rotere dami præsertim vsus fuisset ad transmittendum. Is è contrario in eo firmus vt de se omnia, de alijs nihil fateretur, pro sacrificio corporis Christi quod illo die optauerat offerre suum obtulit ad quælibet patienda potius quàm vt cuilibet iniuriam faceret. In trochleam per manus sublimis appensus, ac deinde contorto circa frontem fune nautico exagitatus, animo in æternitate vel pœnarum vel gaudij fixo, non aliud ferebat ore quàm ô æternitas! Malum quod inferre conati sunt milites versum est in remedium; dolor & sonitus qui in in tyrocinio compleuerãt caput ab eo tempore imminuti paulatim euanuere. Captiuus ductus Londinum, carcerem habuit Brigittæ fontes, & in carcere turrim omni vacuam suppellectili: Lectus pauimentum fuit latere stratum & pauculo insperſum stramine, cui collecto incubuit donec industriâ & beneficentiâ Catholicorum eâdem in custodia detentorum, & *Gerardi* nostri, qui ex atrio Wintonienſi per occultas literas cum & consilio & pecuniâ solabatur,

Elabitur et migrat ad affines.

commodius habere cæpit, & post septem circiter menses via inuenta est cum duobus Sacerdotibus & septem Laicis per tegulas se nocte concubiâ demittendi, & in libertatem absque litro vindicandi. Elapsum è custodia Superior detinuit apud se hebdomadis aliquot; tum ad vota Scholasticorum admissum transmisit in Septentrionem ad *Holtbeyum*; Hic Matrem, & sororem, alioſq; affines Ecclesiæ conciliauit; Pater obierat antequam esset opportunitas conueniendi: Fratrẽ, qui eum in literis instituerat, metus persecutionis retinebat. Bien-

Tum datur Gerardo Socius.

nio in septentrione transacto datus est *Ioanni Gerardo* Socius in Northantonienſi Prouincia; quâ in sede pluribus annis insignem nauauit operã quâ Christianam doctrinam explanando, quâ concionando, quâ animos aduentantium spiritualibus accendendo commentationibus, & Sacramentis nutriendo; neque domi se continuit hæc industria; in alias Prouincias excurrens non minorem fructum reportabat. Ad amplam familiam cælestibus auxilijs recreandam nobilis mulier quærebat Sacerdotem, nominatim excipiendo Societatem: cùm ex eo quo volebat genere nullus esset ad manum, missus est *Perceyus*, celaturus cuius esset ordinis; Neque id inquisiuit mulier; Aduentanti, factis operanti, exhortanti, familiariter tractanti de rebus varijs, beneuolam se præbuit, & inter colloquendum aperuit quid illud esset quod eam à Societate auerteret. Docet *Perceyus* non esse confestim omnia credenda quæ de ijs hominibus siniſtra dicerentur; Egisse se frequenter cum multis, & multa de eorum rationibus actionibusque nosse; certissimè etiam scire illa ipsa quæ tunc referebat vel falsa esse, vel in iniquiorem partem interpretata. Sanè, inquit mulier, perquam libenter vellem vnum aliquem ex ipsis aliquando videre: Quod cùm

Nobilem Feminam conciliat Societati.

sincerè

sincerè dicere videretur existimauit *Perceyus* opportunũ quis esset declarare, 1610.
aitque " doleo tibi hoc primo tempore copiam non esse videndi meliorem;
Ego enim ex ijs sum.) Id non solum non ægrè tulit mulier, sed illo vsa est ad
Sacramenta aliquot post annis, & in aliorum familiaritatem introduxit cum
non exigua viciniæ vtilitate.

Diuina Prouidentia in sene Schismatico reducendo.

XXIV. Inciderunt interea calamitosa puluerariæ coniurationis tempora, traditaque in custodiam matre familias cum qua *Perceyus* degebat, fugiendo, latendo, & nouas sedes penè quotidie quærendo securitati prouidendum fuit; neque tamen sine fructu errabat. Senex honesto loco natus vixerat Catholicus, sed atrocitate legum territus à recto tramite desciscens ad ritus Schismaticorum deflexerat: Reuocare conatus est in viam is qui ab antiquo fuerat illi à Confessionibus, cumque nihil proficeret, rogauit *Perceyum* vt experiretur. Adijt ille, sed frustra: Iter prosequentem auertit exundans in via flumen: Redit ad senem, hortatur, vrget, precatur: sed surdo canit. Posterò die discedit, aliam initurus viam ab aquis vt existimabat liberam. At hic etiam creuerat riuulus, texeratque citeriorem partem pontis per quem erat transeundum. *Perceyus* qui eam viam sæpius triuerat, non dubitauit posse per exigui spatij aquam rectâ ad pontem ex vndâ extantem equum adigere; sed vel manu, vel oculo aberrante, equus sub primo fornice penè natans anteriores pedes proijcit in arcum hæretque donec sessor pontem stringens conscendit, fræno manu retento; equus iterum conuitens emergere ruptis cingulis deijcit ephippium in aquas. Is qui comitabatur redit ocyus ad senem; narrat quo loco comitem reliquisset, mittitur famulus in subsidium; senex ipse subsequitur, inuitat *Perceyum* domum; seruatum, vt (aiebat) sui causâ; in quem enim verba nihil potuerant, tantum discrimen Sacerdotis ad mentem reduxit; neque distulit officium; postero die ritè confessus ad finem vsque perseuerauit Catholicus. Neque licuit Perceyo diu esse tuto; degebat cum *Nicolao Harto* in antiqua *Gerardi* sede conluctis Societatis ministerijs studiosè incumbens: Delatum fuerat ad Senatum Regium latere in illa domo homines duos Reipublicæ pernicioſos. Quartâ matutinâ, die omnium Sanctorum solemni, Pickeringus in Prouincia Northamtonensi Irenarcha cum equitum turma aduolat; latenter ingressus vtrumque vix à sommo vigilem comprehendit; suppellectilem sacram, librorum etiam non exiguum numerum colligit: Sacerdotes duos cum matrefamilias benevolè domi suæ aliquamdiu habet, tum Londinum cum suppellectili cinctos vndique hastatis ducit quasi per triumphum. In itinere velitatum est cum sciolis quibusdam: *Perceyus* propugnauit fidem sine Charitate non institicare, *Hartus* ... Magistrum suum breui hac quæstione ludificauit, " Nostine Deum? Vtique respondet alter: seruásne mandata, aut existimas te posse seruare? Nequaquam. *Ioannes* igitur in Epistola te damnat mendacij, ait enim, *Qui dicit se nosse Deum & mandata eius non custodit mendax est, & in hoc veritas non est.* Ridere astantes, & ... Magistro luatere nè cum fortiori se congrederetur. Londini cum ante Palatium ad carcerem West-

Perceyus secundò capitur cũ Nicolao Harto.

Harti velitatio cum sciolo.

1610. Monasterienſem veherentur, Salisburius ex feneſtra proſpectans "Non ſunt, inquit, iſti quos quærebam) idque ex euentu patuit; nihil enim in illos præterminas actum eſt aſperius: Nam licet primo menſe arctè ſint habiti nemine ad congreſſum admiſſo ſequentibus tamen decem menſibus in cõmodiorem carceris locum tranſlati & ſibi & alijs potuere eſſe ſolatio. Tum Catholici Regis Oratori diſcedenti ex Inſula donati tranſmiſerunt in Belgium. *Hartus* quod deerat ſtudijs Theologicis impleuit; Perceyus ſucceſſit primùm in munere Vice-Præfecti Bruxellis *Antonio Hoskino* in Hiſpanias proficiſcenti; tum ſacram ſcripturam explicauit Louanij; demum redux in Angliam & iterũ captus, in carcerem nouum ad Tamiſis ripam coniectus eſt: Quo in carcere tanta rei benè gerendæ facultate fruebatur, vt cum potuiſſet exilio liberari maluerit remanere cum vinculorum ſocio *Edwardo VVhittinghamio*, qui triennij tempore quo durauere numerauit centum quinquaginta Eccleſiæ reſtitutos. Inter hos Comitiſſa Buckingamia, Mater Ducis, in celeberrima diſputatione cum noui verbi Miniſtro ſuſcepta, non ſolum aſſentiente Iacobo Rege, ſed præſente, & cauſam Hæretici acriter propugnante, lucem fidei accepit, *Perceyi* doctrina, & moderatione animi, & perſpicuâ veritate conuicta; quæ redeunte ex Hiſpanijs Carolo, obtinuit vt liber à carcere ſecum habitaret; quo decennio non illi ſolum viuenti morientique præſto fuit, ſed ſub tanta patrona plurib⁹ adeſſe potuit, & liberè cum quocunque congredi volente diſſerebat. Narrat *Perceyus* in ſecunda cum eo Pſeudouerbi Miniſtro congreſſione habuiſſe non tam Miniſtrum quam Regem hæreſeos defenſorem. "Pauca enim, inquit, Miniſter, omnia fere Rex locutus eſt; cumque modeſtiâ prohiberer interrumpere differentem, aut ipſe diutius loqui quàm Rex permitteret, non potui ea quæ volebam omnia, & quæ ad rem faciebant proferre: permittebat verò rarò & breuiſſimè interloqui, noua celerrimè multiplicans argumenta, & ad illa ſuggerens ipſemet reſponſa, tum ad nouam ocyùs tranſiliens quæſtionem: durauitque colloquium à ſexta veſpertina ad vſque decimam. Cum à diſcedente rogarem veniam ſi in aliquo offendiſſem vehementiâ contentionis; "Nil opus, inquit, in eo mihi placuiſti potius) Poſtero die Rex ſcripto tradenda curauit Nouem quæſita ad quæ reſponderi poſtulabat, erantque ſub hoc titulo digeſta. *Puncta quædam præcipua quæ meam vnionem cum Romana Eccleſia impediunt, donec ipſa ſe reformet, aut poſsit mihi ſatisfacere*, ſcilicet; Cultus imaginum; Preces & Oblationes factæ Beatæ Virgini Mariæ; Cultus & inuocatio Sanctorum & Angelorum; Litourgia, & preces priuatæ illiteratorum in ignota ſibi lingua; Repetitiones orationis Dominicæ, ſalutationis Angelicæ, & Symboli, præſertim ſi in numero ponatur meritũ; Tranſubſtantiatio; Communio ſub vna ſpecie, & doctrina concomitantiæ; Opera ſupererogationis, relata præſertim ad Theſaurum Eccleſiæ; Poteſtas Papæ ad Reges deponendos directè vel indirectè, & ad diſponendum de eorum regnis.) Suſcepit ea tractanda *Perceyus* & vnius menſis decurſu abſoluit, quanquam non tam cito peruenerunt in Regis manus: Multa ſunt enim quæ obſtruunt ad

Exulant.

Perceyus redux in Angliam tertio capitur.

Reges

Reges aditus. Cum peruenissent, idem Pseudo Minister voluit ea refutare, sed Hæreticorum more; quo factum est vt denuo reuisa prodierint in lucem docto cum commentario *Ioannis Floydi*. 1610.

XXV. Rex Christianissimus circa hæc tempora filiam collocauerat Carolo Principi in Matrimonium. Dominus d'Effiat Regis Orator vsus ea celebritate coniugij impetrauit ab Iacobo pro viginti Sacerdotibus condonationem amplissimam vniuersorum quibus peccatur in leges aduersus Catholicos latas: Inter hos Perceyus sigillo literisque regijs munitus obibat securus, vti credebat, à molestia: Incidit tamen rursus in casses, coram Senatu responsurus de literis quibus tãtopere confidebat; Isthic acriter disputatum est, Senatu affirmante condonationem de præteritis delictis intelligendã; Perceyo defendente in futurũ etiam tempus porrigendam: Præcipiebat enim Rex si carcere teneretur dimitti liberum, à nemine deinde molestia affici, pace Regis firmâ gaudere, in dubijs etiam interpretandã esse condonationem in mitiorem partem. At quidquid ille adferret, Cantuariensis Antistes denuntiauit voluntatis esse Regiæ vt exularet, data fide non reuertendi: de qua fide rursus disceptatũ; Perceyo asserente non posse se fidem obligare cum iuris sui non sit; si Superior præciperet, debere redire. At quis, inquiunt, magis Superior, quam Rex? In ijs, inquit *Perceyus*, quę sui essent spiritualis muneris, Pontifex.) At si Rex Hispaniæ prohiberet quẽpiam regno, ægrè profecto ferret eum si Pontifex immitteret." De eo, inquit Perceyus, videat Pontifex.) Argumentationis conclusio fuit; data fide non redeundi, exulandum; donec fidem faceret tenendum custodia West-Monasterienſi. Illa octo menses duxit; Tum Regina intercedente liber prioribus in Catholicæ Religionis defensionem scriptis pluribus addidit alia, & plures primæ nobilitatis viros fœminasque restituit Ecclesiæ, restitutosque confirmauit. Septuagenario maior, catharro in fauces defluente, & in malum qui Cancer dicitur degenerante, annis pene duobus æger, vitam hanc ærumnosam cum meliore commutauit; Professus quatuor votorum ab anno nono supra sexcentesimum.

Liberatur, et quarto tenetur.

Rursus liber moritur.

Nicolaus Harte is est quem in Eudæmon-Ioanne legimus sub nomine *Hammundi* vocatum in crimen absolutorum Cõiuratorum biduo postquam fuissent detecti: Cui cum captiuo nihil huiusmodi illatum sit, magnum est testimonium innocentiæ; Præterquam quod absoluisse carere potuit crimine multis de causis quas Eudæmon explicat. Salisburio fortasse si vixisset, ars & malitia non defuisset quâ innocentissimum per calumniam tolleret: Sed eo ipso anno redeuntem ex balneis mors repentina, & fœda vermibus de itinere oppressérat, quẽ *Iacobus* Rex hoc ornauit Epiphonemate" *Aures nunc habebimus liberas à proditionibus*.) Nimirum habebatur plurium ille inuentor & buccinator proditionum quàm reuera fuissent à quoquam conceptæ.

Nicolaus Harte.

Cap. 10. Apol. pro Garnetto.

Durius actum est cum *Thoma Strange* in Prouincia Warwicensi cõprehenso: delatum Londinum in Arcem tàm effrænatè torserunt vt fractus viribus reliquam vitam in summa rerum debilitate traxerit, & dolore; eam tamen quę-

Thoma Strange.

1610. stionis violentiam non fortiter modo & constanter tulit, sed (vt erat festiuo à natura ingenio) non infacetè: Etenim PseudoMinistrum importunè in ipso ardore quæstionis argumentantem venuste retudit cùm diceret, "Iniquâ, bone vir, mecum agis conditione; sublimem te appendant hi homines sicut me, tum æquo loco disceptabimus). Neque Præfectus Arcis *Guilielmus VVade*, accerrimus Sacerdotum vexator, fuit immunis; Cùm enim testem coram Senatu Regio produxisset *VVadus* quendam cui à cornu nomen, excepit Strangius minus idoneum illum esse testem eo quod *VVado* esset affinis: & *VVado* quidem stomachum, cuius vxor non optimè audiebat, Senatui risum mouit iocus non inurbanus; festiuitas tamen sermonis nihil nocuit causæ; Vt quid enim diutius vexare hominem, quem nudâ ex suspicione captum, infirmis testibus accusatum, nullo fundamento tortum, in sua ipsius innocentia tam securum videbant. Pulsus igitur quoniam Sacerdos vixit in Belgio ad annum huius sæculi trigesimum nonum Professus, trium votorum; capitis renumque imbecillitatem plerumque recreans Sanctorum vitis perlegendis, & in dramata natiuo idiomate composita digerendis; vir modestus & humilis, rerumque suarum narrandarum parcissimus.

Ioannes Blacfānus somnio excitatur ad abrumpen. das moras.

XXVI. Comitem habuere carceris & exilij *Perceyus* & *Hartus Ioannem Blacfannum*, spectatæ integritatis & cādoris virum. Hunc in Academia Cantabrigiensi in Artibus Magistrum, lectio Augustini & aliorum inter Catholicos librorum ad Catholicè sentiendum permouerat: hærebat tamen in salebris liberioris vitæ oblectamentis implicatus, donec somnio stimulatus se collegit. Oblata est ei species Christi Domini iudicantis, coram quo cùm de multis accusaretur, tum præsertim de dilata eorū prosecutione quæ legendo didicerat; Pronunciauit Iudex torquendum esse viscerum dolore, quem & sensit ita acerbum vt clamaret plus infligi quàm Iudex mandasset, promitteretque nunquam se in posterum precibus Schismaticorum adfuturum. Non solum stetit promisso, sed ad placandum Christum Iudicem, indixit sibi seuerum ieiunium quatuor dierum per hebdomadam; noctes precando peruigilabat; de die tempus lusionibus subtrahebat; in eoque perseuerauit sex mensibus antequam Catholicum quempiam conuenire posset. Obtulit se tandem vir grauis, rogauitque an vellet cum Sacerdote familiarem habere congressum. "Perlibenter, inquit, at vereor vt reperiatur aliquis tam multos his annis sustulerunt.) Ne metuas, inquit, breui docebo quo loco occures alicui. Paucorum dierum interuallo rediens, "Vade, ait, ad talem syluam, & obuiam tibi erit quem optas. In sylua occurrit Sacerdoti ex antiquis regnante Maria initiatis; hic post breue colloquium, absoluit illum primò ab Excommunicatione, solemni vsus Ecclesiæ ceremoniâ, nudum etiam collum virgâ ex arbore collecta percutiens, dum recitaret Psalmum *Miserere*. Tum dixit illi diem & locum quo ad se rediret facturus exhomologesim: Venit; & ex indice bene longo interroganti Sacerdoti respondens, aggregatus est Catholicis, cōtinuato quod susceperat ieiunio donec transfretaret. Anno octogesimo septimo magna erat

rerum

rerum nauticarum nauiumque præparatio aduersus classem quæ in Hispanijs instruebatur, & difficillima prorsus nauigatio; nactus tamen Deo duce opportunitatem transmisit Diepam; Diepâ Rhemos tenuit; Rhemis Vallisoletum profectus, iter militibus infestum superauit eo euentu qui libro quinto narratur, & post studia in Societatem est adscriptus anno sæculi nonagesimo tertio, ætatis trigesimo quarto. Tum Romam vocatus multum virtute & prudentia contulit ad adolescentum in Seminario animos Societati conciliandos; pluresque inter illos eo tempore eximij id institutũ amplexi sunt. Româ rursus in Hispanias nauigauit, & anno sexcentesimo secundo quatuor votorum Professus hæsit Vallisoleti eo in conuictu non minori cum fructu quàm Romæ; & primus cogitationes Donnæ *Aloysiæ de Carauajal* inflexit ad huius insulæ commiserationem cùm ei esset à confessionibus; & quamuis in eam sententiam non veniret vt illa se transferret in Angliam, propter varias quæ illi deinde accidêre molestias, plurium tamen doctorum sanctorumque inter Hispanos virorum vsa consilio transnauigauit, prævertitque *Blacfannum*; qui mores & linguam Hispano similes cùm difficulter exueret, non semel inter suos in discrimen venit; & anno seculi decimo captus in portam West-Monasterienſem coniectus est. *Non est inter improbos tuta à calumnia quantalibet sinceriſſima integritas.* Hunc virum innocentissimum aspergere conati sunt (auctore, vt aiunt, Pseudo Cantuariensi Abbotio) grauissimo scelere; subornato qui diceret audiuisse Antuerpiæ *Blacfannum* aurifici cuidam promisisse octo aureorũ nummûm millia, si reperiret hominem qui Iacobum Regẽ è medio tolleret. Malitiam fictæ fabulæ oppressit diligentia *Blacfanni*, scriptis Bruxellas ad *Antonium Hoskinum* literis; qui confestim ad aurificem profectus, coram Magistratu interrogati, & negantis testimonium publico ciuitatis signo curauit muniri, vt in promptu esset ad fidem mendacio detrahendam. Tredecim menses tenuit custodia; tum actus in exilium, successit post *Perceyum* in munus Vice-Præfecti Bruxellis, continuauitq; ad annos fere tres; rursus dein de in Hispanias semigrat Vallisoletano Seminario Rector demortuo *Guilielmo Weſtono*; & post annos expleti officij, Madritum ad illius Vice-Prefecturæ curas: Demum in Angliam redux vtilem operam posuit ad grauem vsque senectam; in quâ cùm haberet in animo relictâ Insulâ ætatem reliquam cum effæto corpore deponere Watenis, obtinuissetque Prouincialis assensum; Confectis vix quatuor milliaribus decidens ex equo reductus est domum. Isthic cùm rem Deo commendasset, matutino tempore expergefacto hæc verba Hispanica se obtulerunt ori; *Hermano Morad alla*, (quo nomine Madriti ante annos triginta sex cognouerat Coadiutorem quendam Societatis vulgò appellari) quorum verborum significatio cùm esset "*Frater, mane ibi*; tanquam sibi dicta interpretans (quemadmodum olim magnus *Gregorius* locustam in librum quem legebat insilientem, *quasi loco ſta*) eadem in sede quam pluribus annis tenuerat propè octogenarius defunctus est.

1610. Eius varia itinera et fructus cõ, secutus.

Capitur et calumniam præuertit.

Exulat.

Redux in Angliam moritur.

VXVII. Quæ verò omnia primis à coniuratione annis pluribus ex nostro

Personij extrema.

1610. ordine accidêre incommoda nihil attinet recenſere, cùm apud ſe quiſq; expendere poſſit quanta vbique eſſet trepidatio, quàm importuna in Catholicorum ædes dies noctesque inquiſitio, quàm nihil à ſuſpicione odioque tutum, vt vel mutandis quotidie ſedibus modò agros, modò publica hoſpitia, modò pauperum caſas inuestigare neceſſe fuerit, vel multo tempore domeſticis concludi latibulis. Vidimus in *Balduino*, *Gerardo* & alijs, in Belgium vſque pertinuiſſe calumniã, penetraſſe Romam ad *Perſonium*; de quo amandando *Clemens* Pontifex pridem egerat cum *Claudio* Generale; ſed is præuertens mandatum, per valetudinis ſpeciem profectus eſt Neapolim, non niſi mortuo *Clemente* reuerſurus. Reliquos annos ſcribendis libris inſumpſit; prodieruntque in lucem varij ad hæc tempora aptati, vt quæſtiones duæ de ſacris alienis non adeundis, eodem fere argumento quo ante annos plus viginti ſcripſerat Anglicè Epiſtolam Conſolatoriam: De æquiuocatione etiam, & de mitigatione legum in Catholicos, & aduerſus Odoardũ Coquum, Barloum, & alios; quibus vt fidei dogmatis ſtabiliendis, heterodoxis confutandis incubuit, ita deuexę ætatis annos breuiores fecit quàm optari potuiſſet; Anni ſexcenteſimi decimi mediam quadrageſimam decucurrerat ſeuero ieiunio, cùm vehemens eum æſtus inuaſit; paucis diebus ad extrema delatus, Paſſionis Chriſti pia & frequenti recordatione ægritudinem ſolabatur. *Paulus* Pontifex vbi intellexit confeſtim ei indulſit omnia quæ in mortis confinio Cardinalibus indulgeri ſolent. *Claudius* Generalis, & qui in patribus erant Romæ præcipui, frequentes aderant: Ipſe quatriduo antequam de vita diſcederet ternas dictauit: Ad *Blaſæum* Audomarenſem Antiſtitem vnas, gratiarum plenas; ad noſtros in Anglia alteras hortatorias; tertias ad *Birketum* qui in locum defuncti *Blackwelli* Archipresbyteri ſucceſſerat. Ad noſtros in hanc ſententiam. "Reuerendi & Chariſſimi Patres mei & Fratres quos placuit Deo vocare & vnire in hac Miſſione Societatis noſtræ ad conuerſionem & ſolatium miſeræ Angliæ Patriæ noſtræ, & in quos viſum eſt admodum Reuerendo Patri noſtro Generali à tot iam annis committere mihi Præfecturam; nunc quando iuxta Diuinum beneplacitum depoſiturus ſum hoc onus, vti ſpero, cum mortali hac vita, non potui non ſcripto hoc vobis omnibus valedicere, & primò, meipſum animæque meæ requiem Deo in veſtris precibus cõmendare; Tum inter vos ſignum illud vnicum verorum diſcipulorum & ſequacium Chriſti Domini, *diligite inuicem*; quod inuiolatum à vobis teneri opto, iuxta ſpiritum Societatis noſtræ, hoc eſt, vt vnuſquiſque ſe inferiorem cæteris exiſtimet, alios ſibi præferat ex animo ſemper, cum quo quantum fieri poteſt actiones externæ conſentiant; omnia ad honorem & gloriam Dei & veſtrum ſolatium; ita enim facientes, omnes, vti confido in Domino, conſummabitis feliciſſimè curſum veſtrum in obſequio Dei in hoc ſæculo, & in futuro per merita Paſſionis Chriſti occurremus inuicem in glorioſa & ſemper duratura reſurrectione: Datum à decumbente Romæ in Collegio Anglicano, hoc peruigilio Dominicæ reſurrectionis, Anni milleſimi ſexceteſimi decimi. Veſter totus & ſemper, *Marcus*.) Archipresbyterum his ſalutauit. Reuerendiſſime

Eius morientis literæ ad noſtros in Anglia.

dissime Domine, & amice carissime. Finem hic viuendi, vti spero, breui facturus, & migraturus ad Christum seruatorem; non potui in hoc meo maximo agone vestri ûm obliuisci, aut committere vt vobis, vestris Assistentibus, cunctisque cæteris vestris subditis, hoc scripto non valedicerem, vt testimonio caritatis & amoris perfecti quo vos & illos omnes in Christo *Iesu* prosequor & prosecutus sum semper; profiteorque quod nunc mundum relinquo eodem cum desiderio amoris, pacis, & vnionis omnium vestrum inter vos, & cum omnibus nostris Patribus, quo semper flagraui; & quod nunquam ex parte nostra (quantum quidem ego scire potui, aut imaginari) cupiditas vlla fuerit superioritatis in vos, vel in quemquam vestrum; sed beneuolus consensus ad vtilitatem & incrementum Catholicæ fidei, iuxta nostri instituti ministeria; quem consensum opto semper in vobis cum nostris in futurum tempus Patribus permanere in visceribus Christi, ad Dei Opt: Max gloriã & honorẽ; cuius tuitioni eâdem caritate, eodemq; affectu quo animã meam, cõmendo etiam vos & omnes meos carissimos fratres vestræ curæ cõmissos, cum quibus iungens preces, oro dulcissimum Seruatorem vt per merita acerbissimæ Passionis suæ nobis det glorioſam Resurrectionẽ. Valete in Christo *Iesu*. Datum à decumbente Romæ in Collegio Anglicano, hoc peruigilio Resurrectionis, Anni 1610. Denique ad Audomarensẽ Antistitem in hæc verba. 1610. Et ad Archipresbyterum.

Reuerendissime, & merito mihi obseruantissime Domine.

Perueni tandẽ adpr æstitutam mortalibus omnibus metam, mortẽ scilicet, quæ, vt spero, animã ab huius corporis compage solutã suo reddet Redẽptori, vbi videbo bona Domini in terra viuentiũ. Interim tamen dum super lectum doloris mei spirare permittitur, sæpius tanti Benefactoris merita menti occurrũt, quomodo causã Angliæ longè calamitosissimã adamauerit, & nostrã in illã mẽsẽ Missionẽ iuuerit prouexeritq;. Quo tam singulari beneficio quantũ me deuinxerit sibi volui hoc supremo literarum testimonio significare, & gratias quas viuens sæpe, nunc denuo moriens reddere: illud obnixè orans vt quemadmodũ cœpit, sic pergat in finẽ, nec quos paterna sua charitate iam filios fecerit, orphanos derelinquat. Vale Reuerẽdissime & Anglorũ omniũ amantissime Præsul & Parens. Vitam tibi diuturnã concedat Deus, post huius vitæ curriculum repositam in Cœlesti regno iustitiæ coronã redditurus: vbi ego cũ appulero Blasæi immemor non ero. Reuerendũ Patrem Schondonckum, cui proprias iam dare non licet, à me quã maxime salutatũ cupio suis. Magna illi in iuuentute nostra instituenda cõmissa est cura; strenuè igitur, vt hactenus, semper suam spartã tueatur. Nequeo plura, quia tempus meum prope est, & cupio dissolui & esse cum Christo. Reuerendissimæ Dominationis Vestrę Sacrificijs, vt & Patrũ nostrorum in Collegio, quos similiter ex animo salutatos habeo atque Alumnorum omnium (quos vt Deus omni benedictione sua repleat vehementer rogo) precibus me commendo. Iterum & semper vale Reuerendissime Blasæe. E lecto 13. Aprilis 1610.

1610. Reuerendissimæ Dominationis Vestræ deuinctissimus in Christo Seruus. Robertus Personius.

Moritur et honorifice sepelitur.

XXVIII. Superfuit ad diem Mercurij proximè sequentem. Testatur *Thomas Odoënus* (qui illi successit Rector & Præfectus) licet ægritudo breuis fuerit, scripto tamen tradidisse *Claudio* Generali, quid ipse sentiret de futura huius Missionis administratione. Ab eo impetratum est, vt vnguentis conditum corpus locaretur ad dexteram *Alani* Cardinalis in Anglicano sepulti cum præclara inscriptione, quam videre est apud nostrum Alegambe in Bibliotheca. In condiendo corpore tria obseruata sunt ab testibus oculatis; nullum qui offenderet odorem extitisse ex cadauere cùm post ferme viginti quatuor horas aperiretur. Cor altiori aliquantulũ, quàm à natura solet, loco dispositum: Chirurgũ, qui operabatur, liberatũ à quartana, id quod ipse *Personij* meritis tribuebat. Extat etiam Italicè Epistola Pauli Bombini scripta Tiburi decimo quinto Septembris Anni 1612. narrantis liberum fuisse quendam à grauissima diuturnaque tentatione, qui se ea-propter *Personio* commendarat; Sed hæc alijs relinquo examinanda. Hoc certum est, quantumcunque in muneribus fuerit, & in negotijs diligens, virtutem solidam perfectamque coluisse semper, & in omni vita retinuisse; vt quemadmodum apud Philosophos, primum in vnoquoque genere est regula & mensura cæterorum, ita hic merito ad imitandũ propositus videri possit à Deo exemplar earum virtutum quæ in homine quæruntur ad huiusmodi Missionem idoneo; vt nimirum consideratus sit, & magnanimus; ad expectandum patiens, fortis ad efficiendum. A concitato & tumultuoso agendi modo plurimùm abhorrebat; ratione plerumque vtebatur ad conuincendum, tum suggerebat media quibus effici posset quod suaderet, difficultatibus complanatis. Infinita sunt quæ cum Pontificibus, cum Regibus, cum Cardinalibus Principibusque viris, modò sermone egit, modò scripto, vtroque ad persuadendum accommodatissimo; neque vulgarem quempiam aspernabatur, omnibus semper beneuolus, & vbicunque posset beneficus: Id quod in præcipuis Catholici Regis portubus experti sunt captiui quam plurimi, quos vicenos & quadragenos libertate per eius intercessionem donatos consilio sæpe iuuit & ære: Inter quæ, apta captabat tempora ad scribendum, siue ad pietatem accendendi essent animi Catholicorum, siue Hæreticorum fraudes, deliriaque detegenda: Quo in vtroque genere excelluit; scrijs vrbana tam scitè & commodè commiscens, vt amicum lectorem honestè oblectaret, inimicum non valde læderet. Magnam etiam operam præstitit in sedandis continendisque Alumnorum inquietis ingenijs; qui in Anglicano sub prioribus administratoribus frequenter fuerant tumultuati; ipsâ personiæ dignitate efficacitateque sermonis obseruantiam exprimente; turbulentorum etiam hominum accessus vigilantissimè excludendo, & quod caput est virtutem & verum Dei zelum in omni actione præseferendo, & modis omnibus in adolescentum teneros animos tanquam oleum lumini instillando. Quanto ipse ardore fidei insulam restituendæ flagrauerit, quantâ in Deum fiduciâ rem promouerit,

Eius virtutes Solidę.

mouerit, quantâ in omnes caritate excelluerit, demonstrant præter scriptos libros, tot vltro citroque confecta terrâ mariq́ue itinera, fundandorum stabiliendorum q́ue causâ Seminariorum, sine quibus haud dubiè (veteranis ætate sublatis) Religio concidisset. 1610.

Quibus in omnibus negotiationibus cùm nihil priuatim sibi affinibusue suis adhærere sustinuerit, sed perfectam coluerit tum rerum, tum honorum abdicationem, eò cæteris sequendus magis, & verò admirandus visus est. Habebat in ore frequenter illud Apostoli, *Dum tempus habemus operemur bonum, tempore enim suo metemus non deficientes*: Itaque nihil negligebat quod ad Catholicam fidem amplificandam facere cognouisset; Neque re maturè susceptâ facilè desponebat animo; temporalia etiam subsidia Dei liberalitate metenda intelligens, quæ ad inchoatum eius causâ opus essent necessaria: Et sanè qui in Seminarijs Hispanicis florem iuuentutis tam copiosum viderunt vt pluribus annis quinquaginta & sexaginta in Vallisoletano, totidem fere in Hispalensi, & Romano numerarentur, huius viri industriam, & apud magnos viros auctoritatem non possunt non suspicere & venerari, & præcipuè in in Deum fiduciam à quo hominum animos ad domorum tam necessariarum sustentationem excitandos non dubitabat? Quæ fiducia se ad propagandam etiam Societatẽ vltimis annis extendens, domum Louanien sem & Watenensem peperit; Quarum felicia initia cùm vidisset, vocatus ad messis suæ fructus in Cœlo capiendos, breui nouem dierum morbo sublatus est, tam acri, vt quarto ægritudinis die medicus auguraretur vicinam mortem; Neque ipse ambigebat à primo in morbum ingressu, à quo & pijs cogitationibus, & Ecclesiæ Sacramentis armatus, quidquid poterat consilij suggerens ad rectam Missionis gubernationem & incrementum, decessit decimo quinto Aprilis, Anni decimi currentis, ætatis anno sexagesimo quinto, Professionis vigesimo tertio. Quo loco, quoũe in honore habitus sit ab omni genere & gradu nihil attinet dicere, quando ex reliqua historia id facilè lector colliget, & honorem ipse, non hunc fluxum, & in ore & gratia hominum situm, sed Dei, in omnibus quæsierit, adamarit, extulerit. Nunc ea percurramus incrementa quæ hæc Missio accepit tam magno adempto adminiculo, cui merito post Deum innitebatur.

HIS-

1611.

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER NONVS.

CONductam Anno ſeculi ſexto Louanij Equitum Melitenſium domum inſedere Februario inſequenti Tyrones, Sacerdotes ſex, duo qui parabantur ad ſtudia Theologica, quinque ad domeſtica officia deſignati. In Sacerdotibus, Thomas Garnettus ſanguine pro Religione fuſo Tyrocinii primordia conſecrauit; de quo ſuperiore libro dictum; Cæteri qua ſorte vixerint defunctiq; ſint non erit inutile commemorare.

Andreas Vitus.

Andreas Vitus poſt operam in Anglia aliquamdiu collocatam, & iter Hiſpanicũ, pluribus annis Louanij & Leodij Theologica explicauit cum non exigua laude ingenij. Primus deinde fidem intulit in Marilandiam. Regio eſt in Boreali America quam Carolus Rex Angliæ dominio ſuo adiungens, (vt vicinã Virgineæ,) tradidit Cecilio Caluert Baroni Baltimerio viro Catholico, appellatione deſumpta ab Henrietta Maria Regis coniuge, Henrici Galliarum quarti filia; quanquam Catholici, meliore augurio, nominatam volunt à Beatiſſima Maria Saluatoris digniſſima Matre.) In ea Miſſione decem annis fructu non pœnitendo cùm laborasſet, & præcipuum eius Regionis dynaſtã fide Chriſtina imbutum ſacris aquis tinxiſſet, captus ab hæreticis & ductus in Angliam, exulauit: Tum è Belgio redux in Inſulam decennium aliud

ſolandis

solandis Catholicis tribuens, propè octogenarius migrauit ad eam quie- 1611.
tem quam omnes habemus in votis, & ab eo solo expectanda est qui omnia potest.

Thomas Laithwayte dictus Scottus

Tertius, *Thomas Laithwaite* (vulgo dictus *Scottus*) variam fortunam expertus est. Natus in Comitatu Lancastrensi habuit in Societate è fratribus, Sacerdotes tres) *ex Kensingtoni* appellatione notiores quàm ex nomine gentilitio) Vnum domesticarum rerum adiutorem, & hunc inter fratres natu maximum. Domesticâ disciplinâ educatus ad literas, profectus est Hispalim ad Philosophiæ & Theologiæ studia. Inde in Angliam rediens anno sexcentesimo quarto, ex Lucarensi portu nauigatione menstruâ delatus est Plimoam: Isthic dum de equis inquirit quibus veheretur Exoniam, incidit in virum Equestris ordinis Warwicum Hele Irenarcham, qui cùm esset peruersè hæreticus, aduenam ex Hispanijs profitentem se esse Catholicum, rogat num iurare velit in Primatum Regis Ecclesiasticum? negantem iubet spoliari ad indusium vsque: repertas cereas Christi imagines & obscurè quasdam scriptas notas retinet, & vnà domum suam non longè dissitam amandat, restitutâ, vt virum decebat, viginti marcarum pecuniâ: Biduo hic humaniter retentum, rursus interrogat vtrum secum velit templum preces auditurus adire: Recusantem mittit sub satellitum custodia peditem ad carcerem Exoniensem viginti milliaribus distantem. A custode Carceris, vt appulit, barbarum & ignominiosum in modum acceptus, iubetur truncum in atrio obuium conscendere, vt esset, videlicet, omnium oculis Papista conspicuus: vsus occasione *Scottus* ad confluentem versus turbam, intrepidè fidem profitetur: Plerique, inquit, qui hoc claudûtur carcere facinoris cuiuspiam perpetrati causâ includuntur, Ego huc loci adductus sum quoniam scelere (meâ quidem sententiâ) indignissimo me obstringere nolui; fidei, videlicet, Catholicæ, quam profiteor, nolui abrenûciare, & hæresi nuper natæ me adiungere.) Exceptus maledicētiâ populi oneratur ferreis grauissimis cōpedibus, & in ergastulū flagitiosis refertū cōpingitur. Felicem quidē se arbitrabatur quod tam nobili & glorioſa de causa pateretur: cæpit tamen post aliquot horas tædere loci ob perditissimæ nequitiæ formas quæ ob oculos versabantur. Erat enim octoginta viri fœminæque vnum in locum varia ob flagitia inclusi: viros à fœminis disiungebat clathrum ligneum tam latis spatijs laxum vt non manibus solum & capiti, sed integro pene corpori pateret exitus: singulos tamen vnco ferreo impliciti compedes ita adstringebant vt sedendi quidem, standi, iacendiúe esset copia, non verò se de loco mouendi; duobus ex eo numero fiebat potestas obeundi locum cum situlis ad requisita naturæ: libertas in atrio perangusto & fœtenti obambulandi emi debebat duobus assibus in dies singulos pendendis custodi. Pepigit igitur *Scottus* de cubiculo separato, persoluto in singulas Hebdomadas nummo aureo; trium etiam fere aureorum præsenti pecuniâ numerata pro compedibus leuioribus: ex priori tamen habitatione cum sceleratis adhæserat ei tanta copia vermium, & tam pestilens aër, vt manibus pedibusque & vultu tumescentibus, somnus etiam ad tempus euanesceret. Interea ducuntur & Hyberni duo,

In portu capitur.

Quæ passus in carcere.

1611. alter robusto corpore Sacerdos iuuenis, alter prouectæ ætatis vir Laicus: nè hi inter sceleratos locarentur ægrè obtinuit *Scottus*, & maluit sui potius vt fruerentur parte cubiculi, licet auaritia Custodis exigeret pro secundo in ea parte lecto à singulis quot hebdomadis aureum nummũ; ad quem sumptum cùm Hyberni nè obolum intulissent, *Scotto* incubuit omnis impensa, quâ ad certam constitutum tempore solutionem sepositâ, supererant illi sedecim tantum floreni Brabantici ad victum trium mensium tribus comparandum: parcè igitur viuendũ erat, è publico enim dabatur panis vnicus cum modico lactis. Quod corpori deerat supplere conatus est *Scottus* spiritualibus exercitationibus, distributis in varia antemeridianis & pomeridianis horis. Mense tertio elapso solemnia fiunt iudicia; cuiusdam qui cum viderat in portu Lucarensi celebrantem indicio, damnatur Sacerdotij: Vltra tamen ad supplicium progrediendum non censuere Iudices: plecti quouis tempore poterat, sed labor illi diuturnior, aliûsque generis corona parabatur. Infelicius longè accidit Hyberno Sacerdoti; is enim in robusto corpore ignauum gerens animum in omnia consensit, & vt precibus hæreticorum interesset, & vt in Regis Primatum iuraret, & publicè ad Iudicum subsellia Catholicæ fidei abrenunciaret: neque tamen confestim sortitus est libertatem, sed cùm ei *Scottus*, post abnegatam fidem, cubiculi consortium denegaret, detrusus ad sceleratos, eorum induit omnes mores, & qui prius modestus & prudens ab omnibus audiebat, perditæ iam nequitiæ profligatæque conscientiæ homo, nulliusque esse celebri visus est.

Eius caritas erga concaptiuos.

Fratrem iuniorem conuertit.

II. Non multo post interuallo subsidium pecuniarium accepit à *Blackwello* Archipresbytero & à fratre natu maximo: Iunior etiam *Edwardus* accessit, qui cùm Protestãtium errores alte imbibisset tam impotenter in Catholicam Religionem inuehebatur vt Commentariensis non illibenter fratris illi fideret custodiam, manseruntq; simul octiduum; quo tempore mutauit *Edwardus* sententiam, ac primò decreuit Protestantium conuentibus exinde non interesse; tum proximis Christi natalitijs redditus ab eodem Ecclesiæ, transmisit Duacum ad studia, ac in Societatem deinde cooptatus Sacerdos, feruidos naturæ motus transtulit in sedulam in Christi vinea operam, quam varijs in locis explicuit, ac demum in Missione Deuoniensi, cui præfuerat, diem obijt laboriosus Athleta. Neque fuit hic vnicus carceris fructus. In quadrimestribus iudicijs miser quidam morti adiudicatus tam grauiter tulit sententiam, (præsertim cùm solus plectendus esset,) vt ipsâ mortis cogitatione penè exanimaretur: eo forte tempore, veteri amoto, nouus carceri Custos datus fuerat: Hic cùm ex suis Ministrum nullum reperiret qui homini dignaretur adesse, rogat *Scottum* (quoniam virum bonum & non illiteratum esse intellexerat) vti susciperet consolandum: duabus prope horis fuere simul in conclaui, quo spatio, quantum breuis mora patiebatur, in fide institutum, & Sacramento expiatum, tanta compleuit lætitia, vt non mortis solum memoriam leuiter ferret, sed arctè complexus Sacerdotem, fusis præ gaudio lachrymis profiteretur nullo vnquam tempore tantum se in re qualibet percepisse solatij: iussus est rem taci-

Et malefactorem.

tam

tam habere ad diem vsque locumque supplicij: Eo loci Crucis signum fronti ac pectori frequenter imprimens fatetur se Romano-Catholicum: excandescit Magistratus; aduocantur pseudo Ministri duo; frustra conantur à fide auertere; in ore habentem assiduè dulcissima nomina *Iesu* & *Mariæ*, & Catholicorum flagitantem preces, de scala deturbant, cum fidelibus haud dubiè resurrecturum: Insanit Custos, minatur Sacerdoti extrema; ille vicissim minanti os comprimit quod nec ipse futurus esset immunis qui ad se hominem ad colloquium introduxit. Sex fere mensibus durauit ista captiuitas; tum procurante fratre iussus exire regno, conscendit Mercatoriam in Armoricam soluentem ad Sancti Maclouij: de itinere exscendens Garnesij, (Insula est Angliæ subdita) inde repetitâ postridie nauigatione, dum vela explicant turbidâ repente coortâ tempestate repelluntur ad littus Anglicanum, descenduntque ad Castrum Hurstij in agro Hantonienſi: Hic dissimulante Nauarcho, & numeratâ pecuniâ datur *Scotto* fugæ locus: de fugâ, recta ad *Garnettum*, petitque Societatem; datur *Gerardo* instituendus. Anno vix euoluto emergit infelix conspiratio: dum vltro citroque ad *Garnettum* mittitur consilij causâ, in excubitores ad singula penè vestigia incidens, singulari industriâ euadit inculpatus, reuersusque Londinum, post *Garnetti* mortem *Gerardum* sequitur in Belgium. Peractis probationibus in Angliam redux sæpe ostendit in occasione bene faciendi neque consilium neque animum defuisse. In agro Staffordiensi æger erat *Romoaldus* quidam cæmentarius; vir à natura probus, sed hæresis Caluinianæ sectator diligentissimus: Adit illum *Scottus* vnà cum virgine nobili è vicina domo; post verba vrbanitatis pauca, ingreditur sermonem de Dei misericordia erga peccatorem rite pœnitentem, de peccati fœditate, de Angelorum gaudio in resipiscentia, atque his similibus, quæ cùm *Romoaldo* videret esse non ingrata, deducit intus ad cubile & iubet quiescere; virgo interim honestè abducit vxorem: Tum *Scottus* progreditur, ostendit morem veterem fuisse peccata Sacerdoti legitimo confiteri; eius vestigium in ipsorummet precum libro superesse; dedisse Christum in Euangelio potestatem pœnitentes absoluendi; se Sacerdotem esse; suâ si vti vellet operâ, de æterna salute securum esse posse. Ille oculis in hominem aliquamdiu defixis," Videntur, inquit, quæ dicis rationi esse consentanea; ego me tibi, intelligenti vt video quæ sint necessaria, permitto) tum cùm porro disserentem audisset de vnitate consentioneque Ecclesiæ Catholicæ, & de perpetuo hæreticorum inter se dissidio, rite est expiatus, nequicquam sæpius pulsante vxore vt ingrederetur: filij ex agro cum famulis redeuntes rem vti erat coniecturâ assecuti stomachantur; minantur *Scottus* si reuertatur; vxor clamat perditum ab illo esse maritum; reuertitur tamen cùm à medico intellexisset spem vitæ nullam superesse, & rursus audet, ægrum iubentem domesticos à minis & iniuriâ quiescere, pulsis è cubiculo præter Catholicum comitem cæteris, postremis communit Sacramentis; æger intra horam astante viro pio Catholico moritur.

1611.

Ingreditur societatem et eius in Anglia industria.

1611. Capitur rursus & cuadit.

Post annos quatuor in varijs Missionis functionibus positos, indicante Atkinsono, Sacerdote Apostata, capitur, & in Portam nouam conijcitur. Tum forte ab Allobrogum duce missus Orator adornabat reditum; huic igitur donatur *Scottus* trans mare vehendus, neque tamen transmisit: Etenim cùm ex varietate nominis altercatio esset de persona, die vno subsecutus Legatum, exponitur rursus in litus Anglicanum: Mensis erat Quintilis: In Octobri sequenti iterum ab eodem Apostata proditus ad West-Monasterienſem carcerem amandatur: vbi à Custode inhumanius habitus, consilium init cum concaptiuis de fuga; quæ cum ei prosperè euenisset, reliquum vitæ & annorum quadraginta tempus vnis in ædibus equestris ordinis viri egregiè Catholici exegit, copiosam eius prolem in pietate ac literis instituens, & singulis fere hebdomadis ad alios præterea iuuandos excurrens; neque enim aut industriâ, aut propagandæ fidei Catholici ardore vlli erat secundus. Eadem in domo ad alterius vitæ præmia concessit circa Annum huius sæculi quinquagesimum quintum, Coadiutor spiritualis formatus.

Iacobus Blondel. Edwardus Brokus.

III Breuiorem vitæ cursum habuere *Iacobus Blundellus* Sacerdos, & *Edwardus Brokus* ad temporalium Adiutorum munera destinatus huius etiam anni Tyrones, vix tribus post emissa vota mensibus in itinere Hispanico, quod ex obedientia occæperant, ad laborum præmia anticipata vocati. *Blundellus* Vergaræ in Asturijs subsistere coactus diem obijt extremum. *Edwardus* ab ianua Seminarij Vallisoletani ad cubile delatus dies omnino decem superfuit. De *Henrico Lanmanno* quinto Sacerdote erit postea sermo.

Michaël Alfordus

Michaël Alfordus, ex duobus studiosis vnus, decursis Hispali Philosophicis Theologica prosecutus est Louanij: Tum Neapoli duos annos posuit Anglis nobilibus Institoribusque eo in Emporio frequentibus iuuandis, & alios quinque apud Sanctum Petrum Pœnitentiarius. Peracto deinde Sezzæ tertio Probationis Anno ad quatuor votorum Professionem admissus est, dum prima Procuratorum Congregatio sederet sub *Mutio* Generali. Anno vigesimo datus est Socius Magistro Nouitiorum Leodij, tum Superior Gandaui. Quo expleto munere in Angliam Dorobernij descendens coram Magistratu sistitur. Habebat in pera libellum *Thomæ à Kempis* de imitatione Christi exiguo volumine: quæstio erat quis liber is esset? Ministellus post multam versationem magno cum fastu, nec minori ignorantiâ, pronuntiat, " Inscriptionem periculosiorem esse quàm quæ libro viderentur contineri; Inscribi enim *Thomæ à Kempis* Canonici Regularis, Canonum vero regulas, & Canonistas omnes lege proscriptos esse, proinde non facile hunc dimittendum liberum.) Risum quis tenuerit? Quoniam tamen recenter prodierat edictum de Chalcedonensi Episcopo capiendo, proposito præmio ducentarum librarum nostratium, hic eo nomine ducendus decernitur. Londini ex accurata Chalcedonensis descriptione apparuit alium lõge ab hoc esse *Alfordum*, quare interueniente Regina dimissus, superuixit ad Annum huius sæculi quinquagesimum secundum: quo Anno transmittens vt vltimam manum Histo-

In Angliã descendẽs capitur.

riæ

riæ Angloſaxonicæ imponeret, lentâ correptus febri obijt Audomari, prope ſeptuagenarius; quatriduo antequam de vita decederet inuiſenti ſe cuidam in hæc verba locutus. " Duo & viginti nunc ſunt anni ex quo diebus ſingulis in vnum ex ſacris Chriſti Vulneribus irrepere ſoleo; nè igitur ex morbo minus attentus hanc conſuetudinem intermittam, reuocet, oro, mihi in memoriam quo die in quod vulnus ingrediẽdum ſit: hodie mihi Pes ſiniſter ſedes eſt.) Dies erat Mercurij; quarto poſt die, quo habitandum illi erat in Chriſti ſacroſancto latere (quod hoc carmine celebrarat.) 1611. Eius deuotio erga quinque Chriſti vulnera.

O anima, ingredere in Centrum, pia viſcera Chriſti;
O Sacrum Pectus, da mihi Amore mori.)

Piam animam efflauit, receptus, vti ſperandum eſt, eo in diuino pectore quod ſæpe pulſauerat, vt in æternum viuat. Viuet præterea, cum Deo bono, in ea, quam dixi, Hiſtoria Anglo-Saxonica, à primo fidei illa in Inſula exordio per duodecim ſecula deductâ; ornabitque Chriſtiani orbis Bibliothecas iuſtis voluminibus aliquot, ad exemplar Annalium Eminentiſſimi Baronij Cardinalis. Hæc de admiſſis hoc anno dicta ſufficiunt; quandoquidem cæteri vel ſuperſunt adhuc, vel nihil præbent ad Hiſtoriam ſingulare.

IV. Annus ſexcenteſianus nonus habuit *Franciſcum Walſinghamium* Tyronem, quem Deus eâ arte traduxit ad fidem orthodoxam amplectendam quâ ſocium ipſe ſuum in eiuſdem odium impellere moliebatur, & doctiſſimorum virorum à fide errantiũ vim nullam eſſe ad ea tollenda quæ de ſua ſecta dubitationem afferunt, luculenter commonſtrauit. Imbutus humanioribus in ſchola Pauliniana Londini, vbi adoleuit ſedulus fuit in adeundis Proteſtantium Concionibus, peruolutandiſque libris, tum etiam ſe ad Clerum applicuit, initiatus ab Pſeudo-Epiſcopo Elienſi horum, vt vocant, diaconatu, quo gradu obſtrictum ſe ſentiebat non ad ſe tantum eius in ſectæ opinionibus perficiendum, ſed & ad alios in eadem confirmandos. Ea occaſione factum eſt vt quem cuidam, quem non ſatis firmum in errore ſuſpicabatur, offerret legendum librum, ille eâ conditione acceperit vt viciſſim *VValſinghamius* admitteret à ſe librum alterum percurrendum. Is erat *Perſonij* defenſio Cenſuræ librorum duorum ab Charco & Hanmero Miniſtrorum editorum aduerſus *Edmundum Campianum* Sacerdotem Societatis *Ieſu*. *VValſinghamius* vt in Papiſtarum, ſcilicet, erroribus iocoſè luderet, illuderetque doctrinam, accepto non illibenter libro mole exiguo, etſi quidquid Catholici dicere pro ſe poſſent inſito hæreticis ſupercilio contemneret, ardebat tamen cupiditate videndi quid dicerent, & de via domum rediens indentidem inſpectat modò hanc, modò illam verſans paginam, & vbique incurrens in quidpiam quod ſectæ quam profitebatur Auctores quales fuerint viuis depingeret coloribus, indignabundus auertebat ſe tanquam à meris confictiſque mendacijs, neque tamen auertere poterat vocem ſine voce diuinitus menti illapſam Franciſcus VValſinghamius. Ex lectione Cenſuræ dubitat de ſua ſecta

1611. quâ tacitè monebatur "si talis reuera fuerit Lutherus & alij quos tanquam Cælo demissos viros veneramur, malo sanè loco nos sumus qui illos sequimur) Pudebat interim incidisse in paucorum foliorum fasciculum Papisticũ quem per se non posset conuincere erroris; domi non habebat appositos libros ad indagandam veritatem; verebatur alijs indicare vnde ei iniectus erat scrupulus; hunc tamen & illum adibat ex doctioribus, & velut aliud agens miscebat sua dubia colloquijs; sed cùm nihil referret præter quæstionis declinationem, aut facti, quod frequentibus testimonijs probabatur, nudam inficiationem, inquietudinis domesticæ pertæsus Londinum ad amplissimas Bibliothecas auolat; inspicit fontes ex quibus hausta probatio; nihil dissonum, nihil deprauatum reperiens hærebat attonitus, & anxius quid consilij capiendum esset; incidit in non vsitatum illud quidem sed quod ratiocinanti æquissimum videbatur. Secundò tertioûe sub Elizabetha & Iacobo Regibus iureiurando interposito hos terræ Principes agnouerat supremam in ijs etiam quæ diuiniora contingunt habere potestatem: Audendum igitur ratus est sibi, & à Iacobo Rege (Capite scilicet Ecclesiæ Anglicanæ.) petendum remedium; & ne quid humani eum ab hac mente retraheret voto se adstringit ad præstandum. Itaq; supplicibus literis animi ægritudinem eiusque originem breuiter explicat; has iunctas libello (in cultiorem formam compositò) ipse supplex tradit Greenwichi dum Rex die veneris Sancto ad Sacrarium progrediebatur vt precibus de more interesset, rogans vti dignaretur sua Majestas decernere quænam & à quo medecina quærenda malo esset. Rex vt aperuit, Hic "est, inquit, ex Papistis quispiam) & sisti iussit hominem, misso ex regij cubiculi custodibus nobili viro qui interrogaret quis, & vnde esset, cuius conditionis aut instituti vir, & qua mente librum literis supplicibus adiunxi esset; ad quæ cum parcè responderet sperans se regi egredienti rationem coram redditurum, datus est alteri custodiendus donec pomeridiano tempore vacuum esset. Tum sedenti in aula Concilij Regij Archiepiscopo Cantuariensi oblatus, astantibus hinc inde ex Cleri & nobilium ordine plurimis, post multa modò blandè, modò seuerè dicta de nouæ formæ literis, de temerario ad Regem accessu, de libello malè iuncto literis, quem *Personij* esse dicebat Archiepiscopus multarum proditionum Architecti, & quorum librorum numerum sat copiosum ipse flammis tradidisset, *Personium* ipsum egregiè excepturus si in manus veniret; "Quis auctor sit libri (inquit *VValsinghamius*) mihi certe ignotum est, neque valde est curæ quis fuerit: de rerum in eo digestarum veritate est quæstio: Etenim si vera sunt quæ narrantur de Lutheri commercio cum malo dæmone, de Caluini, & Bezæ, & ipsius Lutheri impudica impudentia, de fraude vniuersorum in tractandis dolosè scripturis sacris sanctisque Patribus, & alia plura, non alieno sermone, sed ipsorummet verbis expressa, haud facilè mihi suaseris nos rectam tenere viam: Quamuis enim de scriptoris auctoritate necesse sit decedat aliquid si fuerit Regi aliis in rebus iniurius, & quemadmodum rectè notatum est, Aduocati in defensione Clientum mille mendacijs aduersarium impetere soleant, eatamen

A Rege petit solutionẽ dubiorum in quę incide rat.

Causa cõmittitur Archiepiscopo.

ea tamen ipsa quando ostenduntur quàm sint mendacia veritatem illustrant & ornant; & si verum est responsum esse pridem huic libro, hoc ipsum videre aueo responsum quò facilius acquiescam: satis enim vbiq; notum est quàm ego acer semper fuerim Papistarum oppugnator; & horresco cogitans si forte obiectum fuerit eius superstitionis vel leue desiderium: quandoquidem tamen in hunc angorem incidi percuperem animo meo fieri satis) Fiet tibi satis (inquit Pseudo-Cantuariensis) tu modò me cras conuenias in Palatio Archiepiscopali. Crastinus vt illuxit, Cantuariensis hominem commendat Couello Sacellano suo instituendum. Vt sedêre, prolatis Lutheri scriptis, & ijs locis perlectis qui in defensione recensebantur, cùm se *VValsinghamius* commoueri ostenderet, mirariq́ue totidem verbis quot Lutherus scripsit recitari omnia, auertens se Couellus, "Vt vides, inquit, *VValsinghami*, hos libros & plures huiusmodi apud me habeo; Ego istos non tero; ab antiquo tempore apud me sunt; numero & ego inter Papistas affines aliquos, & amicos complures; ista me non commouent: si de eorum doctrinæ veritate persuasum mihi esset, nullius me dignitatis, nullius commodi cogitatio ab illa sequenda abduceret:) Atq; in huiuscemodi parergis extracto tempore in horam prandij discessum est, factâ potestate *VValsinghamio* domum suam reuisendi donec vocaretur: postero tamen die, siue quoniam Rex rationem exposceret, siue orta esset aliunde perturbatio, Cantuariensis non nisi multis oneratum iniurijs dimittit, multisq́ue culpatum quod ausus fuisset Regi libellum huiuscemodi offerre, adstrictum etiam iureiurando vt libros duos Thomæ Bell Sacerdotis Apostatæ diligenter percurreret, & doctum aliquem ruri consuleret, quò in ea quam à puero professus esset fide confirmaretur. 1611.

Archiepiscopus alteri rẽ committit.

V. Perspicuum erat Cantuariensem & cæteros diuerticula quærere, cupereq́ue de præcipua quæstione vitare congressum, ruri tamen nè iusiurandum neglexisse videretur, Apostatæ libros diligenter euoluit, notatis & in aduersaria relatis locis quæ nouam dubitationem afferrent, augerent scrupulum: Rabulam enim agebat ille potius furiosum quàm causæ modestum defensorem atque in maledicta vbique & in exaggerationes excurrens, legendi pariebat nauseam, non acuebat cupiditatem. Interea etiam pseudo ministrorum doctissimos consulebat, quos forte Visitationis Ecclesiasticæ munus conuocauerat, sed pari cum prioribus euentu: reperta tamen apud eorum quempiam responsione ad *Personij* librum, lætus se ad examen collationemq́ue dictorum accingebat: Vt enim ab eo *Personij* scripto orta est omnis illa anxietas, ita alio nullo remedio sanari posse videbatur quàm si aut vera aut falsa conuincerentur quæ in eo recensebantur. Londinum igitur rursus ad Cantuariensem & & ad Bibliothecas proficiscitur. Cantuariensis familiariter primùm & amicè acceptum rogat num legendo colloquendoue suo ipsius tandem animo satisfeciset; tum in corona plurium vnà sedentium doctorum hominum rei serie explicata, cùm *VValsinghamius* tam procul se ab tranquillitate potiunda abesse diceret vt ex ipsis quos acceperat Apostatæ libris nouis scrupulis agi-

Noua dubitatio ex Apostatæ libris.

1611. taretur, proiectisque in medium libris loca recitare inciperet quæ fucatò fallaciterque prolata arbitraretur, omnium in se vnum conjectis oculis, hic mirari, ille excandescere & quærere quid tandem esset tanti vel in Thomæ Bell, vel in cæteris quo tantopere commoueretur? Cantuariensis elatâ & concitatiore voce obiectans obstinationem & audaciã non tolerandam, minatur carceres; Alij & inter hos Christophorus Perkinsius (de cuius à Societate defectione initio huius historiæ narratũ est) seorsum abducto suadere conantur vt omissa difficili disceptatione animum ad receptas per Angliam opiniones inflectat; ea conformatione Regis & Cantuariensis conciliatâ gratiâ gradum etiam ad dignitatem aliquam, vel ampliorem certe fortunam fieri posse; periculum esse si obfirmet animum præsenti ne excidat & futura spe. Quæ ratio cùm animũ veritatis indagandæ non lucri auidum nequaquam afficeret, & facta esset secundò abeundi copia, ratus frustra rediturum se ad eos qui alia omnia agebant præter id de quo ipse cupiebat doceri, studium suum omne ad conferendos inter se Catholicos hæreticosque scriptores conuertit; in quo cùm ad plures menses improbo labore desudasset, & breuiori deinde cursu à Catholicis Catholica dogmata didicisset, in vniuersalis Ecclesiæ decretis conquiescens ad Ortodoxorum partem transiuit, & opportunitate vsus exulantium eo tempore Sacerdotum, tanquam ex illis vnus, regnum speque fluxas deserens Romamque ad *Personium* semigrans, post studia grauiora Societatem amplexus est; editaque in lucem Conuersionis suæ historia (quam *Disquisitionem* inscripsit de rebus ad Religionem pertinentibus) non minus aliorum quàm suæ saluti consuluit; multos enim rei vti gesta est sincera sine fuco narratio ad sana cõsilia induxit, cùm vnà subiecta oculis conspicerent & hæreticorum frudulenta artificia ad ea quocunque demum colore contegenda quæ honestè defendere non possunt, & Catholicorum apertam solidamque rationem sua demonstrandi, & antiquam ab Apostolico tempore fidem ad ætatem nostram propagatam confirmandi. Quæ ratio cùm exitum non valde disparem habuerit in alterius Pseudoministri reductione ex eiusdem *Personij* alijs libris perlectis, adiungam istius ad *Personium* latinam, quemadmodum accepi, Epistolam quâ rem vti accidit explicat.

Alterius Pseudo-Ministri conuersio.

VI. Reuerende Pater.

Miraris forsitan quod ignotus ignotum literis hisce meis interpellem; vlterius etiam miraturus, si fatear me ab eo nunc viro opem petere, cuius olim nomen, mirè apud nos diffamatum miserque tractatum, solebam horrere; sed puer hæreticus cum essem, non tam malitiâ quàm sapientiâ, sentiebam, loquebar, faciebam vt puer & talis puer: vtinam nunc vir Catholicus fiam, delicta iuuentutis plangam, & plangenda non committam. Mirum hoc videatur, & si placet, miraculum, quod Minister Anglicanus, satis opimè beneficiatus, vxori & liberis astrictus, hæresim in qua natus, nunc palam repudiet, fortunis omnibus se exuat, & in Sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ gremio foueri desideret: sed mirabilia qui facit Deus, hoc fecit, & ob

hoc

hoc in me factum, sit nomen Domini à me semper benedictum, quem item submissè oro vt quod in me incæpit, perficiat opus bonum. Deus autem qui attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, plurimum per media suauia perducit ad finem fortiter apprehendendum. Te igitur, Pater Reuerende, quem habui operantem in dispositione, habeam cooperantem in apprehensione; libri siquidem tui, pij, doctique (qui hic tibi augent meritum substantiale, & post hac augebunt accidentale) præparabant mihi cor (instar medij externi) ad suspiciendos bonos mores, & incitabant ad inuestigandam fidem rectam, libros dico *Christianæ Resolutionis*, & *Triplicis Angliæ Conuersionis*. Atque vt intelligat Paternitas vestra quo nunc sim statu & quid à R. V. petam, à primordijs vsque ad præsentia rem breuiter repetam. 1611.

Libri Personij lectione inchoata.

Ante annos duodecim, cùm primùm studio Theologiæ animum applicuissem, ad sacræ Paginæ textum, more nostro, statim me confero, & ad Neotericos Protestantium Commentarios; Illam inueni obscuram, hos vbiq; pene varios, aut contrarios: obstupesco: libros igitur quæro de vitæ emendatione, & virtutum institutione; præsto sunt multi, atque inter hos (rem dico, non adulationem) tuos *de Resolutione* reperi præcipuos; quorum quidem attentâ lectione adductus sum ad vitam aliquanto melius componendam; inde etiam cogitans meditor, An sit possibile vt qui tam sedulò & seriò curant bona facienda, ijdem tam turpiter hallucinentur circa vera credenda, sicut in nostrorum libris legi scriptum, & ex nostris suggestis audiui concionari. Sepositis igitur confusis illis Caluini Institutionibus, comparo mihi dignissimi nunc Cardinalis *Bellarmini* opera quædam, & nostratis acutissimi *Stapletoni* nonnulla Scripta, & doctissimi *Melchioris Cani* locos communes; Aduocatos item mihi assumo Chemnitium, *VVhittakerum*, & verbosum Bezam: Rem aliter se habere statim sensi quàm vulgo iactatur quoad quæstionum multarum verum statum; atque in paucis illico mutaui sententiam, veruntamen in plurimis vel ignarus, vel obstinatus persistebam, in reliquis huc illuc impellebar, & incertus fluctuabam. Diuertebat me tunc temporis ab his Controuersiarũ studijs ad perlegendos Scholasticos vir quidam Senex, grauis & doctus, Dominus Castletonus, cuius prudentia tota Diœcesi Norwicensi plurimum æstimatur: Ego autem, tum cum eram in ædibus G. Redman, nuper (vt nos loquimur) Episcopi Norwicensis domesticus & eiusdem dum vixit Capellanus, hunc Castletonum summopere venerans, & eidem peculiariter deuinctus, eius parui consilijs: percurro leuiter Magistrum sententiarum, & deinceps similiter Diui Thomæ Aquinatis summas omnes: in istis quæ capio, amplector, quæ non capio, admiror, omnia pene mihi sapiebant benè; obseruo mirum Gratiæ ordinem, videoque eos multo aliter statuere de multis Religionis Capitibus hodie Controuersis, quàm nostri putant, aut saltem prædicant: Ego id miror, & fraudem suspicor: Redeo ad Controuersias; hoc potissimum proposito vt quæram, An moderni Catholici, à veteribus

1611. ribus Catholicis, vel vtrique eorum inter se inuicem dissentiant necne in rebus fidei? Illos igitur reuoco ad normam Concilij vltimi Tridentini: Omnes adeo consentiunt, vt ego in pluribus amplius dissentire non potuerim: Ex quo proinde in celeberrimis variorum locorum & populorum Auditorijs, in Concionibus meis publicis cæpi palam proponere in aliquibus doctrinæ Catholicæ veritatem, sed eâ cautelâ adhibitâ in deligẽdo subiecto de quo sermonem essem habiturus, vt etiamsi manifestè causam perorarem Catholicam, Ecclesiæ tamen Anglicanæ (quæ pauca habet definita) apertè non contradicerem, neque legibus nostris secularibus (quæ plurimos habent laqueos) memet innodarem: Atque ad eundem modum elapso iam sexennio in publicis disputationibus Cantabrigiæ pro Sanctæ Theologiæ Baccalaureatu habitis, liberũ hominis arbitrium pro virili defendi. Neque hic potui me cohibere; quoniam ignitus in me ardebat feruor auitæ veritatis à scorijs expurgandæ. Pergo ad Historias Ecclesiasticas Tripartitas, Eusebium, Theodoretum, aliosque; Patres etiam nonnullos euoluo; & quorum antea legeram tantummodo tractatus quosdam morales, & sermones de tempore, eorum nunc peruoluo, scripta quædam Dogmaticà, quædam Polemica: Deus bone! quam verum repe-

Apud Cãpianum in ratienibus

ri eius dictum qui respondit *non posse fieri vt Papista non esset, qui Patres legat, ijsque credat.* In pluribus iam captus non potui euadere; in multis adhuc, nostrorum deceptus commentationibus, quærebam diuerticula, ac in ijs latui subterfugijs. Interim vero cæpi Catholicos inter nos degentes obseruare, eos illorumq; virtutes apprimè diligere, ijsq; in suis calamitatibus condolere, & in quo potui opitulari: Inter cæteros summè obseruabam D. Thomam Cor-

Promota Catholicorum probitate.

wallis Equitem (vtpote à cuius ædibus beneficia mea non multum distabant) & D. Ioannem Bedingfield Armigerũ, viros prudentissimos, & integerrimos; quorum herclè exemplis erga Deum pietatis, erga homines probitatis, & sobrietatis in se, adeo commotus sum ad examinandam eorum Religionem, & ad conscientiam meam compescendam vt necessarium mihi duxerim adire Framlinghamiam, vbi tum tenebantur in carcere multi Sacerdotes Catholici. Illic conueni semel iterumque Guilielmum Alabasterum amicum meum; Is me adduxit ad Patrem quendam Iesuitam, cuius quidem ligni sancti sacros nonnullos decerpsi & degustaui fructus; antequam vero coquerentur hi gustati, vel matuescerent alij percipiendi, Elizabethâ nostrâ nuper reginâ morte subito abreptâ, hæc mihi dulcis occasio est etiam intempestiuè prærepta; Ille enim in exilium protinus est protrusus, ego in solitudine consilij, & solicitudine animi relictus, nesciebam qua me verterem: Ille certe discedens curam dederat amico cuidam suo intentionem meam promouendi; neque ego penitus neglexi: explicare tamen nequeo quantis angebar animi anxietatibus, quantis agitabar diaboli molestijs, quantis mundi infestabar curis: Deum testor, hæc recolens horreo; & ab his iam liberatus, Deum vt imperet, Sanctos omnes vt impetrent feruenter oro humiliterque rogo. Sed tamen propter ingruentem, & vbique eo anno grassantem horridam pestem, neque

potui

potui itinera quæ debueram suscipere, neque in quibusdam pungentibus dubijs mihimetipsi satisfacere: Orabam assiduè (Deus nouit quantâ cum deuotione), & quamprimum per pestis periculum licuit, doctos amicos quosdam meos adij, & qui in Academia, & qui extra: Singulis proposui dubia; eorum probabilibus (vt mihi tum videbatur) sed non necessarijs responsionibus aliquantisper acquiesco; cicatrix vulneri obducitur; studeo deponere cõscientiam; ideoque à discutiendis vltra his meis dubijs abstinere decerno; præsertim cum persuasa haberem hæc doctrissimorũ nostrorum placita, Ecclesiam scilicet, Romanam nostramque eandem in rebus fidei ad salutem necessarijs retinere vnitatem; vtrasque esse veras Ecclesias; nostram ab illa deriuatam in successione Ordinum quoad necessaria, in deriuatione doctrinæ quoad fundamenta; vtrosque posse saluos esse; &c. Sic volui animam meam periclitari; hocq; modo annum pene integrum sopitus delinitusque conquieui, in reprimendis peccatis sedulus, in fide otiosus. 1611.

VII. En autem optimam maximamque Dei opt. max. benignitatem & clementiam erga me indignum miserumque: Venit mihi tandem in manus liber ille tuus terq; quaterq; laudandus *De Triplici Anglorum Conuersione*, qui me dormientem experrexit, vigilantem pupugit, & prouocauit reluctantem, adeò vt non possem non redire ad pristinam saltem indaginem: perspexi etiam præterea clypium mihi quendam è manibus excussum, quo antea me texeram; Collegi me quantum potui; & licet non auderem spiritum extinguere Tuâ ope in me accensum, volui tamen in acie Ecclesiæ nostræ dimicare, vsque ad omnium meorum dubiorum internecionem. Vltimo aggressus sum Patres Iesuitas, quorum præcipuè expertus sum Charitatem & eruditionem. Restiti tamen illis quantum potui, donec veritate diuina prælucente reliquæ errorum & dubiorum caligines sunt dispersæ, & sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicę auctoritate me constringente victus succubui, herbamque porrexi. Accipiat igitur me Mater Ecclesia precor, non vt leuem transfugã, sed vt supplicem Captiuum; Hoc primum cupio, hoc præcipuè peto. Sed & alia sunt quæ velim à te exorata, primo & maximopere altũ desidero huius negotij silentium ne quouis modo notitia ad Magistratũ perueniat; donec per meipsum, vel per amicum fidelem negotia quędam mea in tuto ponantur, vt concreditum mihi æs alienum persoluatur; ad quæ peragenda vellem, si fieri possit, alterius anni meorum Beneficiorum fructus Ecclesiasticos mei recipiant, antequam ad meam depriuationem secundum Iuris Anglicani formam procedi possit: Vellem etiam inscijs omnibus sub alio pretextu hinc discedens, per totam proximam hyemem alicubi delitescere: In proximum autem Ver pararem me ad quamlibet directionem; atque hæc de taciturnitate.

Iterata librorum lectione cõfirmata.

Secundò de Caritate; vbi mendicum me agere oportet, vestram implorans auctoritatem quâ polletis apud viros magnos, & benignitatem quam præstare soletis erga minimos; vt ex vestra gratia habeam vbicunque terrarum vel tenuem victum pauperemque vestitum, pro me, vxore, & quatuor liberis

1611. (quos omnes aspirante Deo efficiam Catholicos) dedistis animo consilium, exhibete corpori auxilium; non possum plura præ &c. Hæc autem vtcunque se habeant, non solum paratum cor meum, paratum cor meum, sed & fixum cor meum, fixum cor meum, adiuuante me Deo, quæcunque in labore facere, quæcunque in dolore pati, citius quàm à fide Catholica Ecclesiæ Romanæ amoueri: Nunc enim post nimbos sol; post tonitru Cœlum serenum; tranquillior iam facta est conscientia, Deo gratias, solidior iam fides, firmata mihi pax: Nauis mergitur vel quia infirma, vel quia tempestas opprimit, vel quia Nauclerus dormit: Anima parua est: Deum igitur Patrem inuoco omnipotentem vt in virtute sua corroboret meam infirmitatem; Deum Filium sapientem, vt imperet ventis superbiæ, & conculcet fluctus mundi ne animam obruant; & Spiritum Sanctum, Deum bonum, vt me semper expergefaciat suis inspirationibus, ne vnquam requiescam in securitate, aut propter peccata obdormiscam in morte. Idem Deus in Trinitate vnus, & in vnitate Trinus Reuerentiam vestram & anima & corpore seruet incolumem. Datum nono Iulij Anno Domini 1605.) Scripta sunt ista à nondum Ecclesiæ conciliato: Annus vix labitur; mittitur Carolus Cornwallis Orator in Hispanias: Hunc sequitur iste, & non longo interuallo redditus Ecclesiæ donatur à Rege verè Catholico assignatione pecuniæ quanta illi, vxori, liberis sufficeret sustentandis.

Alius per Bellarmini scripta cõuersus.

VIII. Iungamus & tertium quartumque eiusdem generis homines qui non *Personij* quidem libris, sed scriptis Bellarmini & similibus lucem acceperunt & gratiam, fortunam locupletem vt spernerent famamque vulgi præ animæ in Catholica securitate. Ex quo & illud colligi poterit, quod quamuis ex plebeis fortasse plurimi possint ignorantiâ non vincenda laborare, & ab hæreseos aut Schismatis vitio liberi esse, quoniam aliud nihil contingit legere aut audire præterquam quod odium prouocet rectæ Religionis; inter doctiores tamen difficulter possit quisquam esse immunis, quin videat meliora, probetque, sequatur vero deteriora, vel obstinatione iudicij, vel rerum amore mundanarum: de quibus Apostolus ad Titum: *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, cùm sit proprio iudicio damnatus.* Etenim quanquam nullum habuerint externum monitorem qui eos verbo corriperet, inter tam multos tamen quos versant libros Theologorum, Concionatorum, Historiographorum non possunt non vehementi tangi dubitatione an rectam ineant ipsi viam qui à Romano-Catholica discesserunt. Ex his vnus suam his verbis explicat conuersionem ad Cardinalem scribens.

Reuerendissime & Illustrissime Domine. Si mihi licuisset in Anglia veritatem scriptorum vestrorum vel ignorare, vel asserere, nunquam credo literæ meæ ad vos peruenissent in Italiam: Cùm autem neque doctrinæ vestræ lumen declinare, neque iniquissimorum hominum calumnias ferre possem domi, relictis omnibus meis libris in Musæo meo Cantuariensi, simul cum reliquis bonis ac fortunis vniuersis, me per occasionem aquarum spadanarum

& itineris

& itineris Palatini subduxi, & apud vestros Colonienses Catholicæ Ecclesiæ in 1611.
æternum addixi. Itaq; bono iure me ad Illustrissimam Reuerentiam vestram scribere debere existimo non tam vt opem vestram implorem ad calamitates exilij sustinendas, quàm vt gratias agam de animæ libertate & salute. Fui quidem nuper & à multis iam annis Regius Concionator, & cum bona ipsius gratia Canonicus Cantuariensis; decanus Teringensis, Rector Romanensis, & Vicarius Themtramiensis; sed Ecclesiæ Catholicæ communionem, vestra potissimum opera mihi commendatam, non solum rei iam partæ sed etiam spei multo ampliori libentissimè prætuli. Quamobrem Illustrissimæ Reuerentiæ Vestræ gratias ago quàm possum maximas, non solum nomine meo, sed plurimorum in Anglia virorum doctorum qui de lumine vestro lumen suum & ardorem quotidie accendunt: Et humiliter ab eâdem peto vt hoc meum officium boni consulat, & me suis commendationibus iuuet, & benedictione confirmet. Deus opt. max. ad pacem Ecclesiæ & conuersionem Angliæ vestram senectutem aquilinam faciat. Leodij datum Ianuarij 10. 1614. apud Patres Societatis *Iesu*.

Vestræ Illustrissimæ Reuerentiæ deuotus & humilis.
Beniaminus Antonius Carierius Anglus Th. Doct.

Ad quæ Bellarminus. Admodum Reuerende & Doctissi. Domine. Literæ tuæ lætificauerunt animam meam: Egi gratias Deo quàm potui maximas pro dono gratiæ singularis tibi collato, & Nobis per communicatorias literas insinuato. Paucis enim datum est vt inter tot Schismatum & hæreseon tenebras veram Ecclesiam internoscant, sed paucioribus vt ita cognitam diligant vt temporalibus commodis & honoribus, ac potissimum Regijs fauoribus (vnde illa tanquam à perenni fonte scaturiunt) magno animo spretis, ad eius amplexum accurrant. Quod si in exilio isto voluntario ærumnas & angustias propter Dominum tolerare te oporteat, beatus eris: dignus videlicet effectus non tantum vt in Christum verè credas, sed etiam vt pro illo patiaris: Nam quemadmodum nihil erit in futuro sæculo beatius quam esse Christo similem in gloria, sic in præsenti tempore nihil est vtilius quam esse Christo similem in passione: hinc enim oritur gaudium illud solidum & perpetuum quod nemo tollere potest à nobis, de quo Apostolus loquitur cum ait, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Neque hoc dico quod operam meam in te subleuando præstare nolim, sed quia ex corde gratulor tibi non solum de coniunctione cum Ecclesia Catholica, extra quã non est salus, sed etiam de pretioso patientiæ dono quo te à Deo nostro insignitum mihi videre videor. Iam verò quod ad me attinet, nihil est quod mihi gratias agas; nam *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat* est aliquid *sed qui incrementum dat Deus.* Ergo quod à Matre Catholica fuxi, hoc alijs ministraui. Si quid in scriptis meis vel minus doctè, vel minus per-

1611. spicuè, vel minus solidè positum est, id solum mihi attribuo. His valeas, vir optime, & doctissime, mei memor in Sanctis precibus tuis. Datum Romæ 14. Februari. 1614. Cardinalis Bellarminus.

Hic sub *Iacobo* Rege spes suas resque dimisit, viuens & valens, vt Christum nudus potius sequeretur ad sponsæ amplexus, quam splendidè vestitus in Aula terrestris Regis Cathedram teneret pestilentiæ. Alter eiusdem gradus & loci apud *Carolum* Filium, cùm magni esset nominis & auctoritatis, mori voluit Catholicus, stupente Rege & Aula vniuersâ, satius existimans (vt quidam non infacetè respondit Regi interroganti) animam committere Naui Petri, quam cymbæ Caluini. Atque hæc ostendit Deus per interualla conuersionum exempla vt alij vel discant sequi, vel sua negligentia excluſi condemnentur. Redeamus nunc ad ea quæ nos propius contingunt.

Doctor Pricius.

Edmundus Neuillus senior.

I X. Annos ætatis numerabat *Walsinghamius* triginta septem quando ad Societatem accessit: *Edmundus Neuillus* eiusdem anni Tyro sex & quadraginta: quem familia ortum perillustri prædiues patrimonium in West-morlandiæ comitatu velut hæredem sequebatur, si tempori obsecundare statuisset: sed spe æternorum præsentium vincente speciosam ostentationem, prætulit opprobrium Christi principum delicijs, & Societati se adiunxit Sacerdotio initiatus. Annos vixerat octoginta septem, quando ardente bellis ciuilibus Insulâ, lecto à multo retro tempore affixum rapiunt Parlamentarij milites, & impositum carrucæ & vix spiritum ducentem auehunt ad quoddam quod in vicino erat oppidum, & tradunt custodiæ; At neque in vinculis dereliquit eum Deus; prouiderat enim illi Matronam piam quæ & sumptum omnem faceret, & tanquam parenti ministraret: exactis in ea custodia mensibus nouem, quam libertatem inuiderant Religionis hostes, solutis corporis vinculis à Deo obtinuit.

Præter illam verò quæ tyrocinio est propria culturam animorum, proximo etiam porrecta sunt auxilia, quotannis aliquot spiritualibus exercitationibus excolendo, alios patrio solo extorres solando, & ad toleranda quæ incidunt ardua confirmando, militibus qui ex vicinis Hollandorum castris profugiunt docendis ea quæ ad fidem & vitam Christiano dignam spectant, ijs denique qui stipendia sub Hispano merentur erudiendis. Quæ atque his similia cum per annos singulos recurrant, semel dixisse satis est, vt ex primis sequentia intelligantur. Annus autem eius sæculi decimus (qui fuit *Personio* vltimus) non tyronum tantùm aucto munero (censebantur enim duo & viginti; Sacerdotes videlicet vndecim, & totidem rerum domesticarum Adiutores) sed noui etiam spe Collegij fuit celebratus, in quo ex Tyrocinio in posterum translati iuniores Philosophicis Theologicisque disciplinis darent operam, prouectiores docendo scribendoque orthodoxam fidem defenderent ac propagarent, vt tanti viri iacturam hac noua accessione Deus lenire voluisse videatur.

X. *Iaco-*

X. *Iacobus* Rex Angliæ *Bancroftij* Pseudo-Cantuariensis Antistitis vsus consilio induxit in animum Collegium vt institueret Noui-verbi Ministrorum, in quo selectissimi quique sumptu publico alerentur ad quæstiones cum Catholicis controuersas scriptis libris discutiendas, & quibus posset armis sustentandas, surrexeratque ædificium ad cacumen in agro Londino proximo villæ cui nomen *Chelsey*, cùm diuina Prouidentia nobilissimi viri mentem impulit vt doctis doctiores, Orthodoxos Heterodoxis opponeret, & ijs instrueret subsidijs quæ ad pugnam hanc literariam essent maximè opportuna. Animaduerterat quanto cum illius Insulæ emolumento quamq; exiguis præsidijs muniti Societatis nationisque nostræ viri hoc in genere desudarent in longinquas Regiones dispersi; cui malo vt occurreret de erigendo eiusdem Societatis & gentis Collegio serio deliberare cæpit, eo consilio vt è vicino Anglicarum rerum rationes intuentes, deliramenta in quæ propriè suæ linguæ homines deuiarunt ediscerent, & facilius refutarent; promisitque vendito patrimonio decem millia librarum nostratium, si intra triennium conuenirent quinque vel sex docti viri ad scribendum instructi, & iuniores alij ad similia certamina educandi, retento sibi iure ad duo millia vitalitio censui condendo quandocunque animus esset exigendi; In quam conditionem cùm non veniret *Claudius* Generalis, duo millia in alios pios vsus dispartitus est. Tum intermissâ conditione duos post annos dos octo millium aureorum nummûm constituta est, & à *Claudio* acceptа decimo tertio Octobris anni sexcentesimi duodecimi; quam acceptationem is qui donauerat coram idoneis testibus Chirographo suo firmauit eiusdem Anni mense Decembri, die vigesimo nono; & rursus post Collegium stabilitum, cùm Anno decimoseptimo esset Parisijs, & calumniarentur aliqui conditiones doni omissas esse, pridie calendas Februarias scripto testatus est à Nostris pacta omnia secum & cum *Claudio* esse seruata, neque se quidquam, neque ipsius iure quempiam exigere posse aliud, quam vt in quo cæperant manerent perseuerarentque. Atque vtinam perseuerasset ipsemet in eo virtutis stadio quod præ se pluribus annis tulit: Etenim in deuexa ætate captus amore mulieris non optimæ famæ vixit, mortuusq; est in eo viuendi statu, vt an veræ pietatis sensus aliquis in eo permanserit merito dubitetur. Pecunia etiam quã dederat in Italiam transmissa, & in agris coëmptis vtiliter collocata, fraude & dolo malo administrantis Itali, vel tota, vel pene tota perijt; Deo infidelis hominis donum respuente: Quod damnum vt magna ex parte resarciretur, *Richardi Blondi* Prouincialis industriâ ac diligentiâ perfectum est, pecuniâ altera ex eleemosynis corrogatâ. Domus etiam in pseudo-Ministrorum vsum exædificatæ non fuit stabilis fortuna: Etenim Bancroftio è viuis sublato, in hæretici operis dignum exitum, hoc est, infame prostibulum degenerauit. 1612.

VVilsonus in Iacobo. Ao. 1610.

Collegij Leodiensis origo.

Nostri vt Donatoris voluntati quam citissimè gratificarentur, eodem ipso anno duodecimo Collegij primordia posuere Louanij in ea domo

Eius Collegij primordia Louanij posita.

1612. mo quam Tyrones incolebant; quæ deinde Anno decimo quarto in duas partes diuisa est: nam extra præcipuam Equitum Melitensium habitationem erat altera iuncta fornice supra viam regiam cum amplissimo horto quam agricultor occupauerat: In hanc vsibus nostris aptatâ migrarunt Nouitij cum Magistro, Rector datus est Collegio *Henricus Silisdonius*. Inchoatum opus tam vtile cùm interburbare non posset hæreticus æmulator, nobili loco natos, & equestris ordinis viros aliquot, qui Louanium cum familia confluxerant vt Patrum solatio, & Religionis Catholicæ exercitio cum quiete frueretur, affligere conatur, misso ex Anglia Apparitore qui citaret ad comparendũ in Insula primo quoque tempore, possessionibus si non parerent spoliandos. Non tam tectè hoc tentatum est quin innotesceret; itaque subduxerunt se aliquamdiu, & mutata quasi sorte, illa ipsa caritatis officia à nostris experti sunt quæ nostris in Anglia præstiterant; nam & clanculum ad Sacramenta admissi sunt, & in habitationem occultam, quantumuis arctam recepti, donec Orator Regius apud Iacobum conquestus de rei indignitate, ille negauit sua auctoritate factum esse, & Magistratus Louanienſis Apparitorem interceptum expulit ciuitate. Hæc anno duodecimo & sequenti euenere; quo anno numerabantur in domo Probationis Tyrones viginti sex.

Guilielmi Bruni pietas.

XI. Inter hos *Guilielmus Brunus* Nepos, frater, & patruus Vicecomitum de Monte acuto; cuius Auus ante natam in Anglia hæresim, vltimus fuit illius Insulæ Regum Orator apud Summum Pontificem, qui in auita fide constantiam posteris in hodiernam vsque diem hæreditariam reliquit. At alia fuit *Guilielmi* prosapia, eximia virtus, quàm à primis annis ita inseruit diuina bonitas, vt quãquã plus satis fortasse pro more patriæ venationis & aucupij oblectationes sectaretur, testentur tamen ij qui à Cõfessionibus illi fuerunt, innocentiã baptismalẽ mortali nullâ noxâ fuisse inquinatã. Dum his vacat honestis licitisq; recreationibus, iniecta est ei diuinitus cupiditas sacrosanctã Laureti Virginis ædẽ inuisendi; Igitur distributis inter necessarios famulis, equis, canibus, sibi in reditũ seruandis, traijcit in Belgiũ; Nostros Audomari vt in itinere salutat; vix vnum diẽ rogantibus concedit quò Cõfirmationis Sacramento muniretur. Inuncto sacro Chrismate ablatus est festinandi ardor; parare se satius arbitratur præteritæ recordatione vitæ, & piarum rerum commentatione: In hac caducorum omnium concipit tædium, atque ad arctiorem viuendi rationem adijcit animum; certus valedicere seculo, incertus cui se familiæ tradat, redit in Angliam; ex reditibus factâ pecunia reuertitur Audomarum, atque iterum deliberans decernit inter domesticarum rerum Adiutores nostræ Societatis cooptari, humile illud & caritatis plenum vitæ genus tanto studio cõplexus, vt concessas alijs relaxationes negatas sibi optaret aut admitteret inuitus, corporisque salutem tam nihili faceret, vt bene ei precantem inhibuerit, donec doceretur & hoc concedi, quò Deo obsequium præstetur diligentius. Et creuere cum die omnes virtutes: Etenim honoris mundani sensum prorsus nullum habere videbatur, nullum terrenæ nobilitatis; nauseam potius generabat honorum

Eius humilitas & honorum contemptus.

horum commemoratio; è contrario verò vilissima quæque domus officia studiosissimè quærebat & amabat tenerrimè. Adolescens ex Conuictu (qui erat Leodij) obuiam illi factus onusto ijs quæ ad porcos ferri solent eiectamentis, cùm nescio quem de nominis ipsius atq; familiæ splẽdore intulisset sermonẽ, ille depositò tanti sper onere subsistens, "Mallem, inquit, hoc totum quidquid est in collum infudisses meum, quàm huiusmodi verba à te audire,) Actum resumpta situla ad instituta pergit. Pluribus annis duas fere horas impendebat in culina tergendis ollis, extruendo ignem, & alia huiusmodi quæ humillima erant domi obeundo tanta voluptatis internæ copiâ vt exundaret in vultum, argueretque cæleste quoddam lumen quo ille penetrabat in absconditos horum munerum thesauros qui non reuelantur nisi verè paruulis. Cùm translato Leodium Tyrocinio formaretur ex rudi colle eius loci hortus, hic Brunorum stemmate ac titulis decorus baiulum agebat inter baiulos, & pendenti ab humeris corbi vimineo ingestam terram & rudera comportabat, manu tenens libellum de imitatione Christi Thomæ à Kempis (quem vnicum dilectissimumque sibi delegerat quacumque iret Achatem) vt ex eo, dum sederet onerandus quidpiam decerperet de via ruminandum: Quæ cùm fama detulisset ad sorores & Matrem, & illæ ex errore vulgari rem perperam interpretante indignabundæ exprobrarent tanquam familiæ nobilis maculas; "Suas iussit vt haberent sibi delitias, dum ipse ex diuina benignitate cælestibus affluere t; monuitque vt turbulentum & periculosum mare nauigantes viderent vt ad portum opportunum euaderent incolumes.) 1613.

Syncera in Deum solum affectio.

XII. Dei Spiritus qui super humiles quieuit, nactus materiem capacem mirè extulit hanc animi demissionem, & virum illiteratum magna luce collustrãs arctissimè sibi iunxit. Quidquid cogitaret, quidquid loqueretur aut ageret non id solum spectabat quod bonum & honestum, sed quod esset optimum: Hinc vitam longam cum spe augendi caritatem, præferebat breuiori quanquam securæ; & si quis inter sordes sudantem de futuræ gloriæ præmio moneret "Crede, inquiebat, mi frater, id ad quod ego collimo est Deo vt placeam, de Cœlo prout ipsi visum fuerit ipse disponat) suggerenti vero cuidam ex Beati nostri *Ignatij* mente posse nos nonnunquam pœnarum metu aut spe præmiorum iuuari, "Mi bone Pater, inquit, viginti iam anni sunt ex quo nulla re alia quam vno Dei amore moueri me sentio.) & aliàs "imitandam esse in terris Beatorum vitam, qui quamuis Sanctorum & Angelorum consortio fruantur, eosdem tamen prætereuntes quodammodo, in vno Deo defiguntur; ita à viris pijs etiamsi varia peragenda sint, & ob varia laude digna præstari possint, vnum tamẽ Deum præ oculis habendum.) & "si Sancti de cœlo se nobis exhiberent spectandos, vt hospites gratissimos salutarem, sed bona eorum cum venia in vnum Deum intenderem animum) Assidentiq; aliquando luculento igni cùm incidisset sermo de diuina præsentia, "Mirari se, dicebat, quomodo Creatura in tanto ardore non colliqueseceret;

1613. Horror peccati

ret, tanquam si butyri permodicum in eum ignē inijceretur.) Hinc etiam ortum est vt cùm vel nomen peccati mortalis inferretur, videres continuò resistentem tanquam ad rem inopinatam & horridam, & crucis expresso signo exclamantem, "O quàm deploranda res est Dei gratia carere?) & cùm narrantes audiret de malitia, grauitateque scelerum quæ à flagitiosis in seculo cōmittuntur, rogabat huiuscemodi ab sermonibus vt abstinerent; rem enim sibi intolerandam videri de talibus vel cogitare. In oratione minimo attactu diuini solis sine multa ratiocinatione, instar purissimi Crystalli totus perfundebatur cœlesti luce & igne: Matutino tempore horam vnam ante reliquos precando impendebat; binas vel ternas etiam flexis genibus ante meridiem nisi ad opus vocaretur: Deum in qualibet re & loco præsentem intuebatur, adeoque cùm esset socius Emptoris, vel alia de causa exeuntium, vbicunque moram faciebant ad negotia, ille confestim aut prouolutus in genua precabatur, aut in angulum se recipiens *Thomam à Kempis* peruolutabat, tanta cum omnium gratia, vt licet importuna videri potuisset ista pietas, omnia illi cooperarentur in bonum, & vnusquisque domum suam felicem prædicaret quam huius preces consecrassent. Et quoniam de libello Thomæ à Kempis de Imitatione Christi dictum est, (*vt est patiens laboris Pietas*) tam assiduè, tam indefesse, & attente illum perlegebat, vt nihil esset in toto libro reconditum quod non infixum memoriæ, atque vsu pertractatum haberet; Hinc mentis lumina, hinc varia hausit præcepta virtutum, atque ad hanc sententiam præcipuo quodam sensu ducebatur, *Nisi ad hoc me præparauero quod velim libenter ab omni creatura despici, & relinqui, atque penitus nihil videri, non possum interius pacificari, & stabiliri, nec spiritualiter illuminari, neque plene tibi vniri.* Vt mirum non sit humilitate excelluisse; cuius vtilitatem hoc familiari exemplo explicabat, "sicut niger carbonum puluis igni luculento iniectus facit vt & amplius ignis ardeat & amplius luceat, ita niger humilitatis puluis in ignem caritatis impositus, eiusdem flammā offuscare aliquamdiu ac supprimere videtur, postea tamen & ardorē & lumen addit, illiusque radios latius vndequaque diffundit.) Quid quod ob affectam tibiam lecto aliquando affixus gratulabatur sibi quod eo plus vacui temporis haberet quo Caput in Thomæ à Kempis de diuersis motibus naturæ & gratiæ memoriæ mandaret. Sanctissimam Dei Matrem vnicè venerabatur & diligebat, eiusque Rosarium è collo sub veste perpetuò gerebat. Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum eam in illum vim habebat, vt per plures parietes interpositos sentiret illius virtutem & inde odoraretur Deum cordis sui. In oratione nullus illi gratior situs quàm vbi cum summo Altari & sacello Beatissimæ Virginis quasi Triangulum faciebat, vt æquis spatijs videretur inde lactari ab vbere hinc pasci à vulnere: certè frequentes in eo situ lachrymæ testabantur non casu hoc contigisse, sed studio ab eo esse quæsitum. Præcipuo honore prosequebatur Sanctos quos sciebat in amore Dei excelluisse inprimis Sanctum *Augustinum*

Assiduitas legendi Thomam à Kempis.

Honor Virginis & venerabili Sacramenti.

stinum, & Sanctam *Gertrudem*, in cuius imitationem omnia sua opera cum similibus Christi operibus coniungebat. Illud vero proprium illi fuit vt Sanctorum imagines, etiam in tenebris & angulis sibi obuias agnosceret & pie salutaret. 1613.

Inter hæc verebatur plurimum nè corpus quod corrumpitur aggrauaret animam, tantoque mentis ardori ac lumini aliquid tenebrarum offunderet; huic igitur à primo ingressu Religionis bellum acre indixit: Nemo illum vnquam audiuit de cibo, vestitu, habitatione querentem, nemo de relaxatione solicitum. A Meridie exhaustus laboribus, cum somnus non tam obreperet quàm opprimeret; quietis aliquantulum capiebat humi stratus suppositio capiti laterculo: Hybernũ rigorem arcebat æstiuis vestibus, nullâ vnquã vsus interiori subucula sed lotanâ simplici super induso cõtentus Si quod in mensa frustum aridi panis apparebat has sibi delicias arripiebat, neq; adduci potuit vt manè ientaret, ne quidem cùm vt antidotũ contra pestem suaderetur. Cæterum nihil in eo admirabilius quàm constantia & æquabilis in omni vita tenor. Non erat à natura factus ad labores, neque consuetudo leuabat onus, quod solus Dei Amor faciebat leue: Ita iusti huius semita quasi lux splendens creuit vsque ad perfectum diem, illum quo meritorum cumulo stipatus immaculatam Deo animam reddidit: Cum enim ætatis annum ageret quinquagesimum nonum, Societatis vigesimum tertium, inuasit eum pestilens sed occulta contagio, quæ paucis diebus præsentem sibi, & cælesti viatico munitum, nullo agone præuio, inuitauit ad beatitudinem potius quàm abripuit; & cùm Sacrosanctum Christi Corpus haberet in pectore, in manibus Officium Beatissimæ Virginis, de collo pendens Rosarium, in corde Creatorem, in ore *Iesum*, oculos quibus Cælum intuebatur clausit vigesimo Augusti, huius sæculi Anno 33 coadiutor formatus. Corporis neglectus.

XIII. Septimo post hunc anno admissus est *Gerardus Rogerij*, hic tamen non incongruè adiungenda duxi eius initia & exitum: Tum quoniam cum *Guilielmo* fuit illi arcta necessitudo, quam nihil humani, sed sincera caritas contraxerat, & religiosa æmulatio charismatum meliorum; tum etiam propterea quod in morte non plus tribus hebdomadis fuere seiuncti, & pridie quam in morbum incideret monitum se dixit in somnis à *Guilielmo* vt accingeret se, tempus enim adesse quo secuturus esset præcuntem. Erat *Gerardus* natione West-phalus, humili loco genitus, quem, vt in pluribus videmus, insignis virtus non refugit. A parentibus hæresim Lutheranam imbiberat, quam magis ignoratiâ coluit quàm prauo animi affectu; sensit enim etiam tunc quosdam stimulos ad pietatem, & quosdam aduersus vitium Conscientiæ acres motus. Vidit Cælestis Agricola terram bonam atque illò decreuit transfere vbi fructum ferret pro rata portione: Quâ occasione transierit in Angliam non narratur, sed inde cum nauigasset Anno seculi decimo nono in Belgium, consuetudine videndi quæ Catholica vbique Ecclesia vlurpat, tacito quodam impulsu trahitur non ad fidem tantum amplectendam, sed ad cogitationes de arctiori vitæ genere suscipiendas: Gerardus Rogerius.

1613. Et quoniam recens erat ex Anglia externus homo, ad exteros se applicans, petijt inter nostros famulari; prodidit se cõfestim excellens ingenium cum candore animi non vulgari; nec deerat illi manus ad quidlibet ita habilis vt magna facilitate multarum instrumenta Artium tractaret. Sed longo interuallo naturæ dotes diuina superauit gratia, quam post annum admissus in Societatem non siuit esse vacuam. Lectioni Spiritualium Librorum deditus, optimum dicebat se à parentibus patrimonium accepisse quod ab ijs sciret legere & scribere; contigit autem vt cùm vitam Sanctæ *Teresiæ* euolueret non cursim, sed more suo sensim & per partes, diuinæ gratiæ vim in illa perpendens ad immutandum in instanti cor hominis in melius, tangi senserit suum, & occulto igne ita accendi vt prouolutus in genua exclamarit, Hæc mutatio dexteræ excelsi. Ex quibusdam ab eo scriptis apparet non fuisse vulgarem hũc animi motum, hunc enim appellat suæ Conuersionis primum gradum, & vehementi affectu Cælites vniuersos inuitat ad agendas Deo super ea re gratias: Ex eo etiam tempore tanto ardore bellum in se suscepit, vt breui victoriam consecutus dixerit, Regulam de maiori sui ipsius abnegatione, & continua mortificatione, cuius obseruantiam sibi aliàs impossibilem iudicauerat, videri facilem & iucundam. Præferebat Religiosum qui cum animi fixo stabiliq́ue decreto sese abnegandi, accederet ad mensam opiparè instructam, alteri qui sine eo se pane pasceret & aqua. Somnum importunum, vt qui inter diurnos etiam labores esset molestus, vincere statuit vnà horâ detractâ, quam orationi deinceps impenderet. Superbiam expugnabat commemorando frequenter parentis mendicitatem, & superioris vitæ fortunam duriorem. Diuinam voluntatem, cui se totum conformauerat, inueniri posse aiebat in re qualibet quantumuis difficili, vt in cortice nucleum; miserabaturq́ue eorum qui in eo hærent quod amarum est, neque mel norunt sugere de petra, oleumq́; de saxo durissimo: perinde enim illam suauẽ esse siue in monte Thabor, siue in Caluariæ offerretur. Et quoniam in Instituti sui regula Dei beneplacitum impressum agnoscebat, triennio antequam moreretur, obtinuit à Superiore vt promisso se obstringeret nullam deliberatè transgrediendi, seruauitq́ue illæsum. Vt autem virtus virtutem generat & perficit, altero dein anno, ipso Pentecostes Festo die, vouit illud agere semper quod esset perfectissimum; quod, vt de mense tantum in mensem obligaret, indulsit Superior; quanquam deinde laxatum est hoc spatium & ad longius tempus prorogatum. Ad Dei præsentiam facilius animo imprimendam, in Rectore domus intuebatur Deum Patrem, in Ministro Filium, in Cõfessario Spiritum Sanctum, in Sacerdotibus Apostolos, in reliquis Discipulos septuaginta duos. Creaturas dicebat esse vestes Dei, atque in ijs amandum nõ aliter esse quàm cùm Amicum, Dominum, Parentem eodem affectu semper colimus quantumuis variè iudutum; & quemadmodum species Sacramentales in venerabili nullam credenti moram ingerunt quin mens tota feratur in absconditos sub eo velo thesauros, ita res creatæ Deum amantibus non auferunt, sed instar vehiculi ducunt iunguntque amato; Quo ex amore cùm tole-

Lectionis vitæ Sanctæ Teresiæ incitatur ad perfectionem.

eius pia vota.

raret

raret quælibet quæ incommodè illi accidebant, eam artem appellabat Chymicam, cuius vi omnia in aurum spirituale verterentur. His luminum ac virtutũ incrementis triennio antequã de vita decederet illustratum (quæq; tũ cum Sanctę *Theresiæ* vitam perlegisset, integri mẽsis spirituales exercitationes confirmauerant) pestilens febris occupauit; in vltima verò vitæ periodo superna luce tam magna perfusus est, vt astanti Sacerdoti attonitus dixerit, nunquam in omni vita simile sibi aliquid contigisse. Arrha fuerit, vti sperabatur, illius beatitudinis ad quam secuta mors aperuit ianuam nono Septembris, ætatis anno trigesimo septimo, Societatis decimo-septimo, cùm Gradum Coadiutoris temporalis formati sortitus fuisset ante triennium. 1614.

Louanij peste sublati aliquot.

XIV. Louanienſem etiam Tyronum habitationem Anno decimo-quarto lues contagiosa peruasit; Etenim recentes ex argilla parietes, quibus cubicula distinguebantur, noxium spirantes humorem, sanguinem in venis corruperant, & pene omnes prostrarant, quatuor vno in mense sublatis. Horum duo erant primi anni Nouitij; tertius Coadiutor Temporalis, vix quindecim ante mortem diebus absoluto Tyrocinio. Quartus *Henricus Lanman* Sacerdos. Præfuerat is aliquoties inter nostros Minister: dum verò in Anglia versaretur messi illi inter cæteros intentus mirum quantum animos omnium innata morum suauitate sibi, Societati, Deo deuinciebat; videbatur non posse in quemquam concitari, semper affabilis, semper lætus licet, cùm optimè haberet, morbo hypocondriaco assidúe afflictaretur. Nũc vtrique sanitati præfectus tanta alacritate singulis omnibusque seruiebat vt nihil ferme alijs adiutoribus superesset præstandum; dies nocteſque aderat, mira constantia contemnens supprimensque contagionis metum. Cum iusta reliquis persoluisset, & aliquantum morte vacaret domus, additâ consuetis ægritudinibus febri non absimili cæterorum, paucis diebus absumptus est, cùm annum ætatis ageret supra trigesimum, Societatis octauum. Vir vt in omni ætate, ita in extrema ægritudine sibi semper similis; ad quam æquabilitatem animi licet natura fortasse quidpiam contulerit, eximia tamen cum Dei voluntate conformitas perfecerat firmaratque, quam non minus in acutissimis morbi doloribus alacer præferebat, quàm si nullo tangeretur malo. Pro spe quam de se hi omnes faciebant, videri potuere præmaturè erepti, nisi quod nihil præmaturum censeri debet quod maturum est Deo. Calamitas tamen ista, & ipsæ etiam habitationis angustiæ cogitationem iniecere nouæ quærendæ alicubi sedis; & quoniam experientia quotidiana docuerat, Anglum apud Archiduces Oratorem omnia clamoribus implere quoties in Brabantia aut Flandria domus aliqua aut possessio acquireretur Anglis, placuit Leodij quærendum locum constituendo domicilio. *Ioannes Gerardi* apud præcipuos Angliæ Catholicos diuturnâ commoratione, & pietatis promouendæ studio notissimus, futuri domicilij designatus Rector, suscepto in se negotio rem perficit. Emitur decem iugerum ager in colle decliui situs, qui cum adiuncta domo ad Septentrionẽ terminabatur via militari clausâ mœnibus ciuitatis; ad Austum

Emitur Leodij domus & ager.

1615. horto Patrum Capucinorum excelso muro ab hoc distincto. Anno decimo-quarto exeunte huc translatum est Tyrocinium; Et potuissemus quietam possessionem iniuisse Principis Ferdinandi Bauari, & ciuitatis vniuersæ vsi gratiâ nisi à quibus minimè timebatur molestiæ tam importunæ creatæ fuissent vt pene vniuersa deserere, & alias in ciuitate sedes quærere magno dispendio cogeremur: Ij enim qui agrum fundo nostro conterminum incolunt Religiosi viri, vt domum ampliorem & Sacrarium parari pensenserunt, vel ipsi, vel eorum causa ciues aliqui sermonibus omnia compleuere, Qui homines essemus? quid rei acturi? quæ causa mutandæ regionis? quid exteri homines à patria hæresibus infecta, hæreticis amica, tàm vicini mœnibus & portis ciuitatis, loco tam edito, vnde magna pars vrbis conspici, & verò impeti posset? vbi cauernæ subterraneæ, quæ eruendis lapidibus seruierunt, ducendis possent seruire cuniculis; per quos armati, & armorum instrumenta per fossas sub mœnibus in ciuium interitum nemine conscio intromitterentur; vbi domus in Castrum exurgeret, Templum tanquam equus alter Troianus omnium capitibus immineret. Hæc eorum qui ratione facta metirentur, non dico risu, sed dolore accepta quidem sunt, quod in ciuitate sua Catholica de viris Religiosis pro fide pulsis patriâ, perpessis carceres, bonorum proscriptionem, morte ipsâ tormenta grauiora, ea spargerentur, quæ in republica bene constituta non possent de sceleratissimis sine summa tristitia audiri; In vulgus tamen non solum fabula facti sumus, sed plenus erat pene quotidie ager noster tumultuantium & obstrepentium concursu, & periculum non leue discessionis popularis. Auxit turbationem libellus exhibitus Magistratui, quo querela proponebatur quòd viæ publicæ, & publica emolumenta ciuitatis priuatis vsibus applicarentur, obstruerentur aditus ciuibus necessarij vel tempore belli ad mœnia, vel tempore contagionis ad auxilium à consueta Religiosorum hominum caritate obtinendum. (Transitus quidam designabatur qui nullo vnquam tempore fuerat publicus) Monebantur præterea vniuersi vti seriò perpenderent an è re ciuitatis futurum esset, vt ignoti & exteri homines ea in parte habitarent quæ opportuna videri posset Arci extruendæ, multis ad inuidiam quæsitis argumentis ex natura loci, & nostra priuatim conditione. Hic libellus auctoritate publica ad nos delatus est vnà cum edicto de nan prosequendis inceptis, donec ostensa area ædificij, de sinceris nostris ac Religiosis cogitationibus esset vnicuique plenius satisfactum. Mandato obtemperare necesse fuit; neq; satis ostendisse contrario scripto quàm ea falsa quamque inania essent quæ dicerentur; Viri primarij iurati, & militum Præfecti omnem fundum & domum, omnes meatus & cauernas inspicientes pronunciarunt non solum procul omne damnum atque damni metum loco ædificioque futuro abesse, sed rem Ciuitati præstari cumprimis vtilem atque honorificam: Quo etiam tempore spectata fuit Religiosi cuiusdam viri, Professoris Theologiæ, è familia diui Francisci de Obseruantia de nobis testificatio, cùm pro Concione in

Difficultates motæ & sopitæ.

Aede

Aede summa die veneris Sancto causam nostram defendit. Tandem quando nondum istis omnibus sedaretur tumultus, tum postulatione nostra tum Principis mandato in Amplissimos Arbitros vtrimque conuentum est, & onerosis licet in nostram partem conditionibus, pacis, & caritatis, & exempli boni studio lis dirempta. Accessit Sereniſſimi Principis ac Consulum subsequentium insignis beneuolentia: Is enim datis ad primarios literis domum hanc commendauit; hi in integrum restituerunt; factâ potestate quæ cæperamus, prosequendi. 1616. 1617.

XV. Perseuerauit cum vicinis controuersia anno vno. Sequenti qui fuit seculi decimus sextus, surrexit ædificium amplum; beneficentia eiusdem gentis Catholicorum, quos licet sub onere persecutionis gementes excitauit spes ingens fructus ad opus promouendum. Enituit inter illos *Georgius Talbottus* (qui deinde in Comitum Salopiensium iura successit) Hic enim & ex suo, & gratiâ quâ valebat apud Sereniſſimum Bauariæ ducem *Maximilianum* (apud quem tum temporis commorabatur) plurimam præstitit operam. Nam venditam possessionem octingentorum aureorum nummûm annuorum in opus impendit; & virtute eximiâ atque doctrinâ cum magnis Theologis comparandâ Duci gratissimus opportunè suggerebat quas pateretur domus augustias, & subsidia munificentissima obtinebat. Postquam *Ferdinandus* Princeps Episcopus Leodiensis (Frater *Maximiliani* Bauari) agrũ coëmptum & domum, & ambulationes in decliui aptè dispositas aliquoties inuisisset, & necessitatem dignitatemque operis, *Gerardo* per literas & verbo explicante, concepisset animo, in eam venit sententiam vt ad operis perpetuitatem Prioratus aliquos sui iuris applicaret, qui deinde Nobis in Angliam translatis cedere possent Prouinciæ Societatis Gallo Belgicæ: Interim tamen dum hæc disponuntur deërant multa ad æs contractum dissoluendum, quæ cùm beneuolentissimus Princeps suppeditare non posset, cerriorem fecit *Gerardus* Illustrissimum *Talbottum* apud *Maximilianum* ducem commorantem, qui decimo nono Iunij Anni decimi octaui facti sui rationem reddidit his verbis.

In nouum ædificium extruendũ industria & liberalitas Gergij Talbotti.

Talbotti ad Ioannem Gerardi Rectorem literæ.

"Cum viderem desiderare te meum officium apud fratrem Seniorem, non multo post acceptas tuas literas capta occasione benè paratus & meditatus accessi (meo etiam modulo rem Deo cõmendaueram) propoſuique statum vestrum præsentẽ & angustias, explicata simul, quantum potui operis dignitate; illud etiam quod frater eius agitabat animo, & quod tu hoc tẽpore petebas, donec liceret illi prẽstare quod proposuerat. Placuit Deo ex sua bonitate vt congressus iste mihi eueniret secundus, sic vt bonus Princeps omnia libentissimè concederet, iuberetque rem dari sibi scriptam ad memoriam, id quod certè faciam, & fortè addam latinas illas literas quas ad me à sesquianno miseras. Significaui etiam fratrem proxima quæ daretur congressione his de rebus acturum. Hic tamen non minus quam frater propensus videtur ad vos iuuandos, & aget libenter cum fratre de tota re. Nunc vero statuit ad eandem pro-

1618. 1619. portionem vobis subuenire quâ anno Superiori: In proximo nostro congressu plura fortasse potero dicere.) Scripserat *Gerardus* sub hoc tempus literas benè longas ad Ducem; ob oculos ponens quidquid ad commendationem suscepti operis spectabat: Has vt accepit *Talbottus* tradendas, in hunc sensum rescripsit. "Spero te vltimas meas accepisse quibus significaui quem effectum habuerit officium meum apud bonum Principem, vestris precibus adiutum, & Religiosi Principis pia inclinatione, cui omnes Catholici plurimum debent, nos Angli præsertim; magna enim caritate nos afflictamque nostram Insulam prosequitur. Habeo in manibus quinque millia florenorum huius patriæ, quæ confestim mihi misit; significaueram enim præsentem egestatem vestram & creditorum importunitatem: superat in mille florenis summam quam in literis quæ ad me erant nominaueras; sufficient igitur, vti spero, necessitati: Videtur quotannis non minus donaturus donec frater succurrat: Huius pecuniæ quantum potero mecum feram quoniam festinatis. Heri accepi literas cum inclusis ad Principem: destinaueram mittere atque eo fine ipse scripseram; maturiore tamen deliberatione apud me habita mutatâ sententiâ asseruo: Concessio enim iam eo quod petieras, videri potuisset importuna postulatio, & aliunde etiam fortasse querelas concitare; nunc culpa, si qua sit, in me recidet, qui meo nomine rem proposui. Ad Principis vestri literas responsum dedi quàm potui officiosum, hortatusque sum ad propositi expletionem.

Eiusdem aliæ literæ.

XVI. Diuturna Electoris Colonien sis Leodio absentia spem infirmam reliquerat eorum quæ ad stabilem Tyrocinij sustentationem concepta fuerant: Vilum igitur *Gerardo* est è rè futurum si se toto conatu ad *Maximiliani* benignitatem applicaret, & opportunitate datâ filij recens nati *Alberto*, (alteri ducis fratri) paucis gratulatus felicem hanc in ea familia sortem, subiungit. "Et sanè quod vehementer optauimus ex parte concessit diuina bonitas: Permittat tamē nobis Serenitas vestra adhuc diuinæ clementiæ preces indefessas offerre vt multiplicatâ tam Sanctâ familiâ non desit soboles quæ ex lumbis vestris tanquā ex radice optima germinans in solio vestro sedeat; In hunc finē preces, pœnitentias & pia opera offerre non desistemus; quæ omnia simul & nosipsos Serenitati Vestræ summo iure deberi agnoscimus; Illa enim liberalitas Vestra quâ necessitatibus nostris largâ manu subuenit, non tam examplitudine doni (licet vere regij) æstimari debet, quàm ex magnitudine beneficij, & subsidij opportunitate; quod vt clarius innotescat Serenitati Vestræ & simul cognoscat statum huius, iam vestræ, domus; hic status noster fuit R. P. Schereno Visitatori nostro nuper exhibitus &c. Tum narratis conditione domus, itinere *Guilielmi Balduini* per Gallias Romam discussâ nebulâ accusationis pulueriæ, & honorificâ acceptione in Anglia Illustrissimi *Georgij Talbotti*, nunc Comitis Salopiensis, claudit Epistolam oblato precum & bonorum operum munere, strenæ loco.) Ad quam Sereniſſimus Bauarus sic respondit;

Gerardi literæ ad Bauariæ ducem. Initio anni 1619.

Reuerende

Reuerende in Christo Pater Carissime. Pluribus nominibus gratæ mihi aduenere Reuerentiæ Vestræ literæ, quibus inprimis natum fratris filium gratulatur, ac mihi simul similem, quem à Deo precibus postulaturum promittit, adprecatur. Hinc est quod gratias illi referam duplicatas, atq; in proposito persistat etiam atque etiam rogem. Nec enim est abbreuiata manus Domini, qui forte pluribus precibus & nostris exercitationibus delectatur. Astrinxi me quondam voto Beato *Ignatio* vestro si hoc mihi beneficium obtineret, *Ignatij* nomen impositurum filio, atque Collegium Societatis exstructurum & dotaturum ibi locorum vbi Patri Generali ac prudentibus magis videbitur ex bono publico. Quid si Deus hinc vobis prouideat? Sed ipse disponet vt hactenus quæ de vestra domo præordinauit, vt liquido constat ex ijs quæ de statu & successu illius R. Vestra fusius enarrauit. Hinc forte ansam capiet R. V. magis adhuc curæ cordique habere ad quæ vltro se mihi tam promptum exhibet, nec ero difficilis in anticipando id quod R. V. insinuat. Patri *Balduino* gratulor cum tanto merito exantlatos labores, & cum Societatis honore assecutam libertatem, simulq; doleo me priuatum cõspectu & præsentia tanti viri. Grata fuere quę de nostri Comitis Salopiensis statu R. V. nunciat; iure gloriatur Rex de tam erudito subdito, magis tamen habet quod in illo commendet & imitetur, singularem pietatem & virtutem. Pro xenio spirituali singulares R. V. gratias ago, cui vicissim me ad gratificandum offero, atque à Deo felicia quæque precor. &c. Ad alias posterius datas trigesimo Iulij hæc rescripsit. 1619. 1620. Bauari responsio 15. Ianuarij.

" Quæ suis ad me datis literis de Societatis ab ipso initio in Anglia statu, deque vestra Missione in Vice-Prouinciam erecta nunciauit, iucunda acciderunt speranti (diuini numinis fauore) quàm hactenus experti estis maiores fructus subsecuturos. Certè quod R. V. mihi tribuit, hoc solum, post Deum, vestro zelo & solertiæ debetur. Subsidium mille trecentorum Florenorum Germanorum pro Tabernaculo Sanctissimi Sacramenti, ac Theca pro imagine B. V. per P. Mayer transmisimus. Quod vero vota nostra ita curæ & cordi habeatis, est quod gratias singulares agamus, ac vt in cæpto persistatis sedulo rogamus.) Hæc enucleatius dicta sunt, vt integræ *Gerardo* maneant primitiæ liberalitatis Bauaricæ; Etsi enim nimius fortasse fuerit in Virginum Anglarum ad Sancti Martini positarum rebus negotijsque procurandis, cum non leui huius domus præiudicio, munificentiæ tamen *Maximiliani* ducis præiuit, iecitq; fundamenta in quæ *Henricus Silisdonius* successit primùm, deinde circa annum seculi vigesimum secundum *Odoënus Shelleyus*, *Gerardo* in Hispanias & Romam transmisso, vbi post multorum annorum fructus in se auctos, & in alios deriuatos diem obijt extremum, plenus meritorum quæ & in Anglia, & extra Angliam susceptis laboribus, & perpessa fidei causa tormenta pepererunt. Eiusdem aliæ literæ.

XVII. Anno decimono & vigesimo implicatus bello Bohemico dux *Maximilianus*, quantumuis exhausto ærario non destitit huic Tyrocinio munifi- Bauari munificentia.

1620. munificentiam suuam explicare, licet ob pecuniæ mutationem (cùm pro vno
1621. dalero octo floreni computarentur) ea acciderit arctior in aliquot qui conse-
1622. cuti sunt annos: de qua munificentia Buslidius (qui illi erat à Confessionibus)
ad *Richardum Blondum* Vice-Prouincialem. Sereniſſimus inquirit
1623. de commoditate mittēdi solitam eleemosynam ad nostros Leodienses. Opor-
1624. tet vt admodū magna sit eius propensio iuuandi vos in Anglicana vinea, alio-
1625. qui certe desisteret saltem hoc tempore à præstando illo subsidio, cùm ipse-
met iam cogatur ingentē vim pecuniæ iniquis valdeque grauibus sibi & Pro-
uinciæ conditionibus ad censum accipere. Deus illi bonam istam mentem
semper seruare velit, ego quod in me est vt fiat laborabo.) At largiorem cam-
pum parabat Deus tam amplæ liberalitati.

VVatenæ traduntur integræ PP. Anglis.

Anno vigesimo secundo (Archiduce *Alberto* Belgij Gubernatore de-
mortuo,) censuit *Mutius* Generalis, assentiente *Isabella* Infanta (in qua man-
sit gubernandi potestas) è re Tyrocinij esse nouitios transferri *Watenas*, loco
non parum opportuniore positas, & ad id ante tot annos destinato, Collegi-
um autem vt sedem figeret *Leodij*: Itaque partim collectâ, partim pretio inter
se æstimata supellectile migratur: *Silisdonius* cum suis transit *Watenas*, *Odoë-
nus Shelleyus* cum Philosophis & Theologis succedit in Leodiensem habita-
tionem. Mansit apud *Silisdonium* aliquamdiu literarum cum Duce *Maximilia-
no* commercium: Neque remisit is cum mutatione Rectorum benefaciendi
ardorem; sed cùm Anno vigesimo sexto intermissæ fuissent consuetæ li-
teræ per quas de rebus in Anglia gestis fiebat certior, per Adamum
Contzen (qui Buslidij locum occupabat) quæsiuit ab *Odoëno* rationem:
Eo forte tempore aditus in Insulam clausi erant; id igitur responsi dedit *Odo-
enus*; quo accepto nuntio attentus ad benefaciendum Dux rogauit, Num
quid hæc domus inde pateretur? cumque rescisset pati, petijt accuratam sibi
transmitti descriptionem debitorum primùm, & redituū & personarum (quę
eo anno erant Capitum quinquaginta, futuræ sequenti sexaginta) tum etiam
agri totius & ædificiorum: Quam descriptionem cum accepisset, non iam de
iuuando tantum Collegio, sed de stabiliendo in perpetuum, excelso planè ac
Deo pleno animo, decreuit; scriptisque confestim tabulis fundationē con-
signauit: Quarum tabularum exemplar adiungendum existimaui, cùm sint
illæ ex summo Orthodoxæ Religionis promouendæ desiderio cōceptæ, & me-
morabili in externos homines benignitate conspicuæ, & ad honorem confe-
ctæ & gloriam Bauaricæ domus sempiternam: Earum autem Tenor hic est.

XVIII.

In Nomine Sanctissimæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus Sancti.

Diploma fundationis. Collegij Anglorum Leodij.

NOs *Maximilianus* Dei Gratia Comes Palatinus Rheni, Vtriusque Ba-
uariæ Dux, Sacri Romani Imperij Archidapifer, Princeps Elector,
cùm nostro, tum Coniugis nostræ *Elisabethæ* Bauariæ & Lotharingiæ Ducissæ
nomine

nomine publicum hoc diploma quo vtriusque nostrum mentem voluntatemque omnino declaramus & contestamur, confici iussimus, quod apud posteros & Successores nostros, aliosque omnes quorum intererit, perpetuâ atque inuiolabili auctoritate firmum & ratum esse volumus. 1626.

Maximis & continuis Maiores nostros patriamque nostram carissimam beneficijs diuina Majestas affecit: Nam pacem, concordiam, aliaque Gubernationis commoda, & prosperos successus rerum quæ sunt in conspectu vt taceamus; Illud certè animo gratissimo agnoscere & Patriæ gratulari debemus quod veram & Orthodoxam Religionem, & quæ fide Catholica nititur pietatem, deuotionem & cultum suum ita stabiliuit, auxitque vt in hac parte nulli Prouinciæ cedat Bauaria. Sunt ista Nobis & Maioribus nostris Serenissimis Bauariæ ducibus communia, & ampliora quam vt vlla gratiarum actio par esse possit. Verùm Nobis Patriæque Nostræ, postquam ad eius Gubernationem diuino nutu vocati sumus singularia multa & magna benignissimè, misericordissimeq; dona sunt collata, quæ omnia in solidum diuinæ bonitati & gratiæ non nostris meritis accepta referimus. Minores omnino sumus omnibus miserationibus Dei & Nos eius liberalitati obligatissimos esse confitemur; Ille Nos cùm in Adolescentia regendam Remp. suscepissemus, maximis difficultatibus expediuit, augendæ etiam Patriæ & ornandæ, proferendique Principatus idoneas facultates paterne suppeditauit. Orto deinde bello contra Ecclesiam Catholicam atque Imperium, in summis frequentissimisque periculis toto iam septennio benignissimè nos manu sua omnipotente protexit, fidē sanctā, & Orthodoxam Religionē multis victorijs defendit. Præter ista tam ingentia, etiā alia plura & maiora in Nos beneficia contulit, vt adhuc in dies singulos certissima illius in nos fauoris experimenta persentiscamus: semper ea omnia animo grato agnoscimus, & cum exultatione ac tremore illi seruientes, quid vicissim illi præstare, quod gratissimum eius numini Majestatique sit, possimus, sæpe nobiscum disquisiuimus; tandemque statuimus, deliberato & maturo consilio, acceptissimum ei munus, oblationemque fore, si hoc exulceratissimo tempore sinceros, orthodoxos, vitæ integritate, & in diuinarum rerum scientia conspicuos Sacerdotes, Theologos, & cōcionatores, procuremus & alamus, qui populum instruant, fideles roborent in fide, errantes in viam salutis reducant: Cum enim vbique malorum morum licentia, scandala, hæreses que grassentur, alij malis illis miserrimè irretiantur, alij quid sequantur nescij in medio hæreant, seductorum plena sint omnia, nulla re magis egere Ecclesiam quàm probis, doctis, zelosis & laboriosis doctoribus Nobiscum omnes sentiunt. Et quidem hæc vbiq, seu maior seu minor est necessitas, sed in *Britannia* longè maxima, imo planè extrema: Tristissima est istarum Ecclesiarū facies, persecutione in Sacerdotes & seculares pariter sæuiente; ita vt nisi singulari Dei auxilio protegantur, summa Religionis in florentissimo regno (vrbe de *Germania* Catholicæ fidei & Religionis olim sumpsit principia & fundamenta) iactura sit formidanda. Quare loca illa maioribus munienda præsidijs existima-

1626. existimamus vbi vis hostium acrior ingruit, summoque conatu adnitendum vt in tanto animarum discrimine sint qui rudes instruant, labantes in fide confirment, stantes roborent, lapsos erigant, hæreticis vi & ferro armatis se, Dei verbo, opponant. Inter quos cùm nobis certo constet præcipuo studio profectuque gnauiter laborare Patres Societatis *Iesu*, Illos, cum animarum periculo hanc Domini vineam tot feris obnoxiam excolere, contumelias, famē, carcerem, verbera, cruciatus, mortem pro Christi nomine perferre, vtilissimum Ecclesiæ iudicauimus si eorum pium hoc studium feruoremque nostris auxilijs opibusque iuuaremus ac promoueremus. Quam ob causam & hactenus Collegium *Anglicanum* quod est *Leodij*, siue cùm ibi Tyrones Religionis rudimenta ponerent, & ad pietatem exercerentur, siue cùm Societatis Scholastici Philosophiæ & Theologiæ studijs ad grande docendi munus, animamque pro Christo ponendam informarentur, annuâ eleemosynâ prosecuti sumus. Cum verò ante aliquot menses, diuina Nos mouente gratia, Collegij illius statum Nobis præscribi iussissemus, ea mente, vt quoniam accisa erat annona, & quod reditus quos ex *Britannia* solebāt accipere, persecutionis violentia accidi & interuerti suspicaremur, inopia laborantibus largiore pensione succurreremus: non sine dolore intelleximus Collegium illud non modo fundatum & dotatum non esse, verum etiam per iniquitatem temporū & hostiū, ære adeò alieno pressum, vt annuos reditus, expensæ quæ creditoribus in annos singulos soluendæ sunt, multum superarent. Quare non in præsens modo, sed in perpetuum, hoc Seminarium conseruare, dotare, fundare decreuimus.

XIX. Nos itaque *Maximilianus*, Comes Palatinus Rheni, vtriusque Bauariæ Dux, S. R. I. Archidapifer, Elector, simul cum Sereniſſima Coniuge nostra *Elizabetha* Bauariæ & Lotharingiæ Ducissa Collegium *Anglicanum* quod est *Leodij* fundamus & dotamus & diuinæ Majestati ad animarum nostrarum salutem offerimus, & Societati *Iesu Anglicanæ* nationis de manu nostra tradimus, illo proposito ac intentione vt in eo Religiosi Societatis *Iesu* secundum eorum Sanctum Institutum, constitutiones ac regulas in virtutibus, pietate, scientiaque instituantur & exerceantur, vt cum eorum Superioribus in Domino vsum fuerit ad prædicandum Euangelium, administranda Sacramenta, aliaque quæ Societas secundum suum Institutum laudabiliter præstare solet perficienda, conseruandamque *Britanniam* & propagandam Ecclesiam mittantur. Assignamus vero & donamus eidem Collegio pro fundatione integra ducenta millia florenorum Rhenensium, probæ & Imperialis monetæ, computatis in singulos florenos quindecim Batzijs, siue sexaginta Crucigeris: Atque ad hanc summam ex Camera nostra Monacensi, seu ærario quod vocant Rent vndt Camerambt, persoluendam Nos, posteros, successoresque summa auctoritate & fide, coram Deo, omnium nostrarum actionum arbitro, obligamus. Nam quod ad totam hanc fundationem attinet, id quod fastidij vitandi gratia & prolixitatis repetere in singulis capitibus

capitibus non licuit, hic vniuersim etiam de singulis quæ in his literis com- 1626.
prehenduntur, auctoritate nostra & fide in conspectu Dei protestamur, Nos omnia & singula huius fundationis capita, ad Dei gloriam, Ecclesiæ augmentum, nostram consolationem, & totius, non modò Ecclesiæ, sed nostræ etiam Prouinciæ vtilitatem sic constituisse, & quidem maturo, non nostro solum, sed etiam aliorum prudentum, & Patriæ, & Catholicæ Religionis amantium consilio, & certa & diuturna deliberatione; quâ conscientia & mente freti liberius, fidentiusq; hanc omnem nostram fundationē, donationem, & quidquid demum his literis expressum est, fecimus & stabilimus, non solum nostro, sed etiam posterorum ac successorum nomine, quos eosdem posteros & successores nostros, atque etiam omnes eos cuiuscunque status, ad quos huius nostræ fundationis quocunque modo pertinebit executio per amorem, exempla, & merita maiorum nostrorum, per honorem & gloriam totius familiæ ac domus Bauariæ, per caritatem dulcissimæ patriæ & Prouinciæ nostræ, per quidquid cuique potest esse carissimum, per misericordiam omnipotentis Dei, per illud extremum & terribile iudicium, aut si potest maior esse & efficacior obtestatio, hortamur, monemus, obsecramus, obtestamur, adiuramus & strictè obligamus, vt hanc nostram fundationem, institutionem, assignationem, applicationem, concessionem, quæq, in his literis continentur vniuersa, & singula, minima atque maxima, inuiolata manere, per se suosque ea fide & conscientia curent, tanquam de qua coram æterni Iudicis tribunali, Nobis seuere poscentibus rationem sint reddituri.

XX. Quia autem hoc tempore quo bello omnia flagrant, nulla Nobis occurrit opportunitas eam summam aliquo in loco Leodij, aut vicino, ad census annuos tuto, & vtiliter certo collocandi; multo minus autem ratio apparet fundos, prædia, aliaue bona stabilia coëmendi in illis Prouincijs, vnde annuus iste census conficiatur, idcirco statuimus ex nostra Camera Monacensi, seu ærario prædicto, certum censum in singulos annos pendere, nempe quinque florenos in centum, atque ita decem millia annua in ducenta millia summæ Capitalis: dimidiam partem quidem, hoc est, quina millia vernis nundinis Francofurtensibus, alteram dimidiam autumnalibus nundinis, nostro sumptu, nostroque periculo Francofurtum deferri curabimus, vt eam ibi Rector Collegij per se vel suos substitutos integrè & certo recipiat. Censum autem in proba & Imperiali moneta solui volumus vt de summa Capitali diximus. In sacro Romano Imperio contingit quidem aliquando rei monetariæ conturbatio; ne tamen inde detrimentum capiat nostrū Collegiū quod fundamus, quodque maximè florere peroptamus, paterno affectu prospiciendū iudicauimus; proinde promittimus, & nos, successoresque nostros, vt ad cætera omnia, ita ad hoc obligamus vt dalerum Imperialem pro viginti duobus Batzijs & dimidio soluant, seu pro floreno & dimidio; & eadem proportione aliam monetam, siue argenteam siue auream, quæcunque illo tempore, vel ex principum placitis, vel vsu populi, aliaue

1626. quacunque de causa, sit monetæ æstimatio; ex singulari enim pacto, scientes volentes, hunc contractum motu proprio conficere nobis placuit Nihilominus tamen Nobis & successoribus nostris Bauariæ ducibus potestatem reluendi expressè & diserte reseruamus, vt quandocunque ita visum fuerit possimus summam ducentorum millium florenorum vel præsenti pecunia data persoluere & representare; vel fundos, & prædia ex quibus tantundem capiet Collegium nostrum coëmere, atque hoc pacto annua pensione Nos, & Cameram nostram liberare: Tum autem eodem modo & æstimatione soluemus vt ante expressimus; nempe, florenum pro quindecim Batzijs, & dalerum Imperialem pro floreno & medio, alioſque nummos ea proportione quam habent ad dalerum Imperialem. Ne inopinata autem ista solutio damno sit Patribus, integro ante anno monebitur Collegij nostri Rector, vt de pecunia vtiliter expendenda prospicere possit. Collegium quidem commodam habitationem & hortum habet, sed pretium adhuc magna ex parte debet; quare summam ducentorum millium florenorum ita diuisimus, vt pro domo & horto quadraginta millia, pro cætera fundatione seu alimentis centum sexaginta millia soluere censeamur, atque eo modo Nos & Coniux nostra, ex integro Collegij fundatores & exstructores simus & habeamur.

XXI. Hæc animo in Societatem plane paterno, & hæreditaria beneuolentia, memores eam Maioribus admirabiliter dilectam, defensam, auctam, præstabimus; Nos & posteros nostros ad ea quoque præstanda his literis obligamus. Ab ipsa tamen Societate nihil singulare, nihil noui, nisi illud ad quod ex instituto suo obligatur, reposcimus, nec lege vlla, aut extraordinario eam onere grauare nobis in animo est, cùm nobis persuasum sit omnes secundum Instituti sui rationem à tot Pontificibus & Cõcilio Tridentino probati, & toto orbe Christiano abunde spectati & laudati, ita in sapientiæ studijs, virtutibus, pietate exemploque bono omnibus satis facturos, vt ad Dei gloriam proximiq; salutem Sancta sua libertate zeloque plura præstituri sint quàm si Nos aliqua in re modum normamq; præscribere velimus: Hoc solũ petimus, quod & Nos iure flagitare possumus, & ad quod Patres vi constitutionum & legum obligantur, vt nos & coniugem nostram pro fundatoribus suis agnoscant, pijs suis precibus & Sanctis Sacrificijs diuinæ gratiæ & protectioni impense commendẽt, deinde domum nostram Patriamque, quam ad hanc tam difficili tempore fundationem obligamus, amore & orationibus suis perpetuo prosequantur. Quin etiam omnes, præsertim posteros, in nomine, & per *Iesu* Christi sanguinem rogamus, vt sicut Nos, proaui nostri Wilhelmi, Aui Alberti, Patris Wilhelmi, Sereniſſimorum Bauariæ Ducum solicitudinẽ, affectũ & liberalitatem in tuenda & propaganda Societate imitamur, & hanc benefaciendi hæreditatem cupidissimè amplectimur, ita illi quoque Maiorum, Sancti *Ignatij*, ac aliorũ Sanctorum & Doctorum virorum vestigijs gnauiter, & constanter insistant, memores ideo nullas in hac fundatione

tione Nos conditiones ponere, quod experiamur Patres Collegiorum quæ in 1626.
nostris Prouincijs sunt multo plura quam postulantur præstare, nec operas suas legibus fundatorum continere, sed vltra pacta conuenta zelum laboresque extendere. Requirit etiam perpetuæ fundationis natura vt firma sit & stabilis; & Nos eam pro nostra & Coniugis nostræ salute perpetuam esse volumus; qua propter obligata est Societas, vti Nos etiam obligamus, ne summam ducentorum millium, vel totam, vel partem alienet, nec in alia vlla Collegia diuidat, sed potius, si opportunè fieri potest, prudenti œconomia, & Religiosa administratione augeat. Quod si aliquando Deus, fidei dator & remunerator, propitio vultu *Britanniæ* regnum aspexerit, (quod de immensa eius misericordia confidimus) Regesque ac Magistratus Catholicos dederit atque ad eum statum reduxerit, vt libertas veræ Religionis cõcedatur, & Collegia Societatis tuto & securè in illo Regno esse possint, ac tum Patres Anglicani, approbante R. P. Generali, iudicarint ad maiorem Dei gloriam fore & animarum salutem vt Collegium nostrum Leodiense in *Britanniam* transferatur, id quoque concedimus, cùm puro affectu, coram Deo nostro, sine personarum aut locorum respectu hanc fundationẽ pro eius gloria, & Britanniæ salute fecerimus, & ibi esse cupiamus vbi maior diuini nominis gloria, & animarum fructus speratur: Ea tamen lege vt Fundatoris ius, & nomen Nobis & Coniugi nostræ perpetuum maneat, nec per occasionem translationis de summa ducentorum millium florenorum minuatur: Quin & illud monemus, Nos & Successores nostros, etiam translato Collegio, non aliò tamen censum annuum, quam Francofurtum missuros.

Denique ad nostros posteros & Successores qnod attinet, eos rogamus, hortamur, & summa fide, obtestatione, auctoritate, coram Dei Tribunali obligamus vt omnia & singula fundationis nostræ capita inuiolata seruent, nostram donationem, institutionem, assignationem, fundationem, non modò in omnibus eius partibus ratam habeant, sed omni animi promptitudine adiumento sint, vt suo tempore & loco pecuniæ assignatæ ac datæ per ministros suos transmittantur: atq; in hac re iterum eorum coram diuino tribunali conscientiam appellamus, eosque summa & fide humana, & Religione diuina obstringimus atque obligamus vt huius nostræ voluntatis executores spontanei & constantes esse velint; vt etiam hoc officio diuinam liberalitatem & gratiam in se patriamque prouocent: quod certissimè fore confidimus, si rem diuino nomini consecratam oblatamque à Nobis, ipsi eâdem animi sinceritate ac deuotione reddant; nec minus prompti sint quod in Exteros & longe positos beneficium nostrum sit collatum: Nos enim coram Deo æterno, in conspectu Angelorum & Sanctorum eius protestamur Nos hanc fundationem ad eius gloriam, & fidei conseruationẽ & propagationem fecisse, summeq; miseriæ Ecclesiarum *Britãnicarum* & inopiæ Patrum Societatis succurrisse, nec existimasse vllum Christi sanguine redemptum, & Christo insitum velut mẽbrum eius, caritati nostræ censeri debere externum. Tanto autem gratiorem

1626. hanc oblationem fore speramus, quo ab omni proprij commodi specie puri-
1627. or est. Nec exiguum *Bauariæ* emolumentum aut familiæ decus existimare oportet, Collegium seruorum Dei, Collegium quod Seminarium est Confessorum & martyrum, nostro sumptu sustentari, atque hac communione de eorum Nos meritis orationibusque participare, & velut contesserari: si enim qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet, & si veritas ipsa dicit, quisquis enim potum vobis dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis non perdet mercedem suam, quomodo non magna merces, magna benedictio de cœlo in nos redundabit, si tot Christi Discipulos, imo Confessores & Martyres, de nostro reficiamus. Non minus vtilitatis ex hac fundatione nostris Prouincijs accessurum, Deo, qui beneficio vinci non potest, compensante, quàm ex alijs Maiorum nostrorum Collegijs speramus. Atq, ea fuit etiam Maiorum nostrorum Serenissimorum Ducum *Bauariæ* sententia, qui in longinquas regiones, dissitosque populos largas eleemosynas sæpenumero miserunt. Quæ nos ideo referimus non quod vllum ex nostris posteris & successoribus fore suspicari possimus qui hanc nostram assignationem, donationem, fundationem sit improbaturus, sed vt omnibus consilij nostri ratio constet. Deus Nos, cum Coniuge nostra, posteris & successoribus, totaque familia & Patria carissima tueatur & prosperet, & in vera Othodoxa fide, pietate, ciuilique gubernatione felices efficiat, ac tandem æterna Beatitudine remuneretur. Amen. In horum omnium & singulorum fidem certam, & indubitatam, literis hisce manu propria subscripsimus, & nostro sigillo eadem communiuimus; Terna etiam exemplaria eisdem verbis describi curauimus; quorum vnum in Nostro Archiuio Monacensi, alterum Romæ in Archiuio Societatis, tertium in nostro Collegio Leodiensi custodiatur. Anno salutis millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, die octaua mensis Septembris. *Maximilianus.*

XXI. Quo in diplomate cùm sincerus in Deum eiusque Sanctam Ecclesiam amor eluceat, tum non minor in eundem apparet nobilissimi elementissimique ducis fiducia, quandoquidem neque grauissimis bellis inuoluto conciderit, neque militibus minantibus defectionem aut rebellionem nisi stipendia soluerentur (vt notat Buslidius) atque vnâ tantum Bauariæ relictâ particulâ (cæteris exhaustis ab hoste & ab amico) nulli soluerentur census, nulla debita; hyberna, stipendia, spolia ad fundum omnia exhaurirent; (vt refert Adamus Contzen) perpetuam tamen huius Collegij curam fouerit; quam & ipse literis suis testatus est ad Rectorem scribens in hæc verba. " Necessitas Collegij nostri per R. V. explicata nobis cordi fuit; varias enim rationes mittendæ per collybum pecuniæ vidimus; verum quia illæ partim operosæ, partim sumptuosæ sunt paulisper existimauimus expectandum donec Augusta ad obedientiam Cæsaris redeat, & per eam minori dispendio possit Collegio summa quam decernimus, nimirum quinque millium florenorum, re-

presentari;

præsentari; quod breui futurũ speramus. Interim solito fauore & gratia Collegium prosequemur, & quantũ permittent temporum difficultates & in præsens & in futurum à nobis factam fundationẽ tuebimur. Sacrificijs & orationibus omnium hęc singulariter cõmendamus.) Ne verò quispiam actum aliquid arbitretur importunius in hoc toto negotio, habentur *Mutij* Generalis literæ ad *Odoënum Shelleyum*, quæ moderationẽ testantur his verbis. " Plurimum etiam me recreauit, quod Monachio ad me scriptum est, R. V. & si quis alius præterea illuc scripserit, valde modestè, & verecunde explicuisse Collegij istius constitutionem, neque à tam magnifico & liberali Principe quidquam aut nimis cupidè aut nimis minutè postulasse, sed omnia illius arbitrio permisisse; qua ratione quantum ab illo inpetratum sit, cum R. V. iam abunde procul dubio resciuerit, non opus est vt id ego enucleatius explicem.) Quam liberalitatem quanta cum temporalis cuiuslibet retributionis neglectione exercuerit nobilissimus hic Princeps altera demonstrauit occasio. Patres Angli in Congregatione Prouinciali aggregati lecto publicè Diplomate censuerunt Serenissimo Duci tanto benefactori per communes literas habendas esse gratias, rogaruntque *Mutium* Generalem vt suas etiam dignaretur adiungere: Ad has sic *Maximilianus* respondit. 1627. 1628.

" Gratiarum actio quam à Patribus Prouinciæ Anglicanæ Superiori anno in Congregatione conceptam, & suo & ipsorum nomine P. V. ad Nos misit neque necessaria, neque sanè à Nobis expectata fuit. Etenim vtriq; per literas iamdudum animi sui gratitudinẽ affectumque in Societate Nobis ante cognitum, abundè declararunt; Nos verò in illo beneficio Societati præstando ita Religionis augmentum, Deique gloriam pro scopo vnico præfixam habuimus, vt præter orationes, sacrificia, aliaque ad salutem animarum, Ecclesiæ tutelam & incolumitatem spectantia nullam omnino compensationem expetierimus; atque ob eam causam iterari gratiarum actionem necesse non erat. Quia tamen literæ tam P. V. quam Congregatorum Patrum non vrbano officio funguntur, sed ex animo profectæ, de nostra salute sinceram curam votaque ac preces pollicentur, ex ea parte nobis gratissimæ fuerunt, mirificeque animum nostrum multis negotijs, & perseuerantis mole belli pressum exhilararunt; præcipuè cum ex eisdem constet etiam in sæuiente per Britanniam persecutione, fidelium numerum diuino adiutorio indies augeri. Congregationi quidem Anglicanæ, cùm iam desierit, respondere non possumus: Optamus tamen illis Patribus pro opportunitate significari literas eorum Nobis redditas esse, nec illorum studio & laboribus defuturos; atque interea P. V. omniumque precibus & sacrificijs Nos & domum nostram quam maximè commendamus.)

Tradit pro solutione assecuranda Hypothecam.

XXII. Ne vero perpetuo grauaretur ærarium pendendis Collegio decem millibus florenorum Rhenensium, aut ex difficultate Cambij damnum sequeretur, in mentem venerat Serenissimo Duci ad stabilienda in fundationem agros dare in dominio suo Mindelheimensi, aliaque quæ annuum

1629. fructum æquarent, eaque bona ita facere libera vt à nullo dependerent. Sed
1617. quoniam (vt obseruauit etiam Adamus Contzen) è longinquo coli ista bona debuissent, vnde minor multo futurus erat fructus quàm si à præsentibus colerentur, & ea quæ ex hortis, piscinis, syluis &c. inhabitantibus vlui esse possent, aut omnino essent peritura, aut magno damno in pecuniam redigenda mittendam deinde Collybisticis detrimentis Leodium, cessatum est aliquousque ab illa cogitatione, quemadmodum & à bonis in ditione Wirtembergensi bello acquisitis, quæ longè plures secum tulissent difficultates. Vt tamen hanc suam donationem decem millium annuorum corroboraret magis confirmaretque, nouo addito diplomate (in quo etiam nouam sponsam adiungit sociam fundationis, *Mariam Annam ab Austria*, Ferdinandi Tertij Imperatoris sororem.) Prædictum dominium Mindelheimense, & Heydenheymense suo ære coemta, atque adeo libera, tradit in Hypothecam, vt inde sibi satis facere posset Collegium, tam pro decem millibus annuis, (si ex ærario deficeret solutio) quam pro capitali ducentorum millium, donec vel pecunia parata, vel bonis stabilibus, iuxta sententiam fundationis consignandis, omnia ad amussim persoluerentur. Quæ simul omnia narranda erant, vt sub vno eodemque aspectu & Collegij initia, progressusque, & optimi ducis eximia caritas ponerentur: quem Deus etiam in hac vita remunerari voluit optatissimo munere, vt quemadmodum ipse Collegio suo nouam sobolem Matri Ecclesiæ consolandæ pararat, soboles etiam illi inexpetò accresceret. Etenim plusquam sexagenario, & laboribus fracto, & propè (veluti alteri Abraham) effæto nata est ex noua & Illustrissima Coniuge duplex proles mascula, quam non promisso tantum sed facto stabilitoque Collegio promeritus fuerat. Non enim existimauit parcè & restrictè agendum cum Deo, sed vt magnum erat quod flagitabat beneficium, ita magno & liberali animo antequam deberetur expleuit votum, deditque prius-nato Filio *Ignatij* nomen, quo paternis insistens vestigijs *Ignatij* hanc sobolem perpetua beneuolentiâ prosequeretur, foueret munificentiâ. Horum nunc Annorum residua relegamus à quibus longius nos abduxere Collegij initia progressusque, ne seorsum separatimque facta narratio rei tam illustri afferret obscuritatem.

Alia superioribus annis acta.

XXII. Translato Leodium Tyrocinio creuit nostrorum numerus Anno decimo septimo ad quinque supra quadraginta, inter quos Nouitij triginta; de quorū ad virtutes solidas comparandas studio pro duplicis dignitate vocationis, Religiosæ & Martyrij, nihil necesse est dicere, silentio tamen prætereunda non est nobilis Adolescentis in Religioso proposito constantia, & Christianæ ambitio humilitatis præ seculi ornamētis & gloria, qui studijs vacans, cùm animum adiecisset ad Societatem, à Parente (quem quod inter liberos natu esset maximus celare non potuit consilium) ex Anglia de industria traijciente translatus domum, & ampliſſimi patrimonij administratione ad triennium implicatus, non solum ius omne, & spem præterea magnorum

Tyronum numerus auctus.

rum aliunde redituum, in fratrem minorem natu transtulit, sed in familiam vniuersam sermone & exemplo infudit tam magnum pietatis sensum & Societatis existimationem, vt ex hoc corpore Sacerdotem expeteret, atque earum cum periculo (vt sunt leges) possessionum, quas hæres proximus a tergo relinquens, in tranquillissimo Religionis portu conquieturus abiecit. 1617.

Robertus Jenison.

Atque hic quidem rem, spem alter non multo minorem abijciens inter spirituales exercitationes nostris se adiungere decreuit, atque biennio posito ad rationum suarum commodam pro Dei gloria dispensationem, redux ex Anglia humili Christi iugo supposuit humeros, tanto lætior, quanto se conspexit à seculi curis liberiorem. Vterque tandem sancto fine quieuit; Ille in Marilandia multis perfunctus fidei propagandæ causa laboribus; hic in Anglia sedulus Religiosæ disciplinæ custos, & cùm priuatim se, & cùm alios moderaretur. De horum cæterorumque virtute non per consuetas tantummodo probationes, sed fæda lue inuadente periculum factum est. Domus in sublimi posita, ad cuius primam ianuam per septuaginta duos gradus ab imo ascenditur, ornata etiam in montis à tergo domus declinantis iugo, amplissimo horto, in areas diuersas, & ambulationes ad voluptatem & fructuum varietatem distincto, videri potuisset munita satis aëre libero ab omni qui ciuitati infra positæ imminere posset morbo contagioso: Tres tamen hoc anno correpti docuerunt nullo loco salutem hanc caducam securam consistere, & quemadmodum ad temporalia cætera subsidia, ita ad remedia corporis præcipuam in Deum curam esse conijciendam. Neq; enim hunc annum solum lues contaminauit, sed è posterioribus alios: vt dubium esse possit vtrum in imo, an in sublimi tutior quis sit ab ea fœditate; quandoquidē ex confertis ædificijs si quę erumpat contagio, tam facilè qui in alto sunt, quam qui à latere, (sole vel vento deferente) afflentur, vbi montibus clausa non sat ampla vallis interiacet.

Tres morbo contagioso erepti.

XXV. Abstulit hic Annus præterea Audomari *Aegidium Schondonçum*, Laudatissimum Rectorem Seminarij. Parentes ætate graues, postquam plures per annos desijssent habere liberos, Deum supplices orarunt vti alteram eamque masculam largiretur prolem, quam Patris nomine *Aegidium* appellatam Ecclesiæ muneribus consecrarent. Pridie Sancti *Aegidij* natus, & eius festo die sacra tinctus aqua, *Aegidij* nomen iure cōsecutus est, & exparentum voto vbi adoleuit, in Societate Nominis *Iesu* se totum Deo donauit dicauitque. In ea per humaniorum literarum gradus præcipuos & Sociorum pleraque officia administrata, ad excellentiam quandam euectus, Cōtraco (vbi sex annis rexerat) Audomarum translatus, Seminario (quod in ea ciuitate Catholici Regis benignitate Anglicanæ Inuentuti in literis erudiendæ stabilitum est) Annis totis septendecim præfuit, tam magna illo in genere facultate atq; industria vt longè latéque nomen suum atque Seminarij propagarit. Etenim Roma scriptum reperio in hæc verba.

Aegidij Schondōchi obitus.

Guido Bē ti uoglio. 28. Nou. 1609.

" Illustrissimus Apostolicus in Belgio Nuncius multa de Collegio Anglicano ad Sanctissimum Dominum nostrum scripsit, amplissimo præconio le-

1617. ctissimam Iuuentutem, eiusdemque doctrinam, modestiam, pietatem collaudans. Tantis vero laudum encomijs commotus Vice-Protector Angliæ Cardinalis Bianchettus (cui Pontifex literas non absque magna animi voluptate legẽdas dederat) à Patre *Personio* vehementer petijt, vt hæc omnia illi, & per illũ etiam Pontifici indicaret. Quid multa? iam Patris *Schondonchi* nomen *Pauli* quinti auribus insonuit, & bonus odor Collegij illius non vno contentus Belgio se vbique diffundit.) Atque alijs deinde literis. "Illustrissimus Nuncius valde est in scribendo sedulus, adeo vt iam secundò ad Illustrissimum Cardinalem Bianchettum de Collegio Anglicano scripserit, Iuuenum modestiam, Collegij Disciplinam, & Superiorum vigilantiam summopere collaudans; Rectorẽ deinde magnis encomijs verbisque amplissimis, tanquam virum valde grauem, prudentem, Religiosum, doctissimum præterea & humanissimum honestans; Nomen, quod miramur, siluit; sed nos *Schondonchi* nomen silentio premi non patimur, ne effusæ Nuncij Apostolici laudes suo priuentur effectu: Hoc denuo præstitit R. P. *Personius*, nomen indicans & prædicans merita) In Hispanias etiam & qui Hispalim, quique Vallisoletum profecti sunt Adolescentes sua cum virtute & doctrina *Schondonchi* famam protulêre, neque re maiorem: Præstantis enim erat ingenij vir, prudentiæ singularis, pietatis eximiæ, quam sermonis gratia comitasque cum dictionis & gestus grauitate tam congruenter condiebat, vt summis simul atq; infimis esset acceptissimus; Anglis verò plus Anglis gratus, vt qui totum se illis impenderet, & verbis sæpe, re verò ipsa semper profiteretur, nihil in se esse quod ab Anglis dissentiret præter linguam ad idioma exprimendum tardiorem. Enimuerò altè imbiberat quam magnum ad Ecclesiæ vniuersæ vtramque pacem momentum haberet Angliæ Conuersio; quantum deinde ad Conuersionem maturandam emolumentum Iuuentutis Anglicæ proba institutio; quantum ad Institutionem Rectoris propensus in gentem ipsam animus, vt qui (ex eius sententia) quisquis esset cogitare deberet natum se esse in ipso Angliæ meditullio. Ipsa denique rei necessitas currentem incitabat, quando non vno edicto Regio vetaretur, Catholicos habere domi præceptores, & abrepti è paterno sinu liberi hæreticis curatoribus traderentur erudiendi. Hæc virum zelo Dei plenum incendebant ad tam sedulam sui muneris administrationem, vt fractis licet viribus corporis nõ cessaret, sed nouissima in ægritudine decumbens scriberet, dictaretq; ea quæ posteritati essent profutura; neq; alijs ab eo tempore præceptionibus Seminarij splendor est sustentatus, quam quæ à *Schondonchi* calamo vsuq; prouenêre.

4. Decembris eiusdẽ Anni.

XXVI. Quæcunque ad Dei cultum pertinebant sacrásque ceremonias accuratissimè exequebatur & vt ab Adolescentibus cum magnificentia quadam præstarentur satagebat. Sanctissimã vero Dei Matrem præcipuo honore colebat, atque vt in teneris iuuenum animis altè imprimeretur studebat. Testes sunt Sanctissimę Virginis encomia quæ singulis dominicis festísque diebus decantari voluit sub vespertinis horis; testes eadem ligneis figuris expressa, atque ordine collocata in *Horto* (vt ille vocabat) *concluso*, hoc est, in interiori atrio

Eius institutiones.

atrio qua itur ad triclinium quæ pluribus annis prostare voluit, vt in oculis ipsis perpetuo essent & non in cogitatione sola amplissimæ laudes tantæ tamque potentis Patronæ: Testis Sodalitas ab illo instituta & certis munita legibus, quò literarijs exercitationibus ac pietatis officijs mutuò respondentibus, ab eruditione ad pietatem gradus fieret, & partam pietas eruditionem illustraret. " Dispar enim est, inquit, Scopus horum Iuuenum qui in hac familia, & externorum qui alibi educantur: Illi siquidem dignitates tum Ecclesiasticas, tum ciuiles sæpenumero cogitant, vt illustribus parentum familijs splendorem addant, aut si obscuriores sunt, ad famam emergant: Hi verò adolescentes quantumcumque illustribus parentibus oriundi Conuersionem Angliæ pro suo gradu potissimum spectant: Hoc enim fine huc eos destinant parentes & amici, primò vt vbi adeò ab hæreticis concutitur Catholica Religio & vitæ probitas, filij postliminio domum reuersi stent fortes in fide, & firmi in integritate vitæ: deinde vt inter tot falsa in Anglia dogmata, quâ eundum est & ipsi videant, & alijs viâ commonstrent, id est, pietatem & scientiam sibi proponant: Qui enim in Anglia inter hæreticos præsumeret sine insigni pietate viuere, periculosè omnino viueret; nec tamen sufficit nuda pietas, nisi pietatem comitentur & stipent optimi mores; neque verò illa duo sufficiant, nisi vtrumque fulciat accuratissima cognitio doctrinæ Christianæ.) Hæc etiam moriens commendauit, dum conuocatos Adolescentes alloquens, multa de suo erga Anglos & Angliam affectu, multa de diligenti regularum custodia prolocutus finem fere dicendi, & viuendi fecit. Inter sacrolancta Mysteria, pronuntiatâ pientissimè communi formula Confessionis, voluit per interpretem qui deficientis verba ad omnium aures deferret, ab omnibus veniam petere, si quem verbo, opere, vel conuersatione offendisset, quod, inquiebat, "malo animo factum non est, & Confessionem generalem quam potui exactissimam patri spirituali iam feci) tum ad Christi effigiem conuersus" Domine, inquiebat, non recusabam laborem, sed postquam diuinæ Majestati tuæ ita visum est, suscipe hunc inutilem, & indignissimum seruum tuum.) Paucis post horis expiato sacris ritibus animo, munitoque ad certamen extremum Sacramento vnctionis, ac repetitis magno cum pietatis sensu ex formula Religiosis votis, pie placideque clausit diem, postridie Sancti Chrysostomi cuius viuens aureum os habuerat in pretio. Vixerat annos vnum & sexaginta, in Societate quadraginta & vnum, in Coadiutoris formati gradu viginti quinque, cuius memoria in benedictione est, vt cui Anglia non illotum tantummodò quibus rexit annorum fructum debeat, sed etiam posteriorum, quibus ad ipsius præceptorum normam adolescentes formati sunt, & etiam nunc formantur. Quorum Adolescentum aliquos si hoc loco commemorauero gratum facturus videor tum *Schondoncbo* in suis parentando, tum Collegij disciplinam exemplis potius quam verbis efferendo.

1617. In exercitationibus Sodalitatis

XXVII. Iure merito Psaltes iubet *Deo laudem dari in Israël quoniam,*

1617. *quoniam magnificentia eius & virtus in nubibus:* neque enim infra Cœ-
P. 67. 35. los mens hominum capit quantâ cum varietate salus æterna dispensetur.
Adolescē-
tum Laus. Hic de quo narraturus sum iuuenis quid doceret Catholica Religio ignarus,
Thomas. in Gallias transmisit vt artem addisceret arma tractandi. Boloniæ in Picardia
Pen. dum subsistit vtitur familiariter sculptore Catholico qui vt fidem tueretur domo sua relictâ transfugerat; multis inter se, vt fit, de Religione controuersantur. Catholicus non ferens blasfemias quæ à præteruido aduersario effutiebantur prouocat Audomaropolim, quò ad vicinum Pascha se expiaturus cogitabat: Iungit se non illibenter Adolescens comitem: venitur ad Seminariū; paucorum dierum tractatione exprimitur consensus in Catholicam; neque hic stetit diuina miseratio: Cum ad militiam redijsset, literarum studia, consortium eorum quos viderat Adolescentum, horumque desiderium tam pertinaciter inhæsere animo vt nullam quietem caperet vsquedum inter Seminarij Alumnos censeretur: Reuertitur igitur multiplici & sumptuosa supellectili instructus, fuluam ponit & elegantem Cæsariem in humeros defluam, annulum ex auro gemmâ fulgentem detractum auri Christo offert in Venerabili, fratris literas contemnit magna promittentis si fidem deserat. Prædicabilis ardor si potuisset esse diuturnus: ipsa quâ inflammabatur studendi cupiditas & orandi, vitales spiritus absumens tabem accelerat, ad quam auertendam natiuo redditur aëri, inter hæreticos affines ingenti acceptus adgratulatione, attamen nihil etiam tunc ostendit ad spem auersionis à Catholica; sed spe illa præterea euanescente quæ ad valetudinem confirmandam ex natali solo iniecta fuerat, maluit Audomari, tanquam in portu, ponere animam, quàm inter incerta patrij soli allectamenta fluctuare: Itaq; specie aquarum Spadanarū potandarum valedicens suis, Dorobernio Caletum, Caleto Audomarum vno die tenuit, & " isthic, inquit, viuere, hic mori desidero.) Et quidem morti vicinior quàm expectationi viuendi, vt securior maiorique cum solatio migraret optauit Societatem; Scribitur ad *Oliuerium Manaræum* Visitatorem, dum expectatur responsum vltimis Sacramentis munito dies superuenit quo præsto esse debebant, at nullæ comparent literæ; anxium inter vitæ mortisque metas iuuenem Rector *Schondoncus*, non minus quã æger solicitus, vt confirmaret, magnanimâ voce atque his verbis alloquitur " Quandoquidem, fili, Societatem cupis ingredi, ab Obedientia tibi inchoandum est, quæ potissimum apud Nos exerceri solet; Mando tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ, nè prius è vita discedas quàm literæ Patris Visitatoris afferantur.) Ille alacer addixit pro sua parte obedire. Suas interim cum præueniisset Visitator literas, & verbo confirmasset (quam scripto concesserat) admissionem, allato quidem nuncio lætus, ac votis ex formula rite pronuntiatis erectus præstolatur finem, at mori non potuit donec literæ ipsæ quæ expectabantur peruenirent; illis redditis, Rector " Iam, inquit, fili, ego te præcepti obedientiæ vinculo libero, & Dei voluntati permitto.) Is exosculatis literis, & benedictione percepta, piam animam reddidit Creatori.

Rarum obedientiæ documentum.

XXVIII.

XXVIII. Hæc altero post *Schondonchi* accessum anno contigere; 1617.
Anno septimo *VVilkinsonus*, ille qui celebrem *Henrici Garnetti* tinctam sanguine spicam acceperat, in hunc Adolescentum cætum adscriptus, cùm à parentibus tam importunè reuocaretur vt scriberent matrem ni rediret præ mærore morituram, respondit "se matrem quidem quo deberet affectu tenerrimo prosequi; illius tamen causâ (neque si mille matres haberet) nequaquam locum hunc optatissimum propositumúe vitæ cursum delerturum.) optauit etiam iste Societatem moriens, sed serius peruenit nuncius concessionis, Præclara interim de rebus diuinis,& de iustitia Dei maximè, disserens "O, inquit, si quis diuinam illam iustitiam serio mentis oculis intueatur nulla ratione vellet, etiamsi id posset efficere, vt peccata sua essent impunita) Post mortem inuentus est syllabus actionum diurnarũ tanto ordine, & tam magna pietate conceptus, vt nostros in admirationem, Inuenes vero (in quorum manus primùm inciderat) ad virtutem penitius excolendam raperet. Icannes wilkinsonus.

Academicus etiam adolescens qui in Philosophiæ studijs non pœnitendam operam Oxonij posuerat, huc appellens, hæresim quidem momentis rationum victus eiurauit, hostem tamen humani generis tam sensit infensum vt continuis propè labefactaretur machinis, modò parentum atq; sodalium, modò voluptatum & dignitatum memoria recurrente, quarum vel spe vel præsentiâ carere durum videbatur: Impietas præterea ab hæreticis hausta parentibus tam pertinaciter hærebat animo vt difficulter, & non sine horrore quodam preces Catholicas, eas præsertim quibus Sancti inuocantur, recitaret, Christianum vero sacrificium cum fastidio, ac pene cum risu spectaret. Suadetur vt arrepto Rosario opem saltem virginis Matris quàm humillimè efflagitet; Id dum vesperi aggreditur intimo de peccatis dolore subitò commotus vim ingentem profundit lachrymarum, ijsque matutino adhuc tempore madens hortatori suo rem inter singultus exponit; A consuetis inde liber molestijs, disciplinam Seminarij eâ animi propensione cõplexus est vt cum paribus in Hispaniam missus, & post decursa studia factus Sacerdos Patriæ se reddiderit non inutilem operarium. In promptu esset plures commemorare qui vel perceptam hoc in conuictu voluptatem omnibus domesticis oblectamentis prætulêre, vel vitam exegere cum virtute eximiam; *Thomas Stilingtonus* omitti iure non potest, qui licet extremum à Belgio procul obierit diem, Audomari tamen hausit principia doctrinæ & Sanctitatis, ex tribus illis vnus qui primi sub *Rogerio Lea* spiritualibus exercitijs expoliti gradum fecere ad magna ad diuinum obsequium perficienda, & eodem quo *Schondonchus* septimo-decimo huius seculi anno sublatus est; à cuius felici exitu viam sternemus ad ea quæ in reliqua vita sanctè gessisse memoratur. Beatissimæ Virginis patrocinium in afflictione. Thomas Stillingtonus gentilitio nomine dictus Oglethorp

XXIX. Audomaro Romam ad Philosophiam, Româ Messanam in Sicilia ad Tyrocinium profectus, priusquam menses sexdecim in Religiosæ perfectionis stadio posuisset difficili ægritudine cæpit afflictari, quâ

1617. in Hecticam declinante, cùm à supremo die non longè abesse videretur, monitus vti de Cœlo cogitaret, vt qui diuturnam isthic non esset habiturus mãsionem, dici non potest quantam vultu, voce, toto corporis gestu prætulerit lætitiam, " Optatissimusque, ait, est mihi iste nuntius, maiorem enim ex hac voce percipio animi voluptatem quàm qui eo quod maximè in votis habuerint potiti sunt.) Post sumptum Viaticum, Christi Domini de Cruce pendentis effigiem postulans, acceptam nunc ori, nunc pectori admouebat, nunc fixis intuens oculis ignea emittebat precum iaculâ illâ ex cupiditate profecta quâ dixerat se flagrare vt vnà cùm Christo Crucis durissimo ligno posset configi. Aegritudine tota auditus nunquam fuerat de dolore vllo suo aut molestia intulisse sermonem; nunc verò astanti cuidam (quocum libentissimè conferebat de beneficijs à Deo in seruos suos effundi solitis) indicauit se dextero in latere acerbissimum pati cruciatum; cuius cùm originem quæsitus celare contenderet, suspicionem fecit singulari gratiâ datum esse in memoriam Christi in Cruce vulnerati. Dies quatuor qui interfuere dum sacro oleo vngeretur Psalmis Hymnisque recitandis insumpsit, illo Petri Damiani præcipue delectatus *Ad perennis vitæ fontem* &c. necnon versu Psalmi *lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Neque præter Cælestem patriam aut animo aut ore aliquid reuoluebat. Peractâ Extremæ Vnctionis ceremoniâ, & impetratâ licentiâ, Rectorem in corona his verbis est allocutus; " Pater Rector, O Pater Rector, Faciat R. V. vt hi sancti Fratres intelligant nihil vnquam virtutis aut spiritus solidi in me extitisse, sed ad externam quandam speciem & ostensionem simulata & conficta omnia.) idem palam vt declararetur per Sacrosanctum Christi sanguinem & vulnera secundò obtestatus est. Petijt deinde facultatem se de more Societatis publicè accusandi. Tum rursus intuens Rectorem, eâdem quâ prius obtestatione flagitauit vt in errorum expiationem iuberetur biennio toto in Purgatorijs flammis pœnas luere; cumque responsum esset, vnius Dei id esse statuere, denuò tamen instituit adiurans, vt necesse fuerit dicere, Age prout Deo visum fuerit esto duos annos in Purgatorio. Rogatus vt pium aliquod atq; vtile monitum præsentibus daret Sodalibus; Imprimis hortatus est vt promptissime, ac ne minimâ interpositâ morâ Superioribus in leuissimis etiam rebus morem gererent " Ne, inquit, in vos pari atque in me supplicio animaduertatur cui idcirco in ætatis flore vita præciditur quod me in isto negligentius gesserim, maiores longè in Religione facturus progressus si promptè obedissem. Tum Paupertatis eximiam curam commendauit, cuius ipse fuit studiosissimus. Sub vesperam cum rursus Rectorem conspexisset, manibus in formam Crucis pectori admotis per pretiosissimum Christi Sanguinem, & suauissimum Beatissimæ Virginis nomen obtestatur vti liceret die proximo elucente denuo Sacrosanctâ refici Eucharistiâ; tam in flammato desiderio spes voti facta est, At intempestâ nocte è cubili tanto impetu decidit in terram, vt strepitu excitus qui in vicino iacebat opem laturus contremisceret; roganti quid rei esset, respondet

Pœnitentię rarum exemplũ.

Lucta cũ dæmone.

æger,

æger, " cum malo dæmone eiusque consortibus mihi lucta fuit.) cumque 1617.
nocte reliquâ non cessaret inuidus serpens spectra molestissima obijcere, rursus paulò ante horam quâ cæteris surgendum erat allisus est solo; quâ luctatione imminutis vehementer corporis viribus creditum quidem est administrandæ sanctissimæ Eucharistiæ supersedendum fuisse, nisi ille extenuata extendens brachia & pectori applicans, hanc sibi vltimam fieri gratiam verbis affectuosissimis precatus fuisset, corpus etiam ad fidem faciendam conatus mouere, & linguam ostentare ad glutiendum habilem; Pronunciatis igitur ex formula votis Religiosis datum est optato frui & diuino Hospite, in quem cogitatione defixus, cùm aliquamdiu quasi sui vix compos hæsisset, sibi deinde redditus, & summam pietatem spirantia pauca effatus, corpore ad modestiã composito supremam cum morte ingressus est luctam, quæ cùm ad horæ fere medium tenuisset, corporis compage soluta, animam placidissimè reddidit Creatori. Defunctum non nostri solùm sed & externi magnâ veneratione prosecuti sunt, propensi magis ad petendum, quam ad porrigendum auxilium. Qui exitus facilè quæ fuerit anteactæ vitæ sanctitas ostendit; faciet tamen ad Dei opt. max. gloriam illustrandam (qui in seruis suis quidquid inest perfectionis operatur) si pauca de gestis eius laudatissimis breuissimè complectar.

Eius Humilitas. Ex ea quã scripsit Rector relatione.

XXX. Intellexit optimus Adolescens virtutis fundamentum locandum esse in sui abiectione; quare vt Religiosæ Disciplinæ ædificium in solido poneret, in hanc toto pectore incubuit. Fuerat excellenti dotatus ingenio, maturo iudicio, memoriâ felicissimâ, quæ in Philosophiæ cursu, quem propemodum confecerat, eluxere, literis etiam Græcis & Latinis egregiè excultus, de se tamen rebusque suis tam demissè sentiebat, vt posthabendum se omnibus existimaret, vehementerque laboraret vt rudis & tardus haberetur: si de loco ageretur, nouissimum vel pone terga aliorum captabat; si de sede, maximè incommodam rapiebat; si quid pro more quotidiano inter Tyrones memoriter repetendum esset ex dictis, aut inter familiaria post mensam colloquia promendum, auscultatoris partes plerumque nisi iussus eligebat, magnaque diligentia tegebat quæ Deus illi concesserat dona. Dicebat forte quidam, " Persuasum habeo, mi frater, Dei famulos è vicinâ æternæ fælicitatis expectatione plurimum mortis nuncio recreari:) " At ego, inquit, ex ijs non sum,, quapropter quid illis contingat, ignoro; crediderim tamen ita esse vti dicis.) Et certè oris serenitas eo maior quo horæ supremæ erat vicinior fidem facere poterat idem ipsum in se experiri. Fuerat illi semper in votis pro Christo sanguinem in Anglia fundere, & reste finire vitam: Rogatus an ad hoc testandum cuperet circumducto ad collum fune de vita decedere" desiderium, inquit, meum tanti non est vtistud merear.) illico tamen vt in se ipse flagello animaduerteret impensè postulauit. Alter (per occasionem Nouitij qui se inter Sodales accusarat de vana cogitatione) iussus illius defectus in codicillos referre, dixerat per iocum audiente *Thoma* habe-

te se

1617. re se in mandatis vt Tyronis alicuius vitam conscriberet; Exhorruit æger vehementer, de se id dici suspicatus, atque in lachrymas solutus & gemitus vocari rogat Rectorem, & ita alloquitur: "Non satis nouit R. V. mea quæ fuerit vita in sæculo, quæue in hac ipsa Societate; Meáne vita vt scribatur? Et singultu interrumpente sermonem multoque fletu vix acquieuit rem nartanti, donec commonstrato defectuum collectorum indice adderet Rector, Nè metuas, frater, non est tanti tua vita & virtus, vt operæ pretium sit eam conscribi;) ea voce reddita est menti vultuique tranquillitas. Reddita dico, quoniam in omni ægritudine nullus vnquam apparuit in Angelico iuuene tristior aspectus, aut verbum signumue quo displicere ei quidquam arguererur, prærerquam si quid ad suam laudem pertineret. Paupertas ei

Paupertas. fuit cariſſima, auditusque est sub vitæ finem sæpius dicere, quod quidquid à Deo impetrasset beneficij, id omne commemoratâ Christi paupertate impetrasse. Mendicare ostiatim in delicijs erat, vt adamatæ virtutis effectus. Ne res quidem ad pietatem spectantes, vt sunt imagines, coronæ precatoriæ, & similia vsurpabat si essent pretiosæ; adeo vt in nouissima ægritudine cùm porrigeretur inauratum Christi Crucifixi simulachrum exosculandum, flagitauerit vulgari & simplici commutari; ex altero enim dicebat se pietatis nullum sensum haurire posse. Dato ad exeundum signo ad vestiarium properabat vbi galeri & pallia reponebantur, & sibi sumebat quod maximè esset tritum ac obsoletum; atque etiam quando infirmo quidpiam condimenti vel cibi operosius parati offerebatur accipiebat inuitus tanquam quod pauperi non conueniret.

Obedietia. Quid deinde de Obedientia dicam, prompta, cæca, demississima? Christum Dominum in omni Superiore adeò sincerè agnoscebat, vt eius omnia dicta factaq; summa Religione veneraretur. Aequales etiam & inferiores in animo ducebat sibi Superiores; salutabat semper prior; de loco decedebat; neminem loquentem interpellare auditus est; in obsequendo alijs & ministrando expeditus & alacer aliorum erga se officia inuitus admittebat, adeò vt collapsis prorsus viribus si opis aliquid à præsentibus esset afferendum affligi videretur; quàm vero exquisita fuerit eius obseruantia erga eum qui infirmis præerat nemo est qui non prædicet.

Oratio. XXXI. Ad donum venio Orationis quod in ipso ita erat excellens, vt verè dici possit omni in loco orasse & omni tempore, quandoquidem è re qualibet in Dei contemplationem & amorem rapiebatur; Neque tamen non accuratissimè ad domestica ministeria, cum in ijs esset, attendebat: precabatur autem semper flexis genibus nisi aliud à Superiore iniungeretur, & non difficulter impetrabat quod postularet. Peregrinanti cum Socijs duobus accidit vt sub vesperam festi in oppido bene amplo neminem reperirent qui eos hospitio vellet accipere; rogatus est à Sodalibus vt supplex diuinam opem imploraret, & ecce loci Medicus, qui eos antea aliquoties conspectos præterierat, comiter salutatos inuitat domum, mensâ & cubili non sine domesticorum

sticorum incommodo excipit. Inter cætera quæ secum hectica febris af- 1617.
fert incommoda molestissimi solent esse defluxus multam cientes flegmatis
eiectionem; animaduertens hanc grauem esse Socijs qui animi laxandi gratiâ
ad eum ventitabant, petijt & impetrauit à Deo vt illo tempore ab ea mole-
stia liber esset. Iuuit autem ad Orationis efficacitatem absoluta cum diuina
voluntate consentio quâ totum se illi in votis precibusque permittebat. Mor-
bus iam diu cum lecto affixerat desperata salute, ardebatque vehementissimâ
fruendi Christi cupiditate, id tamen vt postularet induci nunquam potuit;
rogatusque ab alijs quid potissimum cuperet vt pro se Deum precarentur "vt,
inquit, Sanctissima eius fiat voluntas.) Quanto animi affectu ferretur erga
Venerabile intelligi potest ex ijs quæ de decumbente dicta sunt. Pietatem
erga beatissimam Matrem Virginem sequentia declarabunt. Paucis ante obi-
tum diebus, religione vt creditur ductus, cæpit subobscurè Rectori indicare
gratiam sibi quampiam à Sanctissima Virgine olim factam, quæ tamen cla- Beatissimæ Virginis erga eum gratia.
rè ab ipso exprimi nisi præcepto non potuit; cedens obedientiæ hæc protulit.
"Cum essem in Belgio, & in literarum humaniorum studia incumberem
Audomari in Seminario, inter orandum die quodam à sensibus alienatus vi-
sus sum intueri Beatissimam Virginem mediam inter Sanctos *Ignatium* &
Xauerium ad me accedentem; tum manu prehensum viâ lucidissimâ plurimumque eam amænâ ducere ad ingentem magnificamq; ædem, &"huc, inquit,
ingredere, isthic tibi commorandum est (erat autem templum Societatis
Iesu) comites deinde compellans," Adolescens, ait, iste vester est, eius curam
habete, vestræ illum tutelæ commendo.) Illa discessit; ego mihi restitutus
ingens desiderium Societatis constanter prosecutus sum, atque eiusdem San-
ctissimæ Matris ope, vt ego interpretor, sum consecutus.) Ita ille: tum verò
primùm intellectum est id quod frequenter habebat in ore; "etsi omnes be-
neficio Virginis Matris in Societatem admissi erant, se tamen præ cæteris
hanc illi debere gratiam.) De ea libentissimè in omni congressu ferebat ser-
monem, optans frequenter ad rudes indoctosque paganos mitti vt huius præ-
cipuè Cælorum Reginæ laudes prædicaret, ignarosque institueret qua ratione
esset ipsa colenda; totoque vno itinere Neapoli Romam vsque vix aliud af-
ferebat in medium quam præconia Virginis.

Is autem qui duos annos purgatorij ignis moriens optauit in pænam, vi- Mortifica-
uens haud dubiè non indulgebat sibi: obseruatum est in vltimo morbo, sicut tio.
& in reliqua vita, importunas nunquam muscas aut culices pepulisse; astanti-
bus hac molestiâ illum leuare volentibus sæpius dixisse, "Permittite, permit-
tite vt se reficiant.) Sedens quantumuis lassus aut æger nulli rei innitebatur;
infirmus nunquam ingemuit; nullam vnquam rem siue ad refectionem, siue
ad leuamen vltrò petijt, aut si quid deesset quærebatur contentus oblatis. Ocu-
lorum custodiæ impensissimè inuigilabat terram spectans, ne quid incurre-
ret quod mentis puritati officeret; quæ puritas quanta fuerit, & quot signis
expressa, vitæ præsertim totius innocentiâ, dicere superfluo deo, ne aut minuta

1617. 1618. quæque congessisse videar, aut ornare potius velle quę gesta sunt quàm narrare. Is eius Rector qui vitam Italico sermone digessit non dubitauit multa huius precibus tribuere à varijs impetrata; quin & ea quæ ad eum pertinebant in domesticos tanquam aspersa sanctitate dispensare, ac tandem in hæc verba concludit. Magnam facerem iniuriam non *Thomæ* tantum, sed diuinis muneribus quibus illum liberalissima Dei manus cumulauit, si silentio præterirem (quod omnes pro certo habemus) Deum opt. max. singulari beneficio hanc domum affecisse, quando hunc nobis donauit. Solebat sæpenumero dicere moriendum sibi esse in Nouitiatu, mihi vero prærerea, impetrasse se istud à Deo & Beatissima Virgine multis lachrymis: Intellexit propositam fuisse à Medico aëris mutationem vt conualesceret, at ille ad Socios conuersus, "Nequaquam, inquit, sed habetote certum quod hic sit mihi moriendum.) Et ad me," Quid est, mi Pater, quod non cupitis vt hic moriar. " Ad *Thomam* verò *Beringtonum* (suæ nationis Sacerdotem cùm infirmum ille etiam infirmus inuiseret) præoccupans, ("Non amplius agatur de transmigratione, vult Christus Dominus eamus alia via) atque ita accidit; vtrumque eo in loco ad se vocauit Deus vitæ cum laude anteactæ præmijs donandum. Eadem vero quæ ad Stillingtonum pertinent Messanâ Romam compendio transmissa reperio in hęc verba.

"Messanæ in Nouitiatu memoria *Thomæ Stillingtoni*; qui Natione Anglus, Moribus Angelus, in Religione Nouitius, virtute veteranus, cũ esset in Belgio clara visione vocatus est ad Societatem à Beatissima Virgine, quæ illi media inter Sanctos Ignatium & Xauerium apparuit, deductoq; ad Templum Societatis dixit, Hoc tuum erit domicilium, & commendauit Sanctis qui ipsam comitabantur. Breui post tempore dignum se probauit filium tantæ Matris: Exterius tam bene moratus vt à plerisque appellaretur Angelus, id quod interiorem harmoniam indicabat, donum Orationis habuit singulare, & in quocumque exercitio vnitus cum Deo obtinebat quod postulabat. Excellebat humilitate; solerter occultans dotes non paucas quibus ornabatur. Amabat vilis æstimari & nullarum partium, ferebatque ægre cum laudabatur. Paupertatem colebat vt matrem, amicissimus mortificationum; oculos habebat semper terram spectantes; sibi seligebat peiora quæq.; sedendo non innitebatur; à facie neque sanus neque æger abigebat muscas; morti proximus petijt veniam se flagellandi; Cognita illi fuit mortis hora, quam à Deo multa prece obtinuit obire in Nouitiatu: Cum hæc illi nunciaretur vultu ipso ostendit lætitiam, neque vnquam visus est lætior quam ijs diebus quibus superuixit, præcipuè verò cum sacro Sancto donaretur Viatico. Mortuus est cum tanta opinione Sanctitatis vt nemo inducere posset in animum pro ipso orare, vnusquisque se illi commendaret. Reliquias eius multa cum deuotione quæsitas variæ secutæ sunt gratiæ. Cadauer timidioribus addebat animos, omnibus pietatem; Excitauit eius mors in Nouitijs affectum singularem erga res diuinas. Accidit illa Octaua Natiuitatis Beatissimæ Virginis,

Eadem

Eadem Reginâ quæ duxerat eum ad Societatẽ *Iesu* militantem in terris, perfecto iam opere deducente ad Cœlestiũ Societatem triumphantem in Cælis.) 1618.

XXXII. Annum insequentem octauum-decimum memorabilem fecit Cometes qui ab horizonte emergens, eodem tempore cæsariem latissimam protendens ad medium vsque Cœli circulum, Europam vniuersam suspensam & solicitam tenuit quid prænuntiaret: Id plerisque commune fuit: Nostram Leodij Tyronum domum res alia digna memoriæ excitauit ad misericordiam animarum in igne purgante detentarum, & peccati, quantumuis leue videatur, æstimationem. Henricus quidam de Faux Patribus Leodiensibus in Sancti Seuerini villa olim famulatus fuerat, vir simplex & rectus. Huius filius Petrus de Faux à primo Anglorum in vrbem aduentu in famulorum numerum admissus fidelissimè etiam seruiuit: Post annos fermè quatuor vi quadam atque occultâ violentiâ vexatus, & modò in terram, (nemine quem videret impellente) abiectus, modò quasi immenso pondere premeretur grauis, modò nè brachia in altum ad opus sublata demitteret impeditus, modò ad parietes violenter allisus, aut nè quo vellet progrederetur retentus, vitam ducebat ad plures menses permolestam; & nunc quidem à malo dæmone infestari se arbitrabatur, nunc moneri à bono vti se per confessionis Sacramentum expiaret, tùm vt fratri recenter mortuo succurreret, aut aliud quod occultum esset peragendum susciperet. Hactenus autem species ei nulla visumúe oblatum est, donec Anni insequentis Februario mense, post mane peractam Exhomologesim, ad fæni cumulum violenter impulso & propè exanimi, albi quidpiam & rotundi instar complicatæ manus ostensum est. Illo in angore ac trepidatione ductus ad *Ioannem Gerardi* Rectorem, tanto grauabatur onere vix vt pedem posset attollere, & præ contentione copiosus è naribus flueret sanguis: Vberrimè lachrymantem, & cruore perfusum solatus *Gerardus*, appenso ad collum Agno cereo deducit ad cubile (erat enim noctis hora nona) monetque vt si quid se offerat roget quis esset quidque vellet? Quamquam autem quiescere cupienti stragula detraherentur, & voce surdâ quidpiam sonaret quod turbato Confessionis aut Communionis vocabula referret, non est ausus interrogare. Nocte igitur postera iubet *Gerardus* suo in cubiculo vt Petro pariter sternatur, & post fusas preces incumbunt vestiti; Nox penè tota transigitur in nullo perterritis: Horâ tertiâ matutinâ Petrus graui mole pressus vociferatur, excitatque clamore *Gerardum*: Is accurrens monet rursus vt interroget; tergiuersantique secundò tertioque cùm animum addidisset, ostendit se primùm species quædam in figuram formata pene puerilem; dein pergente Petro rogare quis esset? auctâ ad viri staturam figurâ respondet "Me non nosti? Sum Pater tuus) ad quam vocem excitatior Petrus exclamat, Pater meus, Pater meus) rogatque quid vellet; Tum cùm aliquamdiu tanquam loquenti alicui dedisset aures, tremulâ voce "Ego, inquit, cras mane, nudis pedibus, & manu gestans cereum ire debeo ad Sancti Martini, & ibi sacro San-

Animæ in purgatorio detentæ liberatio.

1618. 1619. cto interesse Mysterio: tenetur enim Purgatorio in igne Pater meus.) Cum que causam vt quæreret suggessisset *Gerardus*, responsum est, "Quod moribus puellæ cuiuspiam notam seueriorem temerè adspersisset, appellassetque Meretricem; quam culpam licet confessione non expiasset, contritionis tamen beneficio æternas euasisse pœnas, temporales luere; Rogatus à quonam celebrari cuperet sacrum, respondit, perindè esse modò celebretur, placere tamen ab eo fieri qui *Tomsonus* vocabatur, is erat idem Rector, *Ioannes Gerardi.*) Itaque postridie solemni comitatu itum est ad Sancti Martini (Templum est Collegio Canonicorum celeberrimum) Petrus pœnitentis habitu cum cereo præcedebat, ponè sequebantur è Tyrocinio ex nostris aliqui populusq;. Sacrum inchoante *Gerardo* apparet filio parens, clamatque rursum Petrus, "Pater meus, Pater meus;) astantem enim videbat reuerenter, & peracto sacrificio exultanti similem de sub altari in sublime conscendentem. Neque exigua fuit præsentium consciorumque lætitia simul atque admiratio. Elucebat enim in re, de qua nulla posset esse dubitatio, Dei grauissimum de peccato iudicium eiusdemque illustris in rite pœnitentem miseratio, quæ duo pietati inflammandæ adiumento consueuerunt esse quàm maximo: Accessit & argumentum ad Sanctorum patrocinium confirmandũ; dixerat enim Sanctam *Annam*, Matrem Beatissimæ Virginis adfuisse sibi morienti, modò etiam ad Sancti Martini adfuturam: illam etenim olim piè coluerat, congregatis quibusdam sub illius nomine adscriptus, atque annuam solitus offerre pecuniolam vt pro se suisque oraretur.

XXXIII. Atque hæc sunt quæ de Missionis huius initijs progressibúsque hactenus notatione digna reperiri potuerunt inter tot támque varias quibus iactata est Anglia tempestates, & tanquam ex infelici naufragio eripi; nunc de eadem in alteram formam commutata dicendum est. Aucto enim ex noua commodáque habitatione Leodij Tyronum numero, creuit & numerus tum eorum quibus præcepta Theologica tradenda erant Louanij, tum qui ad messem in Anglia colligendam aspirabant, vel Sacerdotio iam initiatorum, vel iuuenum ad similes pro fide auita labores anhelantium. Cúmque interea hæc Missio, per varias regiones sparsa, per modum Prouinciæ Societatis (vt initio instituta est) regeretur ab vno eiusdem Missionis Capite Romæ sedente, alijsque illi quidem vni in Hispanijs, Belgio, & Anglia subordinatis, à Prouincialibus verò locorumque in quibus versabatur præfectis esset in multis exempta, Visum est aliquibus peccari in decretum vigesimum primum Congregationis nostræ septimæ, *consultiusq; esse si recepto in Societate omnium gentium more huius etiam Missionis subditi alijs de Societate miscerentur, nè nationum discrimina paulatim magno Societatis damno introducerentur. Ac proinde neque permittendum vt in ijs vrbibus in quibus Societas Collegia sua habet studiaq;, è sola ipsi gente sua Theologiæ, Philosophiæ, & humaniorum literarum Professores habeant, multoq; minus Superiores.*

Missio erecta in Vice-Prouinciam.

Mutius Generalis vt neque decreto Congregationis videretur derogare, neque

que ſpecie quadam religionis abductus in diſcrimen vocaret rem tantam, maturo deceſſoris ſui conſilio inchoatam, ſtabilitam, continuatam, Pontificum etiam duorum *Clementis* Octaui, & *Pauli* quinti iudicio probatam, & vſu fructuque laudatam tum eo qui in homines Societatis, tum qui in regnum ipſum Angliæ fidemque Catholicam inſigniter propugnatam dimanarat, Eum Sociorum numerum qui hactenus ſub Miſſionis Anglicanæ appellatione pleraſque Angliæ Prouincias & domos aliquot in Belgio impleuerat (abrogatis Præfecti & Vice Præfectorum nominibus atque officijs) in Vice-Prouinciam erexit, munere Præpoſiti *Richardo Blondo* impoſito, qui ab anno eius ſeculi quinto pleraque tractauerat Societatis in Anglia negotia, & per hæc tempora noſtris in Inſula diſperſis ſolus imperabat. 1619.

Etſi enim hæc Miſſio ab Aſſiſtentium poteſtate nunquam fuit exempta, Prouincialibus verò (quod ad diſciplinam domeſticã pluráq; alia attineret) in ijs regionibus apud quas verſabatur ſempet eſſet ſubdita, & Superiores vbique omnes ex ſola gente ſua nunquam habuiſſet, liberumque præterea eſſet Generali ex qua vellet alia gente, & quos, & quandocunque vellet ſubſtituere, & in ipſo denique Nouitiatu & Collegijs plures ex alijs nationibus admitterentur, ac proinde periculum nullum eſſet vt nationum diſcrimina in Societatem hac via introducerẽtur. Viſa tamen eſt alia hæc ratio commodior tum ad difficultates quæ obijci potuiſſent præcidendas, tum ad ipſam Societatem & bonum quod per eam operari cæperat Deus amplificandum.

Cur facta Vice-Prouincia.

XXXIV. Numerabantur in Miſſione vniuerſa Sacerdotes propemodum ducenti, atque inter hos quatuor votorum Profeſſi quadraginta, quot vix in vlla Prouincia, cùm primum ſurrexit, reperiſſes: ſparſi quidem per diuerſorum Principum dominia (vt Regis Catholici, vt Leodienſis Principis, atque Angliæ præcipue regnum) ſed neque hoc nouum in Societate videri potuit, cùm Veneta pluribus ſubijciatur, & Lugdunenſis in Gallijs Dolanum & Camberienſe Collegia complexa ſit, iſtud Sabaudo, illud Hiſpaniarum regi obnoxium: Sicula habeat Melitenſe, Veneta Cretenſe mari vtrobique interiacente. Nouum vero omnino fuiſſet ſi tam multi in Societate Profeſſi ad diuturnum tempus ab omni penitus cenſendi cætúmque faciendi iure arcerentur, quod neceſſe erat quamdiu non alio quam Miſſionis titulo is Patrum numerus eſſet inſignis. In dubium enim venire frequenter neceſſarium erat, An qui in Hiſpanijs Belgioúe verſarentur ad earum regionum cœtus Prouinciales vel Patrum indigenarum bona gratia vocari poſſent, vel iure deberent: Incongruum enim futurum aliquando ſi indigenis excluſis, externi tanquam antiquiores, negotiorum vero minus gnari, admitterentur. Quid deinde de ijs qui in ipſa Anglia verſarentur magnis laboribus & periculis quotidianis perfuncti? Quid de Candidatis tam multis quorum difficilior indies, deficientibus eleemoſynis, redderetur adſcriptio? neque enim ſperandum erat Catholicos ex Anglia pecunias tam magna liberalitate ſubminiſtraturos cùm in manus ignotorum traderentur; Quanquam enim in Societate non eſt natio-

1719. num distinctio, existimare tamen idem ab ijs impetrari posse qui mentem ab humanis rationibus haud prorsus abduxêre, hominis est humanam infirmitatem parum accuratè perpendentis. Experientiâ præterea compertum erat tum anterioribus annis in plerisque Societatis Prouincijs (vt libro primo notatum est) tum recentiori memoriâ, non in solis Latinis Græcisue literis tradendis, sed in præceptis Philosophorum & Theologorum discutiendis, certare posse cum plerisque nationibus Anglorũ non pauca ingenia. At dissoluta compage quâ hactenus Missio in hanc creuerat amplitudinem, & rursus dispersis in varias Prouincias, vbinam gentiũ Cathedræ reperirentur in quibus tã magno numero, tantoq; cũ Societatis, & verò Catholicæ fidei splendore & incremento exercerentur? Plenæ sunt omnes Prouinciæ doctis viris, quæ vt numero Personarũ, & diuersitate idiomatum, & negotiorũ dignitate cogentibus sunt alibi per orbem terrarum variatæ, mirum cuiquam videri nequaquam potest idem illustri huic Missioni concessum esse; & laudanda profecto est Patrum grauissimorũ Prouidentia qui in hanc sententiam cum *Mutio* Generali & Assistentibus conuenere. Accedit quod Principes per Europam viri, tum eorum qui secularia tum qui Ecclesiastica tractant gubernacula, hoc corpus Anglicanæ Missionis habuerunt semper in oculis non tanquam Prouinciæ alicuius particularis commodis inseruiens, sed Ecclesiæ Vniuersæ sustinens causam, vt quod hæresis iugulum omni spiritualium armorum genere peteret, & modò illustrium Confessorum eximiâ virtute, modò fortissimorum Martyrum sanguine Christi vineam irrigaret. His fundamentis Seminaria per Hispanias & per Belgium à Rege Catholico constituta sunt; Hæc spectarunt ij qui eadem non fauore solùm & gratia sed copiosis eleemosynis prosecuti sunt; Hoc Ciues Hispalenses, hoc Palentini Canonici, hoc Reuerendissimus Audomarensis, hoc Bauariæ Sereniss. Dux, qui Collegium suum Leodiense disertis verbis Societati *Iesu* Anglicanæ Nationis tradidit, post constitutam quidem Prouinciam, sed & ante constitutam, domum eandem, cùm ibi Tyrones Religionis rudimenta ponerent annuâ liberalitate sustentauit, non vt præter Societatis morem, liberum non esset Generali Præposito cuius vellet Nationis Superiores, Adiutoresue imponere, sed vt Corpus idem (quocunque demum seu Missionis, seu alio meliori nomine vocaretur) integrum inuiolatumq; perseueraret, & crescceret. Quod Corpus si per gradus quosdam in eam amplitudinem non coaluisset aut post coagmentationem factam fuisset specie decreti confestim in varia distractum, omnis illa de Angliæ regno per Sacerdotes, Theologos, Concionatores, aut harum rerum scriptores, studiososue iuuando cogitatio elanguisset. Nunc verò, quando in communem cum cæteris Societatis Prouincijs rationem est excitatum, de reliqua eiusdem progressione dicendum erit, paucis præmissis quæ ad ipsum primum Præpositum *Richardum Blondum* priuatim pertinent.

Richardus Blondus quis fuerit

XXXV. *Richardus Blondus* Equestri loco natus in Leicestria, politiori doctrinæ operam dedit Oxonij. Inde Profectus Romam, postquam Philolo-

Philosophos Theologosque audiuisset, ductus est à *Personio* in Hispanias ad nouorum Seminariorum cohonestanda initia, & Hispali quidem Thesibus coram Cardinale propugnatis specimen edidit scientiæ, modestiæ vero ceterarumque virtutum ornamentis tum Hispali tum Vallisoleti nouis earum domorum Alumnis præiuit, & quales esse deberent ostendit qui ad messem Anglicanam destinarentur. Tum verò cùm Angli Hispaniam. Lusitaniamque armatâ peterent Classe, sumpta cum alijs Sacerdotibus veste Nauticâ, tanquam beneficio Mercatorum è ptælio redemptus euasit in Insulam. Vno alteroue post anno in Societatem adscriptus, primam habitationem sortitus est in Susiexia. Ibi hic post aliquot annorum cõmorationem bis quæsitus, ingenti cum incommodo suo latuit. Inuaserat Magistratus multo mane domum; integraque potiebatur, missio Domino Londinum, Dominâ ductâ ad vicinas Irenarchæ ædes, famulis amandatis ad carceres, vnâ relictâ ancillâ cum paruulis. Ad quintum diem durauit inquisitio. Tum absumpto permodico qui illatus fuerat victu egressus antro famulus se tradidit pro latente Sacerdote, alterum commonstrans latibulum ex quo se finxit prodijsse; ita exiguo famis periculo, præter quinque dierum noctiumque continuæ sessionis molestiam frustrati sunt quæsitores. Secunda perscrutatio fuit molestior. Nocte hyemali intempestâ (proxima enim erant Christi natalitia) irruerunt silentio in aream magno cum comitatu Irenarchæ tres, prodente famulo rusticano. Excitatus circumcurrentium strepitu à somno *Richardus Blondus* abdit se ocyus cum comite in densum lapidibus murum, nullâ re nisi femoralibus & leui tectus tunica, qualem sotanam vocant; In antrum vero illatum nil fuerat præter modicum vini, & vnus panis. Aberat id temporis Herus domo: Heram vnà cum liberis in conclaui tenebant occlusam: Omnia interim vndequaque tundendo, frangendoque peragrabant lustrabantque, irrito ad diem decimum conatu: Ad vesperam eius diei notantes in impluuio partem muri ex sono concauam tam fortiter pulsant vt necesse fuerit ijs qui intus erant, luxatos lapides admotis humeris sustinere: forte imber maximus depluebat: hoc imbre voluit Deus & Sacerdotem è manibus, & Herum à legum iudiciorumque pœnis liberare: Etenim securi in crastinum perquisitores dum se intus recipiunt in domum, & foco liberaliter & poru se recreant, elabitur Sacerdos. Cinctum erat muro primùm, deinde aquis ædificium & hortus; hinc nouus labor: Superat tamen murum *Blondus*, & natandi peritus euadit per gelidam, & glacie rigentem fossam octoginta pedes latam: Comes cùm natare non sciret, arreptam sotanam adstringit corpori instar caligarum, tum prorumpit in mediũ stertentium in aula militum, & clamat, quid vos hic desides & somnolenti, interim dum fures expilant equile, equos dominorum vestrorum abducunt? Illi apertis portis cum lumine conciti currunt ad equile; iste vnà exilit, & aliam carpit viam quâ nouerat patere exitum: In equili cùm omnia salua conspiciunt, quærunt quis ille homo esset vestitu peregrino qui illos exciuerat, atque ex suis non esse comperientes, redeunt ad pridie

1619. Richardus Blondus quis fuerit

1619. neglectum, at nunc vacuum latibulum, in vanum frementes frendentesque. *Blondus* exulceratis per ascensum muri & scrupis suris ac pedibus, ab non longè posita Catholica domo acceptâ rusticanâ veste & calceis, reliquâ nocte viam regiam tenens etsi luto grauem, nè aberraret, apud alium Catholicum diuertit, iacuitque tribus hebdomadis æger, tum Londinum delatus ad vlteriorem curationem: hæsit tamen illi in omni vita dolor ex frigore contractus.

Eius prudentia & industria.

XXXVI. Quanquam deinde à *Garnetti* præsertim felici exitu præcipua Missionis tractans negotia frequenter in itinere, frequentius Londini incurreret in perquisitores & fallos fratres, tentus tamen nunquam est; Quod etsi prouidæ Dei curæ præcipuè tribuendum erit, qui quosdam vult Martyres, quosdam Confessores, illos magna sustinendo, hos magnis factis clarere, plurimum tamen in *Blondi* industria positum fuit, qui rarissimè, nisi de nocte, egrediebatur domo, rarius intrabat nisi densis tenebris, & eorum Catholicorum qui omnibus noti erant vitabat studiosissimè in publico congressum nè & ipse notaretur. In nobilium virorum colloquia libenter veniebat, quoniam vel discebat quidpiam quod non esset vulgare, vel id quod ipse docebat ad multos inferioris notæ poterat pertinere. Non libenter tamen cum ijs congrediebatur qui ad Regni gubernacula sedebant, quoniam proclive erat hos quidpiam postulare quod ipse neque tutè negare, neque honestè posset concedere. Prudentiæ & integritatis fama Iacobum & Carolum Reges (quidquid de cæteris sentirent) huic fecit semper beneuolos: tantam verò erga omnes seruabat æquitatem, vt fortè Catesbeyus interuenientem hoc lepôre acceperit: " Hic adest *Blondus* quem omnes amant, cùm ipse neminem) Ad Sacerdotis quoduis officium quouis tempore, & quantouis cum discrimine præstandum promptum se præbebat ac sedulum; ad spectandum verò vocatus si quid esset rari aut friuoli, ægrè descendebat, "Etenim si vt Sacerdos, inquit, capiar, non grauatè feram; nolim tamen vt inconsideratus aut stultus) Ea fuit semper Oratorum Regis Catholici pietas & erga Societatem reuerentia vt huius Superiori locus in eorum palatijs nunquam defuerit, in quo vel continenter habitaret, vel quo cùm vellet se reciperet. Oratoris quidam famulus pecuniam Domini sat magnam profuderat; quærebatur ad supplicium; confugientem ad *Blondi* conclaue vi extrahunt; quid faciat *Blondus* grauis iam ætate, & canis, & Prouincialis munere senex? Petit ab Oratore audiri: Admissus, abijcit se confestim in genua, orat, obsecrat, flagitat reo veniam, & tandem impetrat: quid enim tanta caritas cum abiectione tam magna non euinceret? alioquin inuitus miscebat se dominorum cum famulantibus querelis; difficile existimans iudicium in quo iniuriâ cum iustitia contendente, Domini partes tanquam potiores tuendæ plerumque sunt. In victu ac vestitu domestico eximiam colebat paupertatem vilioribus contentus; cum esset prodeundum tali vtebatur

Charitas & humilitas.

cultu

cultu qualis ei agenda esset persona, cauens nè quid insolens indueret quod obuiorum oculos ad se traheret; id quod suis frequenter præcipiebat vsurpandum. Atque his ornatus Prudentiæ, integritatis, temperantiæ, modestiæque virtutibus cùm nostris intra Insulam laborantibus pluribus annis præiuisset exemplo atque auctoritate, dictus à *Mutio* omnium Vice-Prouincialis, animum adiecit vt eo maiori ordine atque incremento res in posterum agerentur quo sub nouo nomine latiùs patebat eius in omnes vtrobique positos potestas. 1619.

HISTORIÆ PROVINCIÆ ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV.

LIBER DECIMVS.

Blondus Missionē ad normā Collegiorū reducit.

NObiles Angli, vt in regione à bellis hostilíque incursione ab immemorabili tempore libera, ruri plerumque habitant; quò & agrorum fructu gaudeant vberiori, & aucupij venationisque exercitationibus fruantur liberius, & inter suos seu municipes seu agricultores fidentius dominentur. Nostri igitur in horum ædibus à se inuicem necessario disiuncti commorantur, vel soli, vel vt multum bini in vna domo: Etenim cinctis vndequaque eorum grege hominum qui & inclinatione sua, & legum præcepto in Catholicorum ruinam incitantur, perdifficile est eum vnà viuendi modum tenere qui inter Catholicos, vel etiam sæpe numero inter Ethnicos vsurpatur, vt domus & forma Collegij habeantur; neque enim cætus agere vel ad horam datur sine ingenti periculo; multo minus ad longinquum tempus cohabitare Religiosos homines quantumuis vestem dissimulent, & intentionem. Itaque nè ij qui domorum Collegiorumque disciplinam adamauere horum omnibus commodis priuarentur, aut habitatione disiuncti mutuo inter se commercio carerent, aut à Superiorum oculis & inspectione abessent longius, prima cura Vice Prouincialis fuit, Insulam totam in certas regiones distribuere, nostrosque eas incolentes assigna-

assignatis moderatoribus tradere gubernandos, vt si quod nasceretur dubium, si quid se offerret difficile, sciret vnusquisque confestim ad quem è propinquo referenda res esset; quæ si tanti foret vt grauiori egeret consilio eam ipse ad Vice-Prouincialem deferret. Eoque præterea hæc regionum Superiorumq; distinctio spectabat vt certius accuratiusque Exercitia annua, Renouationesque votorum, & cetera quæ ad Disciplinam pertinent peragerentur, dum non vni vt olim longe posito ista exigendi cura committerur, sed vicinum haberet vnusquisque Superiorem cui rationem reddere teneretur, & apud quem, vt plurimum, (consuetâ habitatione ad tempus, solitisque negotijs intermissis) diuertebat. Et erant Anno vigesimo in tractu Londinensi nouendecim; in Suffolciensi octo; Octo etiam in Hantonienſi; In Staffordiensi decem; in Lancastrensi duodecim; totidem in Leicestrienſi; in Lincolnienſi sex; septem in Eboracensi; in Northantonienſi vndecim; in Vigornienſi quinque; in Wallia vndecim; In vniuersum per Angliam sparſi Socij centum & nouem; quem numerum æquabant ij qui per Belgium diuersas incolebant vrbes, vt Leodium, vt Louanium, Audomarum, Watenas; hoc discrimine quod in Anglia vix quisquam esset Sacerdotio non initiatus, In Belgio plures ad Sacerdotiũ parabantur, plures ad domestica ministeria alebantur. Crescente deinde numero Sociorum immutata est in aliquibus hæc tractuum dispositio, & Residentiæ in Collegia commutatæ sunt; idem tamen perseuerauit finis fructusque, eoque maior quo propius ad communem Societatis morem cuncta reuocabantur. Ad quem morem Hoc etiam anno inchoata est domus tertiæ Probationis Gandaui, beneficio Illustrissimæ *Annæ Comitissæ de Arondel*, viduæ Philippi Comitis, quem libro quinto diximus capitis damnatum in Arce Londinensi piè sancteque diem obijsse. Hæc *Roberti Sotuelli* Martyris vsa consilijs à captiuitate Mariti mentem Christo seruans liberam, corpusque intactum, totam se tradidit pietatis officijs, qua animabus Sacerdotum operâ, quà corporibus vario opportunoque subsidio succurrendo; non enim sibi aut familiæ suæ quantumuis amplæ fouebat Sacerdotes, sed solatio vicinorum; & multiplici præterea vestium, medicamentorum, pecuniarum largitione recreabat pauperiores, carceribus clausos releuabat, exules solabatur, in se parcior quò alijs liberalius subueniret; Tempus multa à prece sepositum pingendis plerumque acu ad Altaris ornatum vestibus insumebat; quo in genere missus est ad *Mutium* Generalem magnificus apparatus quem Roma miraretur. Etsi autem omnium ordinum Sacerdotes ac Religiosos homines Christiana caritate complectebatur & subleuabat, præcipuo tamen honore colebat Societatem, vt quæ à *VVestono, Sotwello* alijsque magnis in ea viris potissimum fuerit ad Dei cultum erudita, & annis plusquam quadraginta ad exitum vsque informata: Qui honor & reuerentia nè cum morte extingueretur, emptam Gandaui in Flandria domum donauit dotauitque, transferendam cum opportunum fuerit in Angliam, & Caerleoni, ciuitate sua, in

1620.

Domus 3. Probationis Gandaui.

1621. Westmorlandia collocandam, si ita Generali videretur; quemadmodum testantur duobus post annis scriptæ Mutij literæ vigesimonono Nouembris Anno seculi vigesimo secundo.

II. Annum vigesimum primum *Blondus* Vice Prouincialis egit fere integrum in Belgio, ad inspiciendas sibi subiectas domus intentus, séque colligendum. Antequam ex Insula traijceret, Audomari confecta res est quæ ad Sancti Patris *Ignatij* laudem & gloriam, atque eiusdem ad clientes suos iuuandos curam ac prouidentiam commendandam non parum momenti allatura est. Nupserat viro equestris ordinis hæretico filia Pseudo-Antistitis Vigornensis: Hæc suis inuitis fidem complexa Catholicam, quòd ea de causa essent hi permolesti, transfretauit. Non longo post interuallo visa est à malo dæmone obsideri: Indicijs certioribus cùm facta esset per Exorcismos res manifesta (nam quæ latinè legebantur aut præcipiebantur intelligebat, & latinè quandoque, licet illiterata, respondebat, & ignotos compellabat de nomine, & absentia nunciabat, & turgentibus membris vltro citroque sub aspectum oculorum malus genius commeabat) expressa est tandem ista confessio: "Duos insidére fœminam demones, vnum præcipuum cui ab adusta nigra spina nomen, alium quasi subseruientem, qui Terminus vocaretur. Missum esse ex Anglia vt vel reduceret vel necaret; eidem secum naui commissas fuisse literas quæ suaderent reditum. Roganti literarum argumentum, post multam reluctationem duobus verbis responsum est, Amor & diuitiæ. Quid factum de literis? in mari perierunt; quo pacto? Latori, dum eas versat manu, excidérunt, impetrante *Ignatio*, nè ego eis vterer ad suadendum. Rogatus quî intrasset in fœminam? sublato cachinno, Ego, inquit, illam decepi, fingens me esse Angelum lucis. Tertio enim Februarij die, dum quinta matutina è lecto surgeret, obtuli me in alba veste, forma inuenili, & virgâ albâ quam tenebam manu tangens caput hoc modo sum illam allocutus: Compone te rursus ad quietem; longa tibi restat via; Patris tui dies ad finem vergunt, & tu debes illum conuertere antequam moriatur. Illa obdormiuit: & permisit Deus vt illam intrarem, Nihil tamen illi mali feci ante dominicam sequentem, quando sumpta communione statuit non redire: tunc etenim si potuissem voluissem illam occidere.) Longum esset singula percensere quæ vel acta vel dicta toto mense sunt, siue ad extorquendam veritatem siue ad sedendas molestias quas inferebat. Vt intellectum est Sanctum *Ignatium* esse per quem erat impetranda liberatio, quanquam callidus serpens multa de loco, de modo, de tempore ad fallendos astantes simulabat, petitæ sunt ex Collegio Patrum Belgarum reliquiæ Sancti Patris, quas cùm (quibusdam comitantibus) ferret Pater Ioannes Baptista Vendelinus, clamabat in fælix, Iam veniunt; Claudite, claudite ianuas; obserate ne ingrediantur, & mille blasphemias vomebat in Sanctum; & ad circumstantes, Non curo vos; feciſtis quod potuiſtis; mihi peius esse non potest; non discedam;

Blondus in Belgium transmittit.

Dæmon malus eiectus ope S. Ignatij.

Ego

Ego illam discerpam, & occidam; vos omnes decipiam, fatigabo, reddam impatientes; me vleiscar, & similia multa rabido fundebat ore. Quoniam vero dixerat se per omnem quidem vitam debuisse illam insidére at *Ignatium* restrinxisse tempus ad tres & triginta dies, institerunt vt eo ipso die discederet, qui erat à tertio Februarij trigesimus primus: Et quidem ea nocte, dum ministrarentur infirmæ sacri Baptimi ceremoniæ, quibus nondum fuerat initiata, cessauit omnis molestia corporis: circumuolitabat tamen per cubiculum, & eâdem quâ primum specie se obtulit quiescenti; sequentibus vero duobus diebus cum vi exorcismorum compelleretur importunus hospes si quid intulisset in corpus ejicere, per omnes fere corporis partes prosiliere aciculæ curuæ, crines & stramenta varijs nodis implicata & contorta, quæ (præter auditas quasdam surdè & occultè mussitantium voces) suspicionem fecere veneficij, quo adiutus malus dæmon illam ad eum vsque diem vexauerat, liberam deinde atque per reliquum vitæ tempus ab omni solutam molestia. 1621. 1622.

III. Augebatur indies nostrorum numerus, atque anno qui sequitur censebantur Socij sex & triginta supra ducentos. Tria tamen videbantur obstare ne Vice-Prouincia Prouinciæ nomen & decus sortiretur. Difficultas primùm cogendi Patrum cætus, vel eos qui vnoquoque triennio ad Procuratores eligendos indicuntur, vel qui alijs de causis imperari quandoque possunt, siue ad Generalem Præpositum nominandum, siue ad cætera iuxta institutum negotia disponenda. Tum quod nulla essent intra Angliam fundata Collegia, nullæ domus: denique Principum externorum consensus nondum explicatus ad domus cis mare sitas Prouinciæ exteræ inserendas innectendasque. Iste tamen *Blondo* per Comitem de Aniouer agente impetratus est ab Alberto Principe, antequam hic de vita, *Blondus* è Belgio, discederet; fauitque Isabella Clara Eugenia ad quam Prouinciarum gubernacula deuenere. *Blondus* in Insulam redux tentauit aggregare Patres. Quamuis enim *Mutius* cum Assistentibus pronuntiarat ius liquidum Vice-Prouinciæ nullum esset mittendi in vrbem cum potestate suffragij Procuratoris, multa tamen erant quæ collecti in vnum Patres facilius certiusque conferre, atque ad promouendam communem Societatis Disciplinam definire poterant; Tum etiam quicumque ab omnibus simul iunctis eligeretur (licet ad informandum tantummodo) auctoritatis plusculum habiturus videbatur, quam si à solo Vice-Prouinciali mitteretur. Conuenerunt igitur legitimo quadraginta Patrum numero Londini, vsi benignitate Oratoris Christianissimi Regis. Sunt etenim Oratorum palatia Asylum quoddam ad quod confugere, & in quo à vi tutus quiuis esse possit; id quod ius gentium obtinuit; tum etiam turba confluentium ex omni ordine, & artificio, & gradu ad huiusmodi Principum ædes, in quibus publica priuataque tractantur omni hora negotia, valet ad id quod præcipuum est tegendum, quo scilicet fine fiat is hominum concursus; Iuuant deinde vel tenebræ, vel longæ noctes, & seuerum indictum cunctis silentium; Ita vt

Difficultates motæ circa stabiliendam Prouinciã.

1. Congregatio Patrum in Anglia.

1622. nemo nisi ipsâ horâ qua primò conueniendum erat quidquam de loco sciret vbi erat conueniendum; tum verò per fidos hinc inde dispositos nuntios bini vel terni introducebantur, & eodem ferè numero, non turmatim, soluto cætu discedebant; Cumque præcipua & necessaria tres tantum quatuorue dies occupent, si metus sit nè in vulgus emanet diuturnior concursatio, facilè sine præiudicio Instituti dimittitur conuentus; si nullus sit metus, exiguus in populum sermo, prorogatur: quæ securitas à suspicione fecit, vt alijs annis in conductis illustris alicuius viri aut fœminæ ædibus conuenirent, nullo vel non existimando discrimine. Eo in conuentu electus est *Henricus Silisdonius* qui negotia Prouinciæ Romæ promoueret. Et ne obesset domorum Collegiorumve penuria, Tres Residentiæ certis assignatis reditibus exeunte Nouembri Collegiorum sortitæ sunt priuilegia; & Londini quidem domus Probationis Sancto Patri *Ignatio* dicata est; quæ deinde, vbi Angliæ regnum ad sedis Apostolicæ obedientiam redierit, eo regni loco quem Generalis elegerit locari possit, ibique vel Probationis domus manere vel in Collegium mutari, nullo vnquam tempore è regno Angliæ transferendum; Fundatorum prærogatiuis seu titulis ac suffragijs quæ in Constitutionibus decernuntur, ijs integrè reseruatis qui fundationem ita auxerint vt ea mereri iudicentur. Quibus fere conditionibus Collegium erectum est in Wallia sub Patrocinio Sancti *Xauerij*, & aliud in tractu Staffordiensi, seu Lancastrensi à Beato *Aloysio* nuncupatum. Quæ domus (vt nunc sunt tempora) non certis ædificijs, sed Personis, annuâ attributâ pecuniâ constare intelligendæ sunt, quæ à Rectore administrata cedat in vsus eorum qui illi commissi sunt Sociorum; quanquam & alicubi possessiones & domus & agri habeantur obnoxij.

Tres Residentiæ in Collegia commutatæ.

Ex solemnitate beatificationis SS. Ignatij & Xauerij quis fructus.

IV. Tractabat hoc tempore Iacobus Rex Angliæ connubium Caroli Principis cum Catholici Regis sorore quæ deinde Ferdinando tertio Imperatori felicius nupsit. Ea occasione mitius aliquamdiu actum est cum Catholicis, & quadringenti numerati sunt eo anno ab hæresi ad Catholicam traducti. Licuit etiam Beatos *Ignatium* & *Xauerium* in Beatorum album recenter adscriptos solemni apparatu quibusdam in locis non sine musico concentu celebrare; Qua ex ceremonia alteri rei familiaris, alteri spiritualis obuenit vtilitas. Illi lis fuerat cum homine hæretico permolesta & diuturna, & in qua varijs deuoratis iniurijs, reque domestica non leuiter accisa nullum explicando negotio exitum reperiebat: Aduocauit suæ causæ seu Patronos, seu Arbitros Sanctos *Ignatium* & *Xauerium*, & quo die ea agebatur celebritas rem illis vnà cum cæteris domesticis commendauit euentu secundissimo; Etenim eo ipso vertente die Hæreticus aduersarius longiusculo confecto itinere aduolat, postulat decidi litem; facta est compositio & concordia conditionibus Catholico percommodis.

Alter in grauissimorum scelerum sordibus obsoleuerat, & aberat proximè à malorum vltimo desperatione: sacram Exhomologesim sæpius sed sacrilegè

crilegè vsurparat, inde mortem accersens vnde erat haurienda vita: Intererat celebritati Sanctorum: Horum dum nouum sibi patrocinium implorat, veterum peccatorum subeunte memoria & horrore, spes simul veniæ ijs adiuuantibus affulsit, quâ fretus, subacto pudore noxio, ad Sacerdotis pedes vberi cum fletu grauem peccatorum sarcinam deposuit; acceptam Sanctis referens gratiam, & Dei in se benignitatem memori mente deprædicans. Atque vt sunt mille ad deuiandum viæ, non sanè pauciores sunt Deo rationes & modi quibus quos seruare decreuit attrahit, & non parum admirandi. 1622.

Alia diuinę misericordię exempla.

Vixerat quidam annos fere triginta Lutheranæ hæresi deditus quàm à parentibus hauserat, neque de Catholicorum decretis quidquam inaudierat; vrgebatur interea frequentibus stimulis vt Religionem sua saniorem rationiq; congruentiorem inuestigaret; qua in cura à Luthero ad Caluini dogmata tanquam è fumo in flammam migrauit: At hîc acrioribus punctus aculeis, perque annos viginti in densa caligine impingens lapsansque, nullum quietis partem reperiebat. Vno paulò amplius anno ante obitum dum multâ nocte domum repetit, labitur in altum cænosumque puteum, à vicinia tam dissitum vt spes omnis auxilij excluſa videretur: itaque cæno immersus, quod reliquum erat, intenta voce precabatur Deum vti non sineret ex eo puteo in tetriorem inferni agi præcipitem: exciti clamore occurrunt oppidani aliquot, portenti loco habent vocem humanam è loco tam disiuncto audiri potuisse; hominem funibus extractum deducunt domum: nihilo secius in Caluinismo is perstitit posthabitâ Catholicâ Religione ad quam aliquot iam annis senserat se diuinitus impelli. Anno altero rursus de nocte reuertens, fallente vestigio impingit in transuersam arborẽ, grauiterque collisus de vita periclitatur: Id saluti sempiternæ fuit; adit illum ex nostris vnus tam cupidus tribuendi quam alter accipiendi auxilij; neque fuit difficile anhelantem iam ad Catholica instituta, & de erroribus pristinis dedocere, & consuetis Sacramentis ad constantiam munire, quibus refectus læto animo atque ad spem immortalitatis erecto migrauit è vita.

Alteri aliquot iam annis suorum conscientiam delictorum assiduam monitricem vix toleranti, ægro corpore curisque dum noctem ducit insomnem, apparet Sacerdos recens vitâ functus, quicum vsus olim ac familiaritas fuerat, eo habitu amictuque quo viuus incesserat, astansque decumbentis lecto hortatur ad pœnitentiam, & è conspectu se aufert: Tam magnum tamen illi malus dæmon ingessit sacræ Confessionis horrorem vt volens ac prudens biennio toto abstineret. Tum dormienti rursum Sacerdos se offert; experrectum grauiter increpat quod surdas monenti aures præbuisset, atque æternæ mortis metum inijciens nisi dicto sit audiens hominis animum emollit; perculsus seuera denuntiatione adit Sacerdotem nostrum, & omnes præteritæ vitæ noxas haud dubijs veri doloris argumentis abstergit.

Catholicus alter moriens vxori hæreticæ seuerè mandauerat vt ocyus hæresin eiuraret si salua esse vellet: Promisit illa quidem, at aliam ex alia nectebat

1622. moram, fallenti similior quàm promissum exsoluturæ. Inter ea singulis noctibus inde à mariti obitu in eo cubiculo vbi decesserat frequens audiebatur pulsus parietum magno cum domesticorum terrore, mulieris præsertim, quæ hoc veluti signo commoneri se non dubitabat vt promissi fidem solueret; quam vt seruare decreuit, atque accito Sacerdote nostro se expiasset, ac Sacrosanctâ muniuisset Eucharistiâ, tota illa nocturna molestia conquieuit.

His adnumerandus venit Sacerdos Apostata qui annis plus viginti sacræ dignitatis oblitus fidei hostibus operam nauarat Sacerdotibus quos nouerat prodendis, Catholicis per omnes fere Angliæ Prouincias expilandis: Accedebat sacrilegi connubij (quod huiusmodi hominibus solemne est) cum bonorum omnium offensione publica infamia; quibus in flagitiorum sordibus impunè vagantem Dei miseratio non deseruit; nam scelerum conscientiæ, quâ non infrequenter stimulabatur, corporis afflictionem addens, propter flagitia coniectum ab ipsis hæreticis in custodiam, morbo grauissimo prostrauit: Hinc aucto præteritæ vitæ horrore ex vicinitate futuri, si non resipisceret, æterni supplicij, quantumuis Catholicorum iuxta atque hæreticorum odio laborantem, Sacerdos noster aggreditur, & sacra exhomologesi volentem expiat; tum morbo simul & carcere solutum piorum collectis elemosynis animat ad fugam ex Anglia capessendam: Ille rectâ Louanium profectus, eo in Collegio pijs exercitationibus dies aliquot fructu non pœnitendo insumpsit, ac publicè deinde hæresim vitamque veterem detestans, auctoritate Apostolici Nuntij ab Ecclesiasticis execrationibus censurisque absolutus est, & sacramentis (necdum tamen sacris nisi aliquot post annos) restitutus.

Patrum ex Gardensi domo labores.

V. In Gandensi domo vix iusto numero conuenerant Patres ad tertium Probationis annum aut picandum, cùm latus apertus est campus siue ad patientiam vniuscuiusque exercendam, atque exerendam industriam, siue ad vitam propriam alienæ salutis causâ periculo offerendam. Soluta obsidione Bergensi atque exercitu Catholico Hyberna petente, Illustrissimus Baro Vauxius de fide Orthodoxa publicè meritus, qui non ita pridem ex Anglia cum militum manu venerat in Castra Catholici Regis, iussus est hyemandi causa in vicina Gaudauo loca cum suis concedere, copijs tribus in oppidis, Teneramonda, Alosto, & Gerardi-montibus ita distributis vt fermè quingegi in singulis milites consederint, magnam partem hæretici prout exierant Anglia, exceptis Centurioribus signiferisque Catholicis. Et Teneramondæ quidem duo è Societate, qui Baronem ex Anglia fuerant secuti intereius loci cohortes strenuam ponebant operam. Alostum duo euocati Gandauo, cum multos reperissent contagioso morbo extinctos, plures in Nosocomijs extabescentes, prouidêre primo nè corporibus quidquam deesset ad medelam; inde gradu facto ad animas sanandas, ex quadraginta, quos deinceps mors abstulit, nemo vnus nisi Catholicis munitus Sacramentis decessit, inter valentes nihilo segnius opera collocatâ, vt centum circiter ex hæreticis

reticis ad sinum Ecclesiæ aggregarentur. Ad Gerardimontes alij duo profecti prouinciam habuere haud paulo grauiorem, quoniam erant interuersis stipendijs exulcerati militum animi placandi, & languentiũ penuriâ victus corpora recreanda, & refugientibus Parochis, Sacramenta in locis disiunctissimis administranda: Collecti tamen sunt in Christi gregem ex deuiantibus viginti, & sperari potuisset fructus isthic & Teneramundæ vberior, nisi operarios ipsos penè omnes morbi lues occupasset; vnum etiam sustulisset, *Edwardum Dauisonum*, in Anglicana missione sexdecim annos versatum, atque propter opinionem doctrinæ, concionandi facultatem, morum comitatem illustribus viris peracceptum; qui ad carcerum & exilij perpessionem labores hos adiungens, & ingrauescente ægritudine, dum Louanium tenderet, in Bruxellensi Collegio magna charitate habitus, ad meritorum præmia demigrauit. 1621. Edwardus Dauisonus morbo correptus moritur.

Sustulit etiam hic annus ex Leodiensi Tyronum domo *Ioannem Shellæum*. Hic à parentibus puer transmissus in Belgium, & in Duacena Academia Philosophiæ Magisterio insignitus honestum deinde Matrimonium amplexus est: liberos susceptos tam piè educauerat, vt filij omnes Sacerdotalem, duo etiam Religiosam in nostra Societate vitam susceperint, filiæ duæ in virginum cœnobia sint cooptatæ. Ipse tamen sæuiente in Catholicos Elizabethâ, post non modicam fortunarum iacturam veritus nè cuncta pessum irent, concessit aliquantulum tempori, atque hæreticorum conciliabulis interesse sustinuit: Assiduis hac de causa conscientiæ stimulis toto triennio agitatus, cùm diuturnâ inediâ, vigilijs, & multiplici corporis maceratione mentis tranquillitatem redimere frustra niteretur, cæpit ad Sanctæ sinum Ecclesiæ, vnde lapsus, anxiè respectare, moxque præsentius è cœlo numen expertus est. In prato amænissimo inambulanti, & multa secum reputanti sollicitè, oboritur repente sulphureus fœtor teterrimus, hominemque ad rei nouitatem attonitum circumfundit: circumspicit omnia, neque vnde ea fœditas illo loci existeret agnoscere potuit. Estque ei diuinitus, vti inter pretabatur, iniecta cogitatio fœtorem illum prælagire apud Inferos tetriorem nisi hæreticorum cœtibus nuncium mittens Catholicæ se reconciliaret. Itaque distracto patrimonio migrauit in Gallias, egitque Christiano homine dignam vitam, donec coniuge viduus, in nostram Societatem (quo duos præmiserat filios) optauit adscribi: Poterat Sacerdotio (& suadebant aliqui) initiari; verùm id ille consilij nè ad aures quidem nisi cum rubore admisit, indignum se tanto honore dictitans, & summi beneficij loco habiturum si in abiectis rei domesticæ Ministerijs deseruire permitteretur Societatis sacerdotibus; & faciebat promptissimè, non erga illos solũ, sed erga omnes obsequẽtissimus; querebaturque assiduè non tam abiecisse se mundum, quàm satietate quadam atque fastidio reliquisse; felices illos prædicans qui à prima ætate animas illibatas Deo consecrarunt, se vix in extrema senectute animam peccatis, corpus onustum annis ad Religionem attulisse; quare si pro meritis tractaretur Et Ioannes Shellæus Leodij.

1623. oportere se infra omnes abijci; & nullo loco reputari: Sed alia est de humilibus Dei cogitatio.

Vice-Prouencia in Prouinciã erecta.

VI. Tertium iam annum Societas Anglicana sub Vice-Prouinciæ nomine militarat, cum *Mutius* Generalis eandem in Prouinciam erexit, his ad *Blondum* Româ datis literis. "Cum Dei benignitate numerus subditorum ad Vice-Prouinciam Anglicanam pertinentium ita auctus sit, & inter hos tam multi sint Patres Professi, qui vti virtute & doctrina alijs non concedunt, ita etiam numero plures Prouincias exequant, iamque tandem præter domicilia in Belgio stabilita, alia etiam in ipso Angliæ regno sint instituta, spesque sit alia quoque deinceps instituenda, visum tandem fuit, expensis rationibus nomine Congregationis nuper isthic factæ mihi propositis, satisfacere iusto desiderio optimorum Patrum quorum in tantis periculis tantum est in Dei gloria, & proximorum salute quærenda studium, & portionem illam Societatis, quæ huc vsque Vice-Prouinciæ nomine censa est iustam Prouinciam constituere, eique V. R. Præpositum Prouincialem præficere, vti facio literis Patentibus, quas vnà cum hisce eidem tradendas spero. Diuina Prouidentia faciat vt cum hoc nominis incremento in omnibus studium propriæ salutis & proximorum ita augeatur, vt fructus quos hucusque Socij copiosissimos in Vice-Prouincia collegerunt, longe adhuc copiosiores in posterum colligant. Ad quod cùm plurimum R. V. caritatem & prudentiam conferre posse sciam precor benignissimum *Iesum*, vt studia conatusque eius omnes, vberioris gratiæ suæ præsidijs prosequi dignetur: &c. Romæ vigesimo primo Ianuarij 1623.

Et certè tum nouo huius splendore nominis excitatis Patribus, tum per Hispanici coniugij continuatam tractationem metu persecutionis facto leuiori, & Sociorum numerus ad quadraginta octo supra ducentos excreuerat, & ereptorum ex hæresi ad duo millia sexcentos: quin & nostrorum exercitia fuere liberiora: nam in domo Probationis Sancti *Ignatij* (quæ Londini fuerat anno altero proposita) Tyrones Sacerdotes septendecim Societatis rudimentis instituebantur, & in Collegio Beati *Aloysij* sæpius conuenire licuit, & omnia ad Collegiorum normam exigere, tempora, cubilia, mensam, & dominicis festisque diebus magno vicinorum concursu perorare. In reliqua verò Insula non segniter nostrorum cæteri in opus incubuere, & fructus tulere quos diuina miseratio conatibus semper anterior, vberes submini-strat.

Tyrones 17. in domo S. Ignatij Londini.

Fructus caritatis in pauperes.

In pauperes quidam naturâ atque in miseros benignus, omnem præterea humanitatem videbatur exuisse vitijs immersus; quem cum multi ab annis sat multis retrahere conati fuissent, id is opere ipso ostendebat, quod ore quandoque proferre non verebatur, se neque Deum credere, neque metuere dæmonem: Spes igitur hoc monstrum hominis ad mentem reuocandi quæ esse potuit? qui cùm maximè vrgeretur ratione, magna animi vocisque cõtentione clamabat, neque ieiunare, neque orare, neque omnino dolere se posse.

posse. Recolere saltem potes (inquit noster) & recitare quæ quotidie peccas: 1623.
istud fac, reliqua committe Deo & mihi; si quid Deus tibi interim bonæ mē-
tis iniecerit, nè contemne: Narranti quæ peccauerat tantus repente dolor ob-
uênit vt in lachrymas solueretur; neq; illi oratio in posterum neque ieiunium
graue fuit: Cumque ab antiquo tempore fuissent illi cum Nouerca suisque ex
illa fratribus veteres simultates, vt nec in conspectum venire sustineret, & ob
efferuescentem ex re leuissima iracundiam, cæterosque effrænes animi mo-
tus dissidia plurima litesque contraxisset, his missis inimicitiam omnem de-
posuit, pacem cunctis obstupentibus colit & concordiam; id quod si pauper-
um orphanorumque quos alebat causâ à Deo concessum quis dixerit, non
malè (mea quidem sententiâ) fuerit ominatus. Huic igitur ad vitam ex
ritu Christiano degendam apertus est aditus; alteri ad æternam. Vir in ea re- Somnium salutare.
gione quæ ad Collegium Sancti *Xauerij* pertinet, honesto loco natus cum
vxore & filia, multa à pseudo verbi-præcone & vicinis hæreticis ob fidem
orthodoxam passus, iacebat insomnis, per noctis silentium secum reputans
qua ratione acerbitatem persecutionis declinaret: Vxor à latere somnians,
"Heus, inquit, bone vir, breui mihi ex hac vita migrandum est; hoc vnum
rogo atque obtestor, vt post obitum meum filiæ curam geras, collocesque
vbi piè, & Catholicè viuat; Tu bona tua fidei alicuius committe, vt fidem
veram Religionemque facilius tuearis) obstupuit ad hæc vir; neque enim in
somnis loquentem antea audierat. Manè rogat quid somnij habuisset; illa ea-
dem recitat quæ somniarat." Et aliud, inquit, est quod à te vigilante nunc o-
ratum velim, vti propediem iter ad vicinum Mæcenatem nostrum carpamus
capturi de rebus nostris consilium.) Non longè aberant domo, quando fæ-
minam capitis & pectoris tantus dolor occupauit vt quod reliquum erat
viæ difficulter superarit & ingrauescente repēte morbo delata ad cubile ea ipsâ
nocte animam Deo pie placideque reddiderit, gratias illi agens immensas de
Prouidentia tam singulari quâ mori datum esset inter Catholicos, & vbi per
Sacramenta subsidium animæ erat in promptu.

VII. Quinque etiam ex nostris vitam cum morte commuta- Duo ex nostris casu domus oppressi.
runt, & si maleuolorum spectes sermones, tristis fuit duorum exitus, si rem
ipsam, glorioſus; quid enim Christiano militi magis glorioſum quam Chri-
sti præcepta & laudes enarrantem occumbere? *Robertus Druræus* (dictus
Bedfordus) humaniorum literarum studijs Audomari absolutis, Romæ
Philosophiam, in Polonia Theologiam audierat; Isthic etiam Rhetores
& Philosophos expoſuerat; Reuocatus in Belgium, in studiorum Præfectura
Audomari, & concionandi munere, in Theologia etiam tradenda Louā-
nij magnam sibi pepererat laudem, maiorem grauitate morum & con-
stantiâ, tum etiam suauitate & prudentiâ singulari; quæ cùm plurimum
momenti viderentur habitura ad multarum salutem animarum, si in ea
quâ tunc temporis gaudebat Anglia tranquillitate explicarentur, missus

1623. in Insulam non diu superfuit: Etenim dum Londini in celeberrima tre-
1624. centorum circiter hominum concione, quæ in suprema domus contig-
natione conuenerat, perorat, vitio cariosæ atque infirmæ trabis solutâ
compagine, perruptoque mole ruentium tabularum & hominum al-
tero ad imum vsque tabulato, lignorum ruderumque & præcipuè cor-
porum se comprimentium ruinâ oppressus, aut pulueris copia suffocatus
extinguitur: Perierunt ex Auditoribus prope octoginta: In his noster etiam
Guilielmus VVhittinghamius, vir ab infantia innocentissimæ vitæ, moribus
placidissimis, & ab omni grauiore perturbatione alienis; quibus non me-
diocri cum doctrina coniunctis multam frugem fecerat, præsertim cum
Noui (vt vocant) Carceris angustijs pluribus annis teneretur *Ioanni Perceyo*
socius: hoc anno currente numerauerat centum & quinquaginta sua opera
ad fidem aggregatos; præcipuè vero eius virtus in pueris pauperibus erudien-
dis elucebat, vt vulgò Sacerdos pauperum audiret: In area domus quæ
concidit, & quę eo tempore ad Oratorem Christianissimi Regis perti-
nebat, apertâ sepulturâ plerique sunt conditi consuetâ Catholicis ceremo-
niâ. Ereptos è ruina hæretici non maledictis modò sed & luto & lapide per
plateas excipiebant humanitatis obliti, augurabanturq́, cladem hanc dam-
nantis fidem nostram Dei indicium esse manifestum: solabantur se interim
Catholici certâ spe salutis felicitatisque defunctorum, quorum pleroſque
constabat eo ipso die sacrâ exhomologesi expiatos, refectoſque fuisse Sacra-
tissimâ Eucharistiâ; Et dolori leuando accessit trium Catholici Regis Ora-
torum pietas qui erecto cænotaphio, & concione funebri, & largâ eleemosy-
nâ parentatunt; valuit denique ad abstergendas lachrymas atque aduersan-
tium diluendas calumnias eruditus à *Ioanne Floydo* editus libellus (quem
verbum consolationis inscripsit) ostendens casus huiusmodi non iræ semper
aut vindictæ, sed gratiæ frequenter & fauoris esse indicia; Præsagire tamen
deinde apud complures visus est iste futuras calamitates, atque spei illius rui-
nam quam ex Matrimonio Caroli Principis cum filia Hispaniæ hauserant
Catholici: Etenim posteaquam de his nuptijs agi desitum est erupit tempe-
Renouata in Anglia persecutio stas eo acerbior quò fuerat alter annus intermissa persecutione iucundior;
iussiq́ue sunt Iudices veteres omnes leges, præterquam quibus capitis pœna
sancitur, seuerè exigere: Ad Comitia etiam vocati regni Ordines nihil po-
tius habuere quam vt nouas ferrent, ac regiam præterea potestatem cohibe-
rent ne pro arbitrio indulgeret. Indictum quoque est ad certum diem exili-
um Sacerdotibus omnibus sub pœna capitis: Hinc magna vbique conster-
natio; in qua etsi non defuerint qui fortunas libertatemque suam habuerint
Christi fide ac Religione cariores, multo tamen plures fuere quorum con-
stantiam nulla possessionum direptio, nullus carcerum metus potuit infrin-
gere: Vigilandum itaque in omnem partem fuit, seduloque laborandum:
Et quoniam experientia compertum est neminem euadere constantiorem
quam qui maiores faceret in pietate progressus, orationis & Sacramentorum

fre-

frequens vsurpatio plurimum est & cum fructu commendata; quamuis enim nemo siue ingenti discrimine aut Sacrosancto Sacrificio interesse aut Sacramentis participare queat, ipsum tamen discrimen (quæ Dei est benignitas) addere videbatur animos vt nemo libenter ad diuturnum tempus abstineret, Sacerdotesque vel adiret ipse, vel domo quantouis cum periculo reciperet. In tenuiores præsertim sæuitum est bonis diteptis, pluribus etiam indictâ causâ in vincula coniectis: anteuertebant enim Iudicum sententiam nequissimi apparitores, & auaritia odioque stimulante pœnarum lege constitutarum acerbitatem suis direptionibus superabant, dum pro omni causa satis superque erat abfuisse vel vno dominico die à cœtibus hæreticorum. Opulentiores ac genere illustriores prætensæ fidelitatis Iureiurando irretiebãtur: Cui malo haud facile vbique occurri potuit, quandoquidem si cederent, fidem Principi Pastorũ debitam fallebant; si recusarent, fortunarum ac familiæ ruina, egestas, carcer imminebat. Qua in re Nobis eo impensius ex aduerso pugnandum fuit, quo non defuere ex doctorum hominum numero qui id iurari aut licite posse, aut etiam debere, verbo scriptoque defenderent. Nusquam enim non sunt quos aut metus incommodorum infringat, aut amicitia falsa adulatioque corrumpat, aut nimia de se deque sua doctrina existimatio eleuet vt collidat. Nota res est & in orbem Christianum peruulgata variarum nationum & doctissimorum hominum commentationibus vt longiori narratione Lectorem detinere superfluum sit. 1625.

VIII. Opportunè his malis vt occurreret Sanctissimus Dominus noster Vrbanus Octauus ad clauum Ecclesiæ eo tempore residens, & prouidâ sapientiâ filijs consulens hæc ad Catholicos scripsit, confirmaturus vacillantes, fortes ad constantiam adhortaturus.

Vrbanus Papa Octauus

Dilectis Filijs Catholicis Angliæ.

Breue Vrbani de persecutione.

Dilecti Filij Salutem & Apostolicam Benedictionem. Non semper terrena fælicitas est beneficium Cœli, & patrimonium Pietatis. Pacem enim peccatorum videns Ecclesia non raro experta est potentiam mortalium esse stipendium sceleris; Quare catenas Martyrum anteferimus coronis triumphantium; & Rex sempiternus Principatum Cœlestem pollicetur non ijs qui superbo pede iura proterunt, sed qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Veritatem hanc è thesauris Diuinitatis delatam in terras contemplans Apostolus, non modò animum non despondebat sed superabundabat gaudio in omni tribulatione fidelium: Qui enim digni habentur pro nomine *Iesu* contumeliam pati ij tesseram diuini amoris videntur possidere, & eo pretio abundant quo sunt venalia diademata æternitatis. Mallemus equidem (humanæ imbecillitatis memores) gloriam & diuitias esse in

1625. tabernaculis iustorum; Attamen cum vestras miserias contemplamur, dilecti filij, tantum vestræ fidei & Christo propugnanti fidimus, vt nobis audeamus gratulari segetem triumphorum. Sperauit quidem Ecclesia fore vt potentissimi Regis animus, qui è Catholica coniuge procreare optauit hæredes patris regnis imperaturos, delinitus suspirijs vxoris pateretur regalis connubij dotem esse libertatem fidei: Nunc autem formidantur vota & consilia inimicorum vestrorum, & cum Religio Orthodoxa Regali Diademate in optima coniuge coronatur, isthic tamen non desunt qui filijs nostris audeant carcerem & supplicia minitari. Credimus esse inter vos qui mortificationem *Iesu* Christi proprio in corpore circumferre cupiunt, & blanditias voluptatis, atque ambitionis titulos posthabeant lanienæ carnificum & vinculorum contumelijs; si qui tamen isthic sunt quos præsentis etiam prosperitatis desiderium teneat, eos certiores fieri cupimus de eorum salute mirificè solicitam esse Pontificiam caritatem. Nullum à nobis relinquitur officium, quod minacem ingruentis tempestatis caliginem possit in optatam consolationis auram conuertere. Tamen si dilatet Infernus os suum, & Martyrum sanguinem sitiat impacata crudelitas, armari debetis scuto inexpugnabili bonæ voluntatis, & Cœlum in carcere, coronam in equuleo, immortalitatem in morte cogitare. Inter Britânicos naufragantis Ecclesiæ scopulos Crux Christi fuit tabula quæ vos perduxit in portum voluptatis vestræ: hanc opus est amplexari in præsentia cuius virtute dulcis fiat amarities pœnarum. Cogitate, dilecti filij, in qua statione commoremini, & quorum oculis facti sitis Spectaculum: vos Angelicæ Legiones circumuolitant qui phialis aureis desideria fidelium accipiunt, & ad Sanctuarium ferunt, misericordia Omnipotentis patefactis Cœli foribus: Spectator idem & remunerator Christus vobis sacros ciuium vestrorum triumphos ostendit, quos Anglia proprio sanguine purpuratos intulit Cœlitum concilijs: Anxiæ preces suspirantis Ecclesiæ vobis á Deo petunt spiritum caritatis & fortitudinis: Vestram salutem curant consilia Senatus Apostolici & vota Christianitatis. In tanto Cœli terrarumq; Theatro quem vobis conscientiæ vigorem, quam animi triumphantis sublimitatem esse decet? fuerunt in consimili discrimine consilia maiorum vestrorum, lumina Spiritus Sancti, & arma lucis: sint vobis vestra, oracula sapientiæ, sint vestræ actiones exempla fortitudinis. Quod si eò vsque vis progrediatur vt vos ad noxium illud & illicitum Anglicanæ fidelitatis iuramentum adigat, mementote orationem vestram ab vniuerso Angelorum spectantium consessu audiri, & adhæreat lingua vestra faucibus vestris priusquam auctoritatem Beati Petri ea Iurisiurandi formulâ imminutum eatis. Non enim ibi id solum agitur vt fides Regi seruetur, sed vt sacrum vniuersæ Ecclesiæ Sceptrum eripiatur Vicarijs Dei omnipotentis. Quod fælicis recordationis Paulus Quintus Prædecessor noster in tam graui deliberatione decreuit id omnino tanquam edictum veritatis seruare debetis. Dilecti Filij, tributum hoc Principi Apostolorum debitum nullæ hominum minæ aut blanditiæ vnquam à vobis extor-

queant: Qui secus suadent ij visionem mendacem & diuinationem fraudulentam prophetant vobis: citius enim viro Christiáno potentium gladius vitam eripere debet quam fidem. Quod si Angelus etiam de Cœlo descendens vos aliter quam veritas Apostolica doceat, Anathema sit. Nos interea Patrem luminum orabimus ne excæcari patiatur cor Anglicani Regis, qui certè discere debebit quanta in ijs quæ polliceri potestis fides habenda sit Catholicis Anglis, qui ne se periurijs alligent malunt spiritum emittere quam vocem. Vt autem virtus vestra inueniatur pretiosior auro quod igne probatur docete regnum istud, tantam non inesse vim hostium sæuitiæ vt in cordibus vestris possit æternum caritatis ignem extinguere. Orate pro persequentibus vos; humilitas, patientia, concordia, ieiunium, oratio arma sunt quæ in ista dimicatione debetis distringere vt palmæ Cælestium triumphorum floreant in manibus vestris. Cum enim ipsius Christi carnifices vetitus sit Beatus Petrus gladio vulnerare, hortamur vos, (Præsens Ecclesiæ bonum præ oculis habentes) vt cogitetis in terra cogitationes pacis, & Regi, etiam dum mortalem vitam adimit, æternam vitam exoptetis. Ita belligerare fas est milites Christi sub vexillo Crucis. Confundantur ora loquentium iniqua cùm odisse metuatis qui vos excruciant. Cæterum Dominus qui potest tristitiam vestram in gaudium conuertere, erit à dextris vestris ne commoueamini, & illius testamenti nunquam obliuiscetur quo hæreditatem Regni Cælestis imitatoribus suis legauit. Complectimur vos Apostolicæ Caritatis brachijs, dilecti filij, quibus paternum patrocinium pollicemur, & benedictionem nostram peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris: die trigesimo Maij Anno 1626. Pontificatus nostri anno tertio. Hæc Vrbanus ad solatium & instructionem afflictorum. 1625.

IX. Accessit verò hoc etiam tempore atrox lues, quæ cùm magna vbique facta strage se longe lateque per insulam diffunderet, impediri necesse fuit nostrarum cursum rerum ipsa excurrendi intercluſa facultate: In Ecclesiæ tamen gremium repositi sunt trecenti septuaginta nouem, quos spes erat eo futuros constantiores quo maioribus animis difficillimo tempore fortunarum discrimen amplexi sunt. Pestilentia etiam laborantes adiuti tum corrogata pecunia ad corporum incommoda leuanda, tum impigra opera ad morbi grauitatem vel leuius ferendam, vel religiosius in morte subeundam. Varia autem his annis accidêre quæ diuini iudicij in quosdam seueritatem, in alios pientissimam miserationem, in Sanctos gloriæ accumulationem ostenderunt. Nam piæ & religiosæ Leodij fœminæ cùm sub imo pectore vlcus accreuisset acerbissimo cum dolore, & cibi appetentia non satiabili, medicorũ multorum frustra arte tentatâ, ingraueſcebat malum: At sacris Sancti Ignatij reliquijs admotis confestim detumuit vulnus, & remittente dolore, paucas illa intra horas sanata est.

Lues etiam atrox propagata.

Varia diç misericordiæ et iudicij exempla.

Sancti Ignatij ope sanata mulier.

Profuit alteri in tractu Lancastrensi, nostrorum recenter vso consuetudine, liber

Et vir illiteratus.

1625. ne liber quem (cùm esset ipse illiteratus) legendum sibi curauerat de Sancti Patris vita. Accidit enim vt ex morbo repentino plurimum funderet è naribus sanguinem cui sistendo nullum reperiebatur sat validum medicamen; Anceps quid euenire posset, postulat tradi sibi librum; eo capiti imposito sine mora sanguis fluere desijt; id cùm altero etiam die expertus esset, deinceps aufferri à latere noluit donec penitus sanaretur. His corporis, alteri animæ salus constitit incorrupta; Etenim coram & per literas sæpius ab hæretico amatore solicitata, & quid actura esset incerta, quanquam in mentem venerat Sacerdoti vt rem aperiret, cessit tamen verecundiæ vt taceret: id sæpius factum non paruo vacillantis animæ periculo; sed Deus qui diues est in misericordia, modo non in multis vsitato imbecillitati fæmineæ consulere dignatus est; dum Sacerdotem alijs de rebus alloquitur, & differt id eloqui quod in primis proferre debuerat; è theca (quam ex collo gestabat Agno cereo instructam) sonus defertur ad aures quasi campanulæ, qui sonus cùm à Sacerdote non audiretur, mulierem eò magis fecit attentam, & moneri se sensit officij; reticuit tamen quod erat explicandum. Rursus postridie eodem excitata sono aduocat Sacerdotem; rem vti erat narrat; eius vsa consilio aliquantulum conquieuit: Acceptas deinde nouas lenociniorũ literas dum imprudenter perlegit ac parat responsum, tertiò absterret admonitor sonus; neque omnino desijt per interualla monere, donec repetitis à prima ætate actionibus omnibus & cogitatis animam ab omni anteriori macula puram reddidisset: Et beata quam misericors Deus continuata pulsatione edomuit, non enim omnibus ea sors obtingit.

Altera tinnitu thecæ reliquiarię

In tractu Vigornienſi magni nominis Minister morti proximus propendere videbatur in Catholicam: nam scriptum quoddam à nostro Sacerdote ante menses aliquot acceptum manu tenens sodalem astãtem ita est allocutus; " Hæc Iesuitæ cuiuspiam est scriptio; vtinam sua Majestas eum peruoluisset, vt huiusce modi de Religione quæstionibus finis tandem aliquis imponeretur, & non tam grauiter torquerentur hominum Conscientiæ, mentibus in tam varias tamque discrepantes sententias distractis.) Quo vero morti erat vicinior eò libentius Catholicæ fœminæ famulitio vtebatur, audiebatq; consilia: At fama titubantis animi ad aures Pseudo Episcopi delata ab omnis auxilij spe excluſum, in occultæ pœnitentiæ incertitudine expirantẽ oppressit; In eoque imprudentiorem quod nescire non potuerit, nequaquã ad Reges, sed ad Regis Regum in spiritualibus Vicariũ huiusmodi decreta pertinere.

Occulti dei Iudicij exempla.

Alius etiam frequenter proponens, frequenterq; à Sacerdote admonitus de periculo procrastinationis, tamdiu notum distulit animæ remediũ donec lethali correptus morbo dum accersitum præstolatur Sacerdotem emoritur.

In agro quoque Nortfolciensi vir auctoritatis inter suos præcipuæ de Religione quidem sentiebat optimè, at nullis siue vxoris lectissimæ fœminæ precibus, siue amicorum exemplis aut adhortationibus, adduci potuit, vt ante vltimam senectutem, prostratamque corporis valetudinem animæ saluti prospi-

prospiceret abiectâ fortunarum nimia curâ, & abrupto commercio illicito Hæreticorum; morbus illum occupat extremus; Sacerdotẽ aduocatum humanissimè excipit; multa sub vesperam de Religione pertractant; ingeminat Sacerdos Confessionem; periculum explicat dilationis; sed surdo canit, dum vitam in crastinum sperat: Is vero qui multoties crastinum concesserat Deus, nunc cum maximè fuerat necessarium, Crastinum eripuit; dum enim de sella se componit ad lectum, repente prolabitur & expirat. Paria & alijs annis & aljbi frequentissima acciderunt, sed neque omnia commemoranda sunt, neque similia semper: Quoniam vero huiusmodi seueritate parcè vtitur Deus si eam cum misericordi longanimitate conferas, & expectat plerumque renitentes patienter, hæc ipsa frequentius quam optandum esset eueniunt, æterno extrahentium tempus præiudicio, exiguo viuentium suâ ipsorum culpâ emolumento. 1626.

IX Fuit & altera sub idem tempus in Insula perturbatio, quæ grauius animis Catholicorum quam fortunis incubuit, quanquam & has in discrimen adduci necesse erat. *Richardus Smithæus* (dictus Chalcedonensis Episcopus, instructus à sede Apostolica facultatibus Ordinariorum, harum vi potestatem omnem ordinariam per Angliam arrogabat: cumque ad speciem constituendæ Hierarchiæ cuiusdam Ecclesiasticæ nominasset Archidiaconos, & Decanos rurales, & ad similia officia alios, ad se reuocare instituit vltimas defunctorum voluntates examinandas probandasque; tum Regularium potestatem ab eadem Apostolica sede acceptam conabatur infringere, dubitationem inijciendo an valerent Confessiones factæ ijs qui ab ipso nominatim Chalcedonensi Canonicam approbationẽ non haberent, quandoquidem ex sententia Tridentini Concilij, nemo Confessionibus excipiendis immiscere se debeat qui non sit ab Ordinarijs approbatus; denique isthinc struebat viam ad parochialia (vt vocant) Sacramenta (vltimæ Communionis & Vnctionis atque matrimonij) sibi ac Sacerdotibus secularibus tanquam propriè Parochis reseruanda. Concitauit enimuero ea vox omnes omnium ordinum gradus, quando ad quotidiana ab hæreticis grauamina, nouâ hac atque ab occasu Religionis inauditâ restrictione accedente, & animis libertas adimebatur nè quorum vellent opera vterentur in extremis, & possessionibus periculum quàm antea maius creabatur, cum plures admittendi essent Sacerdotes, vbi vni sine summo fortunarum ac vitæ quandoque discrimine aditus dari vix posset. Agitata est controuersia hæc aliquot annis, editis in vtramque partem libris scriptisque variis, donec *Vrbanus* Octauus Pontifex quieti animorum consulens atque auctoritati suæ, pro Regularibus pronuntiauit dato Romæ Rescripto sub annulo Piscatoris nono Maij Anni millesimi Sexcentesimi trigesimi primi, octauo Pontificatus, sub hac inscriptione, Venerabili fratri Richardo Episcopo Chalcedonensi, & dilectis filijs Presbyteris & Clero tam Regulari quam seculari, omnique populo Catholico Angliæ. Ex quo hæc decerpsisse sufficiet. *Britannia* non minus cœlestibus auxilijs

Perturbatio à Clero exorta.

Breue Vrbani 8. super re.

1626. anxiliis custodita, quam maritimis circumdata fluctibus, iucundum quondam spectaculum præbuit oculis Pontificiæ solicitudinis: Crux enim Caluarij felicius quam gladius Capitolij in nobilissimo isto regno triumphauit. Lætificabat planè Ecclesiam natio regnatrix oceani quæ à cætero deuicti orbis famulatu in Insulam istam quasi in libertatis Arcem segregata dum Cæsarum fulmina parui faceret, coluit tonitrua Apostolorum. Decor Libani, & gloria Carmeli floruit in Britanniæ senticetis. Quinimo isthic tum è Regia, tum è populo, Christus Sanctorum principatum tenens selegit viros quos in Sacro Altaris solio generi humano proponeret venerandos. Nunc autem conuertere isthuc oculos non possumus nisi lachrymantes: Naufragauit Religio in portu, peccauit Adam in paradiso, è Palatio in Carcerem Sanctitas depulsa cogitur in Patria viuere perinde ac in exilio. Omnino terra fructifera versa est in salsuginem à malitia habitantium in ea: Non tamen tantum licuit sæuienti Inferno quin è venenatis pascuis exugere possemus manna consolationis. Dominus ex vrbibus fugatus regnauit in cordibus vestris, atque in vobis virtus enituit vsque adeò aduersus potentium minas, & cruciatus carnificum inuicta, vt cogitans Conscientiæ triumphatricis sublimitatem, & Cœlestium diadematum spem, dicere vobis potuerit Apostolus, *Superabundo gaudio in omni tribulatione vestra.* O decus Ecclesiæ! O trophæum Religionis! Non gladius, non persecutio, non angustia separauit vos à caritate Christi, & ab obsequio Pontificis. Horruerunt hostes constantiam vestram, & qui Religionem auersabantur admirati virtutem, fateri identidem coacti sunt Catholicos Anglos non homines videri mulieribus natos, sed Angelos in humanis corporibus hospitãtes. Porro autem vbi laqueum & gladium minitabatur carnificina Satanæ, Deus ipse, Christus ipse, Deus exercituum, attollens cruciatum potius quam coronatum sentibus Caput cum sceptro Crucis, victoriam Britanno Cæsari prætendens, descendit vobiscum in foueam terroris, & in vinculis non dereliquit milites diabolicæ crudelitatis contemptores, & proprio cruore purpuratos. Quinimo, cum tanquam purgamenta huius mundi despiceremini, voluit vos fieri ornamenta Cœli, conuertens vincula in monilia, conflans gladios satellitum in coronas Angelorum, tingens interfectorum sanguine ostrum æternitatis. Etenim pati nunquam potuit infernus crudelitatem potentiæ vobis fieri exercitationem fortitudinis, & materiam triumphorum. Quare vitijs potius quam calamitatibus oppugnandam esse in Catholicis Anglis decreuit appetentem pœnarum Sanctimoniam. Heu nos miseros! neque diabolo impij conatus frustra fuerunt: potuit ille aliquando dissidia serere inter vos, enitens vt qui Christi bonus odor esse debetis, videremini putrescentia Ecclesiæ cadauera persequentibus vos. Quare multos iampridem contra Archipresbyteri ditionem in partes traxit, atque etiam sapientiæ studijs abusus est ad conficienda pabula discordiæ. Nunc autem cùm tam præclara Christiani gregis pars Episcopali Sacerdotio non careat audimus dissidia, & scissuras esse inter vos, & supra quam dici potest

test dolemus. Prospicimus enim, ea remedia, dæmone adnitente, conuerti ad perniciem quæ parata fuerant ad salutem &c. Omnes igitur & singulas cõ trouersias inter Chalcedonensẽ Episcopuã & Regulares Sacerdotes Missionarios & Catholicos laicos Angliæ quocunq; titulo aut prætextu exortas, motas aut agitatas sedari volumus, supprimi, & extingui, sicut per præsentes literas sedamus, supprimimus & extinguimus; earum vero omnium, tum etiã illarum quæ ex nostrarũ literarum interpretatione germinare possunt, cognitionem & iudicium, ad Apostolicam auctoritatem pertinere volumus & decernimus. &c. Ne autem ambigentis Conscientiæ fluctibus iactentur, & cæcæ suspicionis tormento vexentur iudicia fidelium, declaramus Confessiones à Regularibus Sacerdotibus hactenus auditas validas fuisse, & in posterum fore. Cum enim eas auctoritate Apostolica exceperint, excepturique sint, Ordinaria facultas vel Approbatio eis nec est nec futura est necessaria. Porro autem singuli Missionarij suis Facultatibus ac Priuilegijs vtentur eadem ratione & auctoritate quibus ante has controuersias & temporibus felicis recordationis Gregorij 13. & Pauli 5. gauisi sunt. Locupletiorem autẽ horum omniũ explicationem, si qua in disceptationem vocabitur, iubemus à Nobis & ab Apostolica sede expectari. 1626. 1627.

X. Hæc Pontifex *Vrbanus* sapienter prouidit ad quietum Religionis cursum in Anglia retinendum; Ad sempiternam interea quietem è socijs complures varijs sibi sanctisq; modis muniuerunt viam. *Ioannes Laytonus* Patria Derbiensis, omnium studiorum confecto curriculo Sacerdos, ætatis anno trigesimo octauo, societatis duodecimo, quatuor votorũ professione propediem firmandus, terrenam cælesti patriâ, optione plurimorum citius, commutauit; vir in vmbrâ pius, in sole & acie strenuus, qui tranquillitate temporũ vsus de superiore loco perorans complebat frequenter (templorum quibus excludimur vice) horrea, dum vicini Pseudoverbiministri quererentur, se parietibus cogi dicere, populo ad Catholicum oratorem diffluente; sed non tam erepta illi vita quam donata mors videri potuit, nè in eam inclinationem temporum incideret quæ omnem illam spem messis in ipso quasi flore præcidit. Illa enim quæ intermissa tractatatione matrimonij cum Rege Catholico coorta est tempestas eò licentius in eam regionem atque importunius desæuijt quò maior fuerat in auita religione defendenda & propaganda libertas. Ex nostris plures mortui. Ioannes Laytonus.

Breuiori itnere ad superos euolauit *Simon Russellus* Staffordiensis: Finitis enim in Tyrocinio probationibus missus Leodium ad studia, ex modica ægritudine in lentam prolapsus tabẽ post duos menses sublatus est. Vbi intellexit deploratam iam esse valetudinem nulli præterquã de deo illi fuere grati sermones; frequenter vocibus huiuscemodi & se & astantes inflammabat " Eia eamus; subuolemus in cælum; quando demũ seruatore meo *Iesu* frui licebit) atque exemplo insolito à Confessario primùm, tum à Rectore postulauit imponi sibi præceptum moriendi; Simon Russellus.

1627. endi; tum vt Obedientiæ, tum vt suoipsius desiderio satisfaceret; precatus præterea (si ex diuina voluntate foret) vt anniuersarius Sancti Matthæi dies sibi esset supremus, vti & euenit. Inter mortui scripta reperta est formula votorum, in qua præter sigillum Societatis appositum, verba illa (vouco Paupertatem, Castitatem, & obedientiam perpetuam in Societate *Iesu*, & promitto) sanguine erant exarata; tanto studio erga Societatem atque in ea perseuerantiam ferebatur; initio rerum gerendarum sic orare solitus " O Immaculata Dei genitrix *Maria* intercede pro me indigno famulo tuo vt in hac Sancta Filij tui societate bene viuam & moriar.)

Ioānes Lōbardus

Ioannes Lombardus natione Belga, rei familiaris Adiutor formatus, ac planè ad earum normam virtutum effictus quibus Coadiutores nostros S. P. *Ignatius* potissimum cupiebat instructos, eiusdem anni mense Nouembri vitam cum morte felicissime cōmutauit. Annum ætatis agebat quadragesimum octauum, Societatis vigesimum tertium, gradus suscepti decimum. Præter alia quæ quandoque obibat ministeria, annis prope viginti concredita est ei custodia lineæ supellectilis in Seminario, quā tantâ anima tranquillitate procurauit vt à nemine visus vnquam sit commotior; singulari modestiâ & prudentiâ id assecutus vt quamuis in ducentorum ferè iuuenum numero deesse non poterant quæ bilem interdum homini moderatissimo mouerent, nulla in re pacem ipse suam animique æquitatem imminueret. Colloquijs spiritualibus inter adolescentes, interque Seminarij famulos pro ratione suæ conditionis opportunè serendis valebat plurimum, suntq; inter Socios qui quod in Societate viuant eius secundum Deum potissimum monitis consilijsque acceptum ferunt. Cùm Belgium in duas secerneretur Prouincias, & optio illi esset ad suæ nationis Collegia commigrare, optauit in Seminario potius vitam, vt inchoauerat, exigere. In quo annis ante obitum duodecim valetudine crebro languore ventriculi, ac debilitate pectoris pessundatâ, singulari cum patientiæ documento dissimulans dolores de pristina consuetudine laboris minimè remittebat; donec exhaustus viribus vix pedibus consistens, & ægrè ducens spiritum cessit necessitati naturæ, & ijs omnibus armatus quæ Christiano & Religioso viro sunt in votis placidissimè obdormiuit. Belga alter arte Pistor Henricus del Som, cùm primo sui in Societatem ingressu tantâ laboraret ingenij infecilitate vt ineptus plane & videretur & esset ad quidpiam in Exercitijs pium cogitandum, mirè ea de re anxius in æde diuæ Virginis ad eius aram humiliter prostratus tanto animi cum mærore & amore apud illam causam suam egit vt ab oratione surrexerit plane alter; rerum diuinarum deinceps adeo peritus vt omnibus esset admirationi, & potuerint ab eo alij discere quæ ex libris haurire non poterant. Inter cætera dicitur panes singulos quos coqueret singulis Sanctis cōsecrare solitus: tăcertè attentus ad pietatem vt in breui consūmatus explerit tēpora multa.

Rodulphus Smithæus.

Rodulphus Smithæus Northumber, Alumnus olim Romæ in Anglicano, inter illos qui Societati fuerant malè fundatis querelis permolesti, maturior

turior factus, & iam sacris initiatus, tam acerbum animo dolorem hausit ve- 1627.
tera repetens, vt satis se facere non posse arbitraretur nisi Societati quam læserat se totum donaret consecraretque: cumque recenter Alumnis impositio iureiurando impediretur nè ante triennium ab absolutis studijs Religiosum vllum ordinem amplecteretur, vires omnes intendit vt à Pontifice summo eius iurisiurandi remissionem impetraret; impetratâ admissus, sextum vix mensem Tyrocinij impleuerat quando lentâ febre occupatus, inter humilitatis frequentia exempla, hoc vnum ambiebat precabaturque vt eo vsque superuiuere concederetur donec votis nuncupandis legitimum tempus affulgeret: dies Annum, Annum annus cum exediſſet, exeso etiam ipse corpore flaccescens, planeq; cõsumptus, voti tamen compos & animi, tranquillissimè decessit de vita tertio idus Apriles ætatis anno octauo & vigesimo.

Guilielmus Flaccus Suffolciensis senio potius confectus quàm morbo ad annum seculi trigesimum septimum superuixit. Is è communi patriæ ca- Guilielmus Flaccus.
lamitate subducens se, Rhemos primum, deinde Romam venerat, vbi in Societatem adscriptus post moralis Theologiæ cursum Laureti absolutum, in Hispanias à *Personio* accitus est, atque in Belgium missus ad ponenda initia Seminarij Audomarensis, vt libro quinto notauimus. Cuius Seminarij fundationem cùm singulari industriâ atque constantia egregiè promouisset, in eo reliquam pene exegit vitam, domesticis rationibus, & rei pecuniariæ procurandæ adhibitus; præterquam quod aliquamdiu tertiæ probationis domui erectæ Gandaui præfuerit. Qua in domo æger singulare beneficium consecutus est, impetrante B. *Aloysio Gonzaga*, quem habuerat *Flaccus* in tyrocinio contubernalem: quod beneficium hunc in modum ipsemet scripto consignauit.

Ope B. Aloysij liberatur à doloribus calculi.

Anno salutis 1632. Iunij 21; qui dies Beato *Aloysio Gonzagæ* sacer est, Ego *Guilielmus Flaccus* domus Anglorum Societatis *Iesu* Gandaui id temporis Rector, difficultate vrinæ diu multumque afflictatus, eò deueneram vt medici remediũ ab arte sua superesse nullum pronunciarent; compererant enim calculo in vesicam delapso obstructos esse meatus: pauciſque diebus ante natalem Beati *Aloysij* diem, tam vehementer torqueri cæpi, vt mortem non longè positam arbitrarer. Quod reliquum igitur erat, quæ ad vitæ exitum pertinent adornare institi, spemque omnem in Cœlestibus collocare, *Aloysium* enixè solicitare, vti extremo illo tempore adesset, cruciatumque leniret, eo enim Romæ familiariter vsus fueram, habueramq; in tyrocinio consodalem, virtutesque eius animo insculptas per omnem vitam præcipua veneratione colueram. Posteaquam itaque eam noctem quæ dicatum *Aloysio* diem antecessit, preces inter acutissimosque dolores extraxissem, cùm adesse iam vitæ exitum iudicarem, accito manè Sacerdote, Confessione generali expiare me aggressus sum, modo peccata mea commemorans, sæpius opem Beati Adolescentis implorans, doloris acerbitate coactus: Tum etiam suadente Confessario, Lipsanothecam, (cum aliud præsto non esset)

1627. esset) quam diu gestatam plurimi faciebam, ad eius in domestico sacello sacram tabulam me appensurum voui, perpetuum beneficij monumentum, si dolori afferret leuamen; simul me illo obstrinxeram voto, simul voti cõpos factus sum: Vixenim intercessit spatium quo percurri posset salutatio Angelica, quando binos effundo calculos, fabis mediocribus magnitudine pares; atque ita omnis repente consedit dolor, vt intra horam surgens ad sacellum descenderim, votum grateq; persoluturus) Hæc ille: superfuit autem ad annos quinque ab huiusmodi doloribus liber; tum sacrãmẽtis omnibus munitus, sacro etiam Christi corpore sesquihorâ ante obitum recreatus concessit è viuis annum ætatis agens octogesimum tertium.

Edmundi Aroſmithæi certamẽ & mors pro Christo.

XI. Et hiin vmbra diuinæ beneficentiæ felicem sortiti sunt exitũ, in sole & puluere *Edmundus Aroſmithæus* de impij Iudicis immani sæuitia glorioſa morte triumphauit. Aliquanto iam tempore sæuierat in Catholicos persecutio, dura illa quidem & aspera, sed sine ferro & sanguine incruenta: vt vero imbres opportuno tempore de Cælo depluunt in segetes nè defloreſcant, ita deus cùm visum fuerit, quorundam singulari atque eximia constantia cæterorum aut reficit erigitq; infirmitatem, aut corroborat fortitudinem. Inter hos *Edmundus* ex nostra Societate Sacerdos anteactæ vitæ labores in Anglicana messe religioſè exantlatos beato fine coronauit. Carceris & vinculorum fidei causa perpessioue olim illustris, tum etiam celebri cum Pseudo-Antistite Ceſtrensi disceptatione (quâ Apostolicæ sedis auctoritatem auitamque fidem hæretici hominis silentio ignominiâque vindicauit) nescire non poterat quanto in periculo versaretur si rursus in manus incideret eorum quibus erat & propter eam congressionem iam de vultu notus, & religionis causa odiosus; stationem tamen suam non deseruit animosus Christi miles, sed in eâdem Lancastriæ Prouincia indefessam inuictamq; lucrandis animabus nauauit operam. Iuuenis in ea regione consobrinam duxetat incestum in matrimonium vsus Pseudo-ministri ceremonia; hunc dum à flagitiosa consuetudine abstrahere nititur *Edmundus* in duorum offensionem incurrit & odium, adolescentis & matris; Vtque est mulierum iracundia ad vindictam præceps, molestum monitorem vt submoueret, non veretur Magistratui indicare quo loco quaque via cõprehendi posset. Secundo igitur coniectus in carcerem consuetâ diligentiâ incumbit in curam cogitationemque aggregandi ad Ecclesiæ Sanctæ ouile quos poterat, & omnium vna detentorum animos benignitate humanitateq; deuincit. Non multo ante tempore quam Iudices (pro more Insulę) in Prouincias iudiciorum exercendorum causa mittẽretur, edictum fuerat vt leges omnes in Catholicos latæ vim suam poreſtatemque sortirentur: Hanc ansam opportunè sibi datam arbitratus Henricus Yeluertonus qui quæstionibus de capite cognoscendis præfuturus Lancastriam descenderat vt sectâ Puritanus, ita proprio huiusmodi hæreticis ingenio in Catholicos inhumanus & barbarus citatum *Edmundum*, atque iniuriosè compellatum interro-

interrogat num sit Sacerdos? Vt prudentiæ est nil directè in hoc genere sed circuitione quadam dicere, tum nè Catholici vltrò prodi videantur apud quos latuere Sacerdotes, tum nè quis sui accusator in rebus quæ rectâ fidem non tangunt, accersiuisse mortem atque attraxisse videatur, respondet *Edmundus*," Vtinam sanè Sacerdos essem! Ita est (inquit Iudex) Proditor hic non est, sed optat esse; Hocque ipsum te reum facit.) cùm id negaret *Edmundus*, & esset de re contentio, per opprobrium obijcit Iudex ignorantiam inscitiamque; nihil etiam ab illo in medium afferri posse quo Religionem fidemq; suam tueatur. " At si experiri in animo est (subijcit Sacerdos) disputationem non detrecto, paratus, quocunque oppugnante, defendere vnam Catholicam veram esse & solam salutarem, cætera quæ nunc per Angliam sparguntur dogmata nullo niti fundamento, idque meo sanguine consignabo.) Et alter," Consignabis enimuero; faciam enim vt viuus spiransque tua ipse viscera igne torreri conspicias; neque vrbe discedam antequam caput in pertica, membra in vrbis portas distributa videam) cumque sæpius iteraret verbum *Moriere*," Et tibi (inquit) Domine mi scito esse moriendum.) Tum lectâ de more Schedula, qua Sacerdos & Iesuita, & aliorum seductor pronunciabatur, res ad duodecimuiros delata est; qui paucis & occultè auditis testibus reum confestim edixerunt. *Edmundus* (quod iure optimo poterat) poscit testes produci, & palam dicere testimonium; quod cùm nequaquam concederetur suspicio in vulgus fuit instructos fuisse & subornatos, nihilque certæ probationis afferri potuisse. Vinculis tamen annulisque tam grauibus onustus vt leuare vix posset pedem ductus seorsum, seuero cum mandato ne quis eum alloqui permitteretur, postremam operitur sententiam; quâ coram deinde pronunciatâ, procumbens in genua clara voce exclamat Latinè primum, tum Anglicè *Deo Gratias*; ferramenta vectesque tam immensos iubente Iudice induerat, vt cùm abeundum fuit à comitio, sustentari debuerit & gestari; Ille vero Psalmum *Miserere* lætus de via decantans, ad omnem crudelitatem experiendam parabat se, neque defuere quæ pateretur; nam octo & quadraginta prope horas in arcto obscuroque gurgustio occlusus iacuit, vel sedit potius, cùm iacentem locus non caperet, mulctâ mille florenorum impositâ excubitoribus si quemquam ad illius colloquium admitterent. Moris est, prolatâ sententiâ, vt reo non inferatur supplicium nisi obsignatis tabulis fiat potestas Magistratui eius loci, Iudice qui causæ præerat subscribente: Hic mira fuit tergiuersatio: Altero enim Iudice, qui senior erat, abnuente, noluit etiam iunior Yeluertonus subscribere; itaque cum Magistratus sine tabulis exequi sententiam recusaret, de nouo modo initur consilium vt, non sedente Iudice tali, vt olim, sed *sedente* scriberetur *curiâ*, & *Ordinatum per curiam*. Pudet ninirum facinoris conscios pigetque facti, & Conscientiâ vel Deum vel homines exhorrescente Auctores videri nolunt eorum quę maximè faciunt. 1628.

XII. Moriendum nihilominus iusto fuit: Cui tragædiæ quam-

quam

1628. quam pauciſſimos intereſſe cupierat Iudex, atque ea propter anticipato die, ſummo mane, vel ſub horam prandij peragendam ſtatuerat, infinitus tamen factus eſt concurſus hominum vt ſpectarent. A tertia ad quintam feriam ſederat in ergaſtulo; Tum crati impoſitus obuerſo adcaudam equi capite (contra quàm in ſimilibus ſoleat fieri) ductus eſt, de charta, quam manu tenebat, ſcriptas quaſdam percurrens voce & mente preces. Cum ventum eſt ad ſupplicij locum, non ad ſtabiliendam ſed ad infirmandam Martyris conſtantiam miſer Miniſtellus, tanquam Cacodæmonis miniſter, "Ecce, inquit, inſtrumenta ſupplicij, laqueus, patibulũ, fornax, cacabus, culter; his lacerandus, his exurendus es niſi legibus parendum iudices, & miſericordiâ vtaris Regis.) Cui Martyr ſubridens, "Ne quæſo Domine mi, Tentatorem hic agas tu. Miſericordiam ego è Cœlo, non aliunde, expecto: Spes mea in Chriſti paſſione & morte ſita eſt: Hunc rogo obſecroque vt hac me dignum morte faciat) Tum ad pedem ſcalæ poſtquam nixus genibus ad quartam horæ partem oraſſet; gradum exoſculans conſcendit, rogatq; Catholicos præſentes vti ſecũ & pro ſe orent hoc in vltimo & maximi momenti certamine. Pſeudo verò Verbi Miniſtro replicanti neminẽ Catholicũ adeſſe, ſe verò oraturum; Nequaquã inquit, "Neq; enim tuas ego preces volo, neq; tecũ precari, aut negotij aliquid habere: ſi non eſt iſthic, vt ais, quisquam Catholicus, Ego ſane tot mortes oppetere opto quot hic ſunt homines, vt omnes ſint Catholici) Tum pro Rege, pro patria, pro perſecutoribus orans, quò in ſcalam altius aſcenderat, eo voce contentiore rogabat omnes vt morte hac ſuâ non ad terrorem, ſed ad conſtantiam vterentur: mori ſe Romano-Catholicum; in ea Eccleſia ſola ſalutem obtineri poſſe; proindeſi animæ ſalus ipſis curæ eſſet (quâ nihil nos tangit propius) ad eam ſe Eccleſiam aggregarent. Cumque ſe ad orandum compoſuiſſet, accedens rurſus tentator: "Rogo te, inquit, Domine, vtere Regis benignitate, dic, iurare te velle verbis vſitatis fidelitatẽ, vel preces nobiſcũ iungere, & viues; Opto ego ex animo vt velis viuere; Adeſt qui iſta tibi offert modo velis, dicito te velle.) At ille attollens oculos, & vultu ſeueriore quaſi rei indignitate piè commotus, "Falleris, inquit, Non ego is ſum quem exiſtimas; abſit à me talis cogitatio; nulla conditione; nullo modo tibi aſſentiri aut poſſum aut volo: Amplectimini vos potius Catholicam fidem; veniet dies quando hoc vnicum erit vobis ſolatium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fuiſſe ſubditos) Tum rurſus orans, cum quidam è populo clamarent Tolle, deiectus de gradu pependit, hoc extremum ore efferens, *Bone Ieſu.*

Hic exitus fuit viri qui à natura, & ab induſtria conſecutus fuerat illa quæ perfectum in vinea Domini operarium commendant; & videri potuit à Deo ad hunc glorioſum finem à primo tempore reſeruatus; nam Duaci cum ſtuderet & gradum in Artibus & Theologia adeptus eſſet, bis mortem poſtquam fuiſſet inunctus euaſit: Proditus deinde ab eo quem ab inceſtu reuocare ſtuduerat, & primus ſub Carolo Rege Sacerdotij nomine poſtulatus,

pridie

pridie decollationis Sancti Ioannis Baptistæ coronatus est; cui etiam simi- 1628.
liorem reddidit Iudicis atrox crudelitas: steterat enim interea dum sup- 1629.
plicium sumeretur è sublimiori cubiculi contignatione prospiciens quod pro- 1630.
cul agebatur; peracto vero supplicio iussit mensæ cibos inferri tanquam tri-
umphum de re bene gesta agens, & iurisiurandi parte exolutâ: Altera resta-
bat pars vt Caput & membra certis locis affigerentur. Hæc antequam di-
stribuerentur domum allata attrectans inhumanâ barbarie comparasse di-
citur cum captorum venatione ceruorum membris, quæ tum forte dono illi
offerebantur, & ad complendam immanitatem vrbe egrediens, & equum
quem insidebat circumagens cùm caput conspexisset in pertica, voluit cu-
bitis aliquot altius erigi ad exemplum; nesciens futurum etiam se alijs
exemplo vt cauerent quas causas & quam iustè tractent: Famâ enim sat con-
stanti ferebatur Anno vix expleto cœnantem sensisse in ceruice quasi ictum
pugni; de quo quando cum famulo ponè (vt assolet) stante iracundius expo-
stularet, & is nihil se feciisse aut vidisse diceret, secùdò percussus expauit; dela-
tus à Cœna ad cubile prima luce repertus est cũ morte colluctans, neq; vidit
vesperã: quam dispari ab *Edmundo* mercede procliue est cuique existimare.
Etenim qui proximè eâdem in Prouincia eandem mortis aleam Sacerdotij
causa subiuit D. *Ambrosius Barloe* Sancti Benedicti Monachus hæc ad fra- Martyris de Martyre testimonium.
trem suum R.P. Rudisindum Barloe Duaci commorantem scripsit è carcere.

Arbitror me passurum (Ita vulgo loquimur cum de morte violenta est ser-
mo) *nã Dominus Bradshawe* (quo nomine *Edmundus* quandoq; ad dissimu-
lationem vtebatur) *is qui vltimò passus est Martyr, ea nocte quæ secuta est
passionem ipsius, cùm ego penitus ignorarem quod passus esset, stans ad la-
tus lecti mei ita mihi est locutus. Ego passus sum, & tu iam debes pati; vide
vt pauca loquaris; conabuntur enim te in verbo capere.* Hæc Martyr de
Martyre: Felices animæ quæ tam beato fine labores hic susceptos coro-
narunt. Aliorum nunc gesta perpessionesque percurramus.

XIII. Pseudo Antistiti Vigornensi plures fuere proles, quas in Guilielmus Anderson capitur.
eadem secum hæresi ab incunabulis diligenter instituendas curauerat: Quæ
tamen Dei est benignitas ex filiabus vna Catholicam fidem amplexa mul-
tis exemplo fuit pietatis & constantiæ. Huius frater natu maximus, vir omni-
um flagitiorum cœno immersus ex morbo impurissimo ad extrema deue-
nerat. Veráne ac fictâ tactus Religione sororem de eius salute mire solli-
tam rogat obtestaturque non semel vt Sacerdotem accersat, cupere se vehe-
menter Catholicè emori: Illa nè fratri periclitanti in re tam necessaria de-
esset aduocat ex Nostris vnum, qui totius vitæ accepta confessione, pane et-
iam cœlesti ægrum refecit: secundò redijt aliquanto post ad nouellam plã-
tam ijsdem Sacramentis confirmandam: Rogatur tertio vt accedat:
Atinterim aperuerat infælix Parenti rem vti gesta erat: tenduntur insidiæ;
capitur Sacerdos; Pseudo Antistiti sistitur, & recusato (quod fidelitatis vo-

1630. cant)iureiurando in teterrimum ruri ergastulũ compingitur. Miser transfuga
1631. non multo post tempore pœnas morte infeliciſſima luit, vt qui Deum nun-
1632. quam nominare auditus est, præterquam cum Sacratiſſimum nomen sacri-
1633. legis iuramentis violaret; malum verò dæmonem sibi adstare clamabat a-
spectabili & horrenda forma; Sacerdotem etiam scelus atque iniuriam ex-
probrantem. Sacerdos amotus Londinum, & liberiore vsus carcere, tandem
Reginæ gratia liber postquam plures annos in eadem messe consumpsisset
exul diem clausit Audomari, vbi à puero educatus & excellentiam quandam
in Græcis & latinis consecutus, post studia Romæ & in Sicilia peracta multis
annis cum laude docuit & præfuit scholis, perpetuo licet Asthmate pressus
& demum oppressus, cum annum ageret sexagesimum nonum, Professio-
nis quatuor votorum circiter trigesimum. Alteri amatoris hæ-
Horror in scelere salutaris. retici captæ lenocinijs, cùm vt eo potiretur spopondisset se Protestantium sacra
adituram sors melior obtigit quam Antistitis filio: Vixenim in profani tẽ-
pli limen pedem intulerat quando ex horruit, & ad populum conuersa, "Sci-
tote, inquit, me conscientiâ reclamante huc veniſſe; & tu Domine Prædicans
caue nè verbum in hac nuptiali ceremonia proferas quod rectum non sit ac
necessarium; aliquin ego me illicò proripiam.) Tum rursus ad astantes,
"Sanctè promitto me quoad vixero huc rursus nunquam ingressuram.) ne-
que fefillit fidem; reliquam enim vitam piè & Catholicè traductam hoc lu-
cro cumulauit, quòd maritum ad eiusdem fidei consortium post paulo in fle-
xit, & in ea vterque ad exitum vsque perseuerauit.

Constantia nobilium Catholico. rum. Constantia vero nobilium Catholicorum hoc tempore vt Heterodoxis
admirationi & stupori, ita Orthodoxis non exiguo fuit incitamenro ad fir-
mitatem & gloriam. Enituit inter cæteos Baro Wottonus (Parens Pickerin-
gi, de quo libro quinto diximus) Hic Senex Octogenarius qui ad annos com-
plures vix domo excesserat, de Religione appellatus sistit se Iudici. Perculit
Baronis wottoni. tanti viri præsentia congregatorum animos, eoque magis quod vix hactenus
audisset Catholicus. (Aetati enim grandæuæ, & inualetudini data fuerat duo-
decim annorum ab hæreticorum templis absentia) Iure quo nondum exci-
derat, secundus ei in subsellijs locus debebatur; At ille sella gestatoria inue-
ctus in comitium, inter reos se deponi iussit, etenim quandoquidem vt reus
fuerat accersitus, æquum esse aiebat inter reos occupare locum: At non tu-
lere Assessores: Itaque ad dexteram Iudicis. cùm consedisset, hanc ad-
uentus rationem reddidit. "Sum Catholicus: hoc mihi
nunc crimini vertitur: diem tamen istum mihi præ cæteris totius vitæ die-
bus lætiorem esse debere existimo, quo datur fidem palam coram omnibus
profiteri: Non potui quidem non mirari quod hac ætate vir qui Reip. com-
modis pluribus annis inter primos inseruissem, quarto functus legatione ad
exteros Principes, Elizabethæ olim & Iacobo à Consilijs, huc loci sine vlla
præoccupatione vocarer; At causa mihi est optima, Religio; pro qua & an-
nos, & opes, & quidquid demum mihi supereſt libenter Deo & vobis offero,
vt si videatur secundum Leges vestras iudicetis.) In præsentiarum aliud actum
est nihil;

est nihil; neque diu superfuit; defuncto vxor, quæ superuixit, hoc ei posuit Epi- 1633.
taphium, partim nigro marmori partim albo contiguo insculptum. 1634.

Carissimo suo coniugi Domino Edwardo Wotton
Catholico Baroni de Marley mæstissima vxor sua D. Margareta Wotton
Catholica; Filia Domini Philippi Wharton de Wharton hunc lapidem
posuit.

Terrâ cœloque reuincti.

PSeudo-Antistes Cantuariensis Abbotius cùm ægre ferret sua in Diœcesi Catholico homini erectum quasi Sepulchrale trophæum, nomen *Catholici*, & *Catholicæ* curauit abradi: Ita neque viui neque mortui suis permittuntur boni gaudere titulis & honoribus, eorum inuidia qui licet magnificum illud nomen quandoq; vlurpent, fixum tamen & constanter adhærens nunquam possunt obtinere.

Guilielmi Petræi.

In Esiexia Guilielmus Baro Petreius comparuit & ipse citatus; Atque vt vixit diutius, ita obnoxius magis legibus, de gradu primum Irenarchæ deiectus est; tum Armamentarium (quod habebat pro dignitate & loco suo egregiè instructum) direptum, atque aliò translatum, suo tamen sumptu quotannis poliendum: denique cùm in gradum officiumque Irenarchæ restitui non posset nisi Pontificis primatum abiurando potestatemq; in Principes, ijs recusatis vixit priuatus, & piè post aliquot annos decessit, astantibus in hæc verba (quæ illi fuere postrema) valedicens, " Illuc enim ego nunc proficiscor, vbi Deum amplius nunquam offendam.)

Nostrorũ pericula.

XIV. Nostrorum verò quotidiana sunt pericula, præsertim cùm quis morti proximus nuntiatur qui in Catholicam aggregari flagitat nè æternum moriatur, Audendum enim est, & per medios consanguineos & affines heterodoxos plerumque infensissimos, aperienda est quoquo modo via, nè vel desimus nos officio, vel is excidat voto & vita quam optabat æternâ.

Rector cum alijs Londini captus.

Accidit etiam vt Londini Rector cum sex socijs in conducta ad vsus nostros domo caperetur. Designatus erat dies ad vota aliorum renouanda, aliorum vltima nuncupanda; non tam cautè res acta est, vt vicini circumquaque hæretici non aduerterent plura in eam domum inuehi quàm paucis qui comparebant sufficerent; Accessit inuidia tabernariorum qui se neglectos indignabantur, dum necessaria non ab ipsis, sed à longius positis peterentur. Itaque informatis quadruplatoribus cingitur circa nonam matutinam domus, irrumpunt satellites; cuncta sursum deorsum perscrutantur: Rectorem in antro sub terra latentem cum supellectile sacra & socijs aliquot, alios alijs in locis prænendunt, ducuntq; diuersos ad carceres: Iudicio agitur; vnius tantum de Sacerdotio damnatur qui se profitebatur Sacerdotẽ quoniam id celari non posse existimabat, quandoquidem publicè in domo oratoris ita vixisset, gessisseque

1635. sisſetque se: Cæteri quoniam nullis testibus accusabantur aut non idoneis dimissi sunt; vnius etiam illius damnati dilatâ sententiâ libertas cum tempore procurata est.

XV. Horum vero discriminum atque laborum fructus vt est semper suauissimus, ita haud paulo profecto fuisset iucundior, si eos quibus in opere tam Sancto adiutores constituti sumus, beneuolos semper & per omnia conuenientes haberemus. Sed ea est humanæ naturæ infirmitas vt illa ipsa frequenter quibus ad meliora incitari oporteret, nos retrahant; & Sancta quæ deberet esse æmulatio in riualitatem declinans de virtute exeat in vitium, vel in nudam virtutis imitationem. Inter solatia quæ Clementissimus Deus afflictis in Anglia rebus per interualla subministrat, Nuncius à sede Apostolica missus est qui apud Reginam (vtpote Catholicam Principem) resideret. Primus hoc munere functus est Gregorius Panzana Iuris vtriusque Doctor, Anno currentis sæculi trigesimo quarto. Huius sub vmbra (quanquam post multiplices conditiones à Clemente octauo Regularibus inter se & cum Clero seculari concordiæ causa impositas, *Paulus* quintus omnem de nouis tractationem prohibuisset, nè satis iam examinata & iudicata rursus in quæstionem nullo pacis fructu vocarentur) plerique qui in Anglia tunc temporis inter Clerum vtrumque auctoritate valebant in hæc verba conuenere.

Concordia inter Clerum secularem et Regularem.

Quoniam commune Religionis bonum præcipuè spectari debet ab Operarijs qui in hac vinea Domini laborant, illudque facilius ac felicius tunc demum promouetur, cùm ijdem operarij communibus operis & coniunctis animis inuicem colligantur. Idcirco diuini spiritus afflatu (vt speramus) excitati, Clerus secularis Angliæ ex vna parte, cum PP. Benedictinis, Franciscanis & Carmelitanis ex altera parte, ad certam aliquam vnionem huic fini congruentem inter se constituendam (saluis vtriusque partis Iuribus, priuilegijs & facultatibus) conuenire decreuerunt. Et ne quid sit quod optatum illius progressum retardet, partesque sibi inuicem minus confidentes reddat, illud inprimis statuitur, vt quæ extiterunt hactenus dissidia siue contentiones quæ præsentem futuramue animorum consensionem impedire possent, sopiantur, & sibi inuicem promittant eorum omnium abolitionem & quod nulla in posterum erit eorum exprobratio. Hinc igitur est quod die decimo septimo mensis Nouembris anno 1635. Londini conuenientes pro parte & nomine Reuerendissimi Episcopi Chalcedonensis & Cleri secularis Admodum RR. DD. D. Georgius Fisherus, D. Ioannes Southcott, & D. Thomas Vitus, & pro parte & nomine PP. Benedictinorum R. admodum P. Leander de Sancto Martino, R. admodum P. Benedictus de Sancto Facundo, & R. P. Paulinus Greenwood; & pro parte & nomine PP. Dominicanorum R. admodum P Frater Thomas de Media villa, & R admodum P. Frater Ludouicus de Sancto Ildefonso; & pro parte & nomine PP. Franciscanorum R. admodum P. Frater Aegidius de Sancto Ambrosio

Ambrosio, & R. admodum P. Frater Franciscus de S. Clara, & pro parte & nomine PP. Carmelitanorum R. admodum P. F. 1635.

Deuenerunt ad infra scriptam concordiam, duraturam quousque Deus restituat vsum Religionis in hisce regnis in nomine Domini

Articulus vnicus Concordiæ seu

Vnionis inter Reuerendum Episcopum Chalcedonensem

Et Clerum secularem ex vna parte, & PP. Benedictinos, Dominicanos, Franciscanos, & Carmelitanos ex alia parte.

PArtes sibi mutuo promittunt se vnanimiter curaturos commune Religionis bonum in Anglia, seque inuicem quoties opus fuerit amanter coadiuturos, nec permissuros, quantum in se est, vt summus Pontifex per fallas informationes de rebus Anglicanis decipiatur, néue Sereniſſimi Regis nostri, Reginæ, aut status honor lædatur.

Et ad hos fines statuitur quod saltem singulis trimestribus deputati vtrimque conuenient certo loco, ac tempore ad deliberandum, & quoties præterea occasio postulauerit.

Cum autem sua Sanctitatis pro cura sua Pastorali huc destinauerit eximium virum admodum R. D. Gregorium Panzanum, eundem pro sua humanitate rogatum cupimus, vt vtriusque deputatos, qui ad dictam concordiam constituendam conuenient, quò firmior & solemnior euadat, suâ præsentiâ cohonestare dignetur.

Quod si reliqui Ordines simili nobiscum fædere sociari optent, libenter in Consortium vnionis omnes admittemus.

In quorum fidem dicti deputati subscripserunt proprijs manibus tria Exemplaria, quorum vnum sit penes Clerum secularem, alterum penes supra nominatos Ordines, & tertium tradatur Admodum Reuerendo Domino Gregorio Panzano, vt de eo Romam referat: die, mense, anno quo supra.

Georgius Fisherus.
Ioannes Southcot.
Thomas Vitus.

Fr. Leander de Sancto Martino. Benedictinus.
Fr. Benedictus de S. Facundo
Fr. Paulinus Greenwood.

Fr. Thomas de Media-Villa Ordinis Prædicatorum.
Fr. Ludouicus de Sancto Ildefonso Ordinis eiusdem.
Fr. Aegidius de Sancto Ambrosio Ordinis Sancti Francisci.
Fr. Franciscus de Sancta Clara, eiusdem Ordinis.

XVI. Quæ fuerit Causa huius conuentionis, quis finis, quod fundamentum Quid in re Blondus præstiterit

1635. damentum non equidem suscipio diuinare, multo minus curnam Sociorum nemo monitus de congressu; curúe Reuerendus Pater Fr. Carmelita ne quidem nominatus. Blondus antequam ea potestate quam grauis iam annis auebat deponere plenè exueretur occurrendum arbitratus existimationi Societatis, ne quam illa notam contraheret vel aspernatæ concordiæ vel offensionis in ea de quibus illa decernebat, hoc publicum integritatis, & rei prout gesta est dedit testimonium.

Richardus Blondus Societatis *Iesu*
Præpositus Prouincialis Anglie.

OMnibus has visuris salutem in Domino. Cùm ad me perlatũ nuper sit non dubia plurimorũ fide qui non tantum auribus, sed etiam oculis viui parũt Concordiam quandã scripto initam inter quosdam Sacerdotes tam seculares quam Regulares aliquorum Ordinum, cuius quidem scripti hæc est summa. Cõmune Religionis bonũ præcipuè ab Operarijs huius vineæ spectandum est, idque eo facilius promouetur quo magis Operarij inter se colligantur: Idcirco ad vnionem huic fini congruentem stabilendam conuenire decreuerunt; & nè quid optatum progressum impediat, promittunt se memoriam omnem præteritorum dissidiorum abolere velle.

Conuenientes igitur die decimo septimo Nouembris Anno 1635. statuunt & promittunt se vnanimiter curaturos commune Religionis bonum in Anglia, seque inuicem amanter, quoties opus fuerit, coadiuturos, nec permissuros, quantum in se est, vt summus Pontifex per falsas informationes de rebus Anglicanis decipiatur, néue Serenissimi Regis nostri, Reginæ, aut status honor lędatur.

Ad quos fines obligant se ad conueniendum tertio quoque mense. Rogant autem admodum R. D. Gregorium Panzanum, vt deputatos ad dictam Concordiam stabiliendam ita conuenientes, quo ea firmior ac solemnior euadat, suâ præsentiâ cohonestare dignetur. Addunt præterea se reliquos Ordines in Vnionis consortium libenter admissuros, si simili secum fœdere sociari cupiant.

Tandem tria exemplaria proprijs manibus subscripserunt, quorum vnum sit penes Clerum secularem, alterum penes hos Ordines Regulares, tertium tradatur admodum Reuerendo Domino Gregorio Panzano vt de eo Romam referat.

Hæc huius scripti summa, & fere etiam verba: Nomina autem eorum qui conuenerunt & subscripserunt hæc sunt. RR. DD. Georgius Fisherus, Ioannes Southcott, Thomas Vitus, Sacerdotes seculares. RR. PP. Leander de Sancto Martino, Benedictus de Sancto Facundo, Paulinus Greenwood, ex Ordine Sancti Benedicti. RR. PP. Thomas de Mediauilla & Fr. Ludouicus de Sancto Ildefonso, ex ordine Sancti Dominici. RR. PP. Fr. Ægidius de San-

Sancto Ambrosio, & Fr. Franciscus de Sancta Clara ex ordine Sancti Francisci. Et quamuis dicantur interfuisse quidam Patres Carmelitæ, nondum scire potui quinam fuerint, nec an nomina sua subscripserint. Cùm hoc, inquam, ad me ita perlatum esset, ac præterea spargeretur vbique rumor, solos Ieuitas, quamuis inuitatos, ad Concordiam hanc stabiliendam accedere noluisse, officio ita postulante statui publicum dandum esse testimonium tum Innocentiæ Societatis nostræ, tum animi non tantum studiosi, sed prompti etiam ac parati ad pacem cum omnibus amplectendam. 1635.

Primùm igitur sanctè affirmo, me nunquam à quoquam ad huiusmodi congressum inuitatum esse, nec quidquam à quoquam accepisse ex quo vel leuissimè colligerem gratum alijs fore si ego aut quisquam alius meo nomine interesset, nec etiam quidquam de re quæ tractabatur, multo minus de personis, loco aut tempore ante intellexisse quam omnia iam perfecta essent: neque tandem à tempore Concordiæ iam initæ quidquam mihi à partibus indicatum esse, quo quid actum sit, certò mihi constet. Deinde verò cùm hæc aliunde iam intelligam profiteor meo sociorumque omnium meæ curæ commissorum nomine, nos omnes pacem ipsam libentissimis animis amplecti, quatenus spectat commune Religionis Catholicæ bonum, vel mutuam Operariorum caritatem opemq;. Pollicemur quoque nos omnem daturos operam nè ullus Pontifex (vt Concordia hæc loquitur) per falsas informationes decipiatur, atque imprimis ne vlla vel minima re Serenissimi Regis, Reginæ aut status honor lædatur. Quæ omnia sicut hactenus pro virili semper præstitimus, ita in posterum etiam præstare, ac procurare vt ab alijs præstentur omni studio conabimur.

In quorum omnium fidem officij mei sigillum, manumque propriam apposui. Londini die 25 Nouembris Anno 1635. Richardus Blo.dus.

XVII. Et ad Gregorium ipsum Panzanam has literas.

Admodum Reuerende Domine

QVi has Reuerendæ Dominationi Vestræ daturus est P. Robertus, narrauit mihi, casu nec opinanti sibi contigisse vt Dominationē Vestram eadem die, silicet Martis hebdomadæ elapsæ, Mensis autem decimo septimo, eademq; horâ officij causâ adiret quo D.V. plures secū Sacerdotes congregatos habebat, pacis cuiusdam, vt postea vidit, conficiendæ causâ. D. autem V. ad se (vt adesse intellexit) paulisper egressam, idipsum indicasse, nec non dixisse, communiter iam ab illis constitutum esse de aliquo mittendo qui me omnium nomine ad eandem secum concordiam inuitaret. P. vero Robertus, vti narrat, respondit, quamuis meâ vel alterius meo loco præsentiâ opus non sit cùm nos pacem cum omnibus colamus, ac parati simus semperque fuerimus cuicunque se à nobis læsum profitenti facere satis, se tamen minimè dubitare

1635. quin ego, si quis eorum nomine ad me veniat, facillimè pacem illam, cuius summam Dominatio Vestra, seu potius primum Caput, de mutua nempe caritate, ac iniuriarum memoria delenda paucis ei tunc indicauerat, essem amplexurus. Addebat autem gaudere se plurimum eosdem Sacerdotes iam animum induxisse vt nos admittere velint; quoniam de pace quidem, sed à qua nos omnino excludi oporteret, sæpius actitatum esse certâ famâ audierat. Nec dubitabat istam consilij mutationem Dominationis V. pio studio quo fertur pacis inter omnes conciliandæ tribuere. Quæ P. Robertum omnia narrantem libenter audiui, de pace enim non nisi gratus sermo esse potest. Quare ab eo tempore animum nuncij expectatione suspensum tenui, ex quo certo pacis capita, quidque à me exigeretur cognoscerem. Verum cum iam diesipsi octo effluxerint, nec quidquam ab ijs à quibus maximè sperabam audiam: Audiam autem ab alijs omnibus plurima, statui mecum ipse amplius expectandum non esse, sed assensum meum scripto similiter explicandum, quem vnà cum hisce literis Dominationi Vestræ transmitto: quo cùm Dominatio Vestra tum alij omnes videant quam libens ego pacem cum reliquo Clero amplectar, studiumque omne in publicum commodum etiam vltro conferam. Pauca tamen hic habeo mantissæ loco de hac pace dicenda; quæ vti nec in publico Instrumento ponenda, ita neque hic omittenda esse decreui. Primum itaque mirari satis non possum tam solemnem institutam esse pacis tractationem de rebus huiusmodi, scilicet de bono publico ita vniuersè promouendo, de caritate fouenda, de Pontifice non decipiendo, Regisque honore non lædendo, de quibus nulla fuit inter quosuis vnquam aut esse potuit discrepantia.

Deinde quamuis Pacem hanc amplectamur, nè pacem videamur negligere, at non tam facilè amplecti possumus id quod statuitur de conueniendo singulis trimestribus, aut etiam sæpius, tametsi forte videremur inuitandi. Nam cætus eiusmodi, præsertim frequentes, cùm alibi, tum hic maximè suas habent difficultates. Tandem quoniam Sacerdotes seculares se conuenire dicunt pro parte & nomine Episcopi Chalcedonensis, quo videntur eidem R.D. nonnihil adhuc iuris in Anglia tribuere, sibique etiam reseruare, de hoc, sicut etiã de potestate paciscendi huiusmodi in rebus, quam vel vnà cum ipso, vel seorsum habeant, illud solum moneo me nihil eorum auctoritati aut additum aut detractum hoc meo facto velle, sed omnia integre suæ Sanctitati, in cuius manu iam sunt, relinquere. Vt autem Deus nobis suam pacem largiatur ex animo precor. Meque ita Dominationi Vestræ suisque Sanctis precibus humiliter commendo. Datum Londini, die 25. Nouembris Anno 1635.

Admodum Reuerendæ D. V.

Seruus in Christo

Richardus Blondus.

Ad

Ad quæ Gregorius in hæc verba. Admodum Reuerende Domine. 1635.

ACcepi à P. Roberto Epistolam Dominationis Vestræ in qua se exhibet promptissimam ad amplectendam pacem & concordiam; imo referens summatim tenorem eorum capitum Concordiæ initæ inter Sacerdotes seculares, & reliquos Regulares, quæ aliorum relatione acceperat, illa vltro recipit: sed quia non omnia Capita Concordiæ fuerunt ad amussim Dominationi Vestræ relata, & in sua Epistola ad me transmissa notauit quasdã difficultates circa Concordiam initam; ideo mitto ad D. V. integrum & sincerum exemplar dictæ Concordiæ initæ & subscriptæ, necnon aliquorum capitum seorsim scripto firmatorum, sed ore tenus tantum approbatorum; vt possit ea omnia diligenter considerare, & agere cum Presbyteris secularibus vt alij Regulares fecerunt, ortasque difficultates discutere, ad hoc vt tandem, Deo fauente, omnium Sacerdotum in Anglia, sit cor vnum & anima vna, sublata omni offensione, eiusque recordatione. Quod ad me attinet, sicut alijs omnibus dixi, sic etiam D. V. dico me veram pacem & concordiam expetere; de conditionibus vero nec egisse, nec agere velle, quia impossibile mihi, aut saltem difficillimum esset, de ijs tractare sine aliquorum offensione. Et me vestris Sanctis Sacrificijs & orationibus humiliter commendo. Datum Londini die 28. Nouembris 1635. Stylo veteri.

Admodum Reuerendæ Dominationis Vestræ.

Seruus in Christo.

Gregorius Panzanus.

Et verso folio. Promittunt deputati Regularium

Ordinum; quod neque per se neque per fratres suos, directe, vel indirectè, ab hac hora in posterum, se opponent Episcopali auctoritati stabiliendæ in Anglia; neque impedient Episcopum, vel Episcopos ibidem stabilitos vel stabiliendos, quo minus liberè & pacificè fruantur & exerceant quæcumque iura, priuilegia & facultates ipsis à sede Apostolica concessas.

Promittunt deputati Cleri secularis, quod neque per se, neque per Episcopos in Anglia stabilitos vel stabiliendos directè vel indirectè impedient prædictos Regulares quo minus pacificè & liberè fruantur & exerceant quecunq, iura priuilegia & facultates ipsis à sede Apostolica concessas, sub suis, vt hactenus, Superioribus.

Item promittitur ex vtraque parte quod quamprimum Clerus secularis Superiorem immediatum habuerit residentem in Anglia, tractabitur de magis specialibus vnionis & Concordiæ conditionibus Hæc. Gregorius.

1635. XVIII. Cui demum Blondus ista reposuit.

Admodum Reuerende Domine. Redditæ mihi sunt literæ D. V. datæ 28. Nouembris, cum exemplari Concordiæ inter Sacerdotes seculares & Regulares initæ, & subscriptæ, necnon aliquorum Capitum scripto firmatorum (vt loquitur D. V.) sed ore tenus approbatorum, quæ ideo se mittere dicit quò diligenter considerem, & agam cum Præsbyteris secularibus vt alij Regulares fecerunt, ortasque difficultates discutiam, & hoc vt tandem, Deo fauente, omnium Sacerdotum in Anglia sit cor vnum, & anima vna, sublata omni offensione, eiusque recordatione. Vt morem itaque gererem D. V. diligenter omnia consideraui, dedique & dabo operam, vt quantum in me erit, optata pax consequatur, quò sublatâ omni offensione simus omnes cor vnum & anima vna.

Ad hoc autem nulla mihi expeditior videtur via, quàm vt seruemus omnes Breue Sanctissimi D. N. D. *Vrbani.* PP. 8. quod incipit, *Britannia*, datum die nono mensis Maij Anno Domini 1631. quo sua Sanctitas omnes & singulas controuersias, atque alias quascunque inter Chalcedonensem Episcopum & Regulares Sacerdotes Missionarios, & Catholicos Laicos Angliæ, quocunque titulo aut prætextu exortas, motas aut agitatas, perinde ac si nominatim singulæ fuissent expressæ, sedari, supprimi, & extingui voluit, sicut & per illas ipsas literas sedauit, suppressit, & extinxit; & Vniuersis sub pæna Excommunicationis latæ sententiæ præcipit nè vlterius præterquam apud sedem Apostolicam eædem quacunque ratione nutrirentur aut fouerentur. Quibus nihil salubrius, nihil ad pacem aptius excogitari potuit. Longè itaque meo iudicio latius erit vt omnes præcepto tam graui humiliter obtemperemus, quam vt inter nos conuenientes, quæ hisce tribus Capitibus continentur, discutiamus. Nam vt omittam contentionis flammam ex huiusmodi disceptationibus facilius excitari quàm sopiri, non video qua ratione possimus Nos priuatim his de rebus statuere, cum sua Sanctitas eodem suo Breui definitionem tam horum quam aliorum omnium ad dictas Controuersias quoquo modo spectantium ad suam cognitionem & iudicium pertinere decreuerit, vt acceptis vtrimque informationibus, & momentis rationum vtriusque partis æqua lance perpensis, pro paterna sua & pastorali solicitudine, ex singulari in Catholicos Anglos propensione, id demum statuat quod tum ad bonum Religionis Catholicæ, tum ad pacem firmandam augendamque melius, opportunius, & efficacius iudicauerit. Quod sane iudicium decretumque dum feretur, æquanimiter expectare, eique parere omnes decet. Ex his igitur videt spero D. V. opus non esse, vt ego cum Presbyteris secularibus his de rebus coram agam, vt omittam dicere, eos idipsum cupere non videri,

Similia præcepit Paulus 5. prohibens notas conditiones pacis iniri ipso inscio.

De capitibus porro ipsis, paucis dico, Nos nihil contra hactenus feciſſe aut deinceps facturos. Episcopali enim auctoritati stabiliendæ nemo nostrorum vnquã se opposuit; sed vel rogati à quibus oportuit, sententiam

diximus

diximus; vel necessitate quadam coacti quæ opus esse videbantur ad fidem 1635.
sedisque Apostolicæ dignitatem sartam conseruandam scripsimus, quæ nemo iure vitio nobis vertat. Nec moræ fuimus olim Episcopo Chalcedonensi, aut posthac erimus cuiquam quo minus quidquid potestatis à sede Apostolica acceperit liberè exerceat.

Quod promittunt seculares in secundo capite se permissuros vt Regulares suis vicissim facultatibus fruantur, id sanè rectè fecerint, atque ex mente & mandato sedis Apostolicæ in Breui iam dicto.

Quod tandem tertio Capite dicunt, tractandum esse de magis specialibus conditionibus vnionis, quàm primùm Clerus secularis Superiorem immediatum habuerit; hoc sanè superuacaneum in præsens videri possit, cùm sit omnino verosimile sedem Apostolicam, si quid magis speciale opus fuerit quàm iam statutum est in Breui sæpius dicto, id pressiùs posituram, & rationem inturâ quâ quisque sciat quid ad suum munus spectet, idq; seruet; ex quo vno pax firma consequetur: Neque his amplius opus hoc tempore credo erit. Sicque me suis sanctis precibus commendo. Datum Londini 4. Decembris 1635.

Admodum Reuerendæ Dominationis Vestræ.

Seruus in Christo.

Richardus. Blondus.

HÆ vltro citroque datæ sunt literæ: Atque vt nulla nota patensue causa fuit huius nouæ conuentionis, ita in auras simul atque nata est abijt, neque cuiquam aut vtilitatis quidpiam attulit aut detrimenti; Et ego nulla eam dignam memoria existimassem, nisi ea quæ *Blondum* ad publicam Innocentiæ nostræ attestationem impulerunt, eadem momenti plurimum haberent ad famam Societatis integram in futuro tempore conseruandam. Nunquam enim deerunt qui eius infirmandæ prurigine, infirmissima etiam quæque apud præteritarum rerum ignaros vndecunque conquisita exaggerent.

XIX. Et si vero ad annum trigesimũ quintum ista pertineant, præteriri tamen non debent initia trigesimi quarti felici exitu illustrata *Andreæ VVilsoni*, in Societate *Iesu* Scholastici (vt vocamus) approbati. Hic anno seculi vigesimo sexto, ætatis decimo sexto admissus, post humaniora Audomari, Philosophica Leodij decursa, febri lenta confectus, & ad ineundum æternitatis iter sacro pane secundò per modum viatici recreatus, innocentem Conditori animam quietè tranquilleque reddidit, quinto Ianuarij: Erant in illo dum viueret, Sanctitatis quædam diuinique fauoris indicia non mediocria, in morte tamen illustre quiddam atque eximium enituit; totoque ægritudinis tempore ad extremum vsque spiritum patien-

Andreæ VVilsoni virtutes & exitus felix

1635. patientiâ tam singulari, tam perfectâ cum diuina voluntate consensione, animi tam solidâ demissione, obedientiâ tam accurata, tam arctâ cum Deo coniunctione, precibus tam frequentibus tantoque ardore fusis, vultus denique sermonisque tam serena alacritate omnium animos oculosque occupauit, vt vix quidquam perfectius aut absolutum magis videre se posse arbitrarẽtur. Ad quem temporis operisque articulum diuina eum benignitas trium annorum decursu cælitus immissis luminibus ita præmuniuit vt hos annos cum anteactis conferens non solum extollendæ diuinæ bonitatis nullum finem faceret, sed Sanctos Angelos creaturasque omnes frequentissimè inuitaret vt suo Deum nomine laudarent, quòd cum potuisset vitam abrupisse quando languebat ad omnia tardior animus, nunc ad se vocaret cùm ferueret magis; neque enim suo hortulo deberi hos aiebat flores, sed vnius Dei nutu plantatos excreuisse.

Tres virtutum eius fontes.

Tres verò præcipuè fontes numerari possunt ex quibus hæc tanta mutatio duxit originem & progressum. Primus: Lux diuina qua ante triennium perfusus animus auream illam veritatem ex Thomæ à Kempis libello depromptam penitus imbibit, tenuitq; charactere impressam indelebili. *Mihi igitur iustè debetur confusio & contemptus, Tibi vero laus, honor, & gloria:* Quo ex lumine tantam hausit diuinæ magnitudinis, sui; nihili cognitionẽ vt omni humanæ gloriæ aut existimationis cupiditate extincta nihil præter sui contemptũ despicientiamq; meditaretur. In humanioribus literis inter condiscipulos primas fere semper tenuerat, in latinis & græcis egregiè doctus, in Philosophicis deinde hebes & tardus, non leuiter cruciabatur animo, donec malo huic facta est ex illa sententia medicina, cum cerneret omnẽ illam animi perturbationem atq; inquietudinẽ ex eo prouenire quod non tam Dei quam suum ipsius honorem ambiret, quando è contrario contemptus sibi & confusio expetenda esset, maximè si inde Deo honor accresceret & gloria; neque enim in Dei conspectu deteriorem se esse quod ab hominibus despiceretur, meliorem potius & glorioſiorem si hoc pacto factoris sui nomen & laudem promoueret. Quare Gymnasium aditurus, seu exercitium quodcunque Scholasticum aggressurus hac prece muniebat se, " Domine, si vis me esse stupidum, sis benedictus.) & quamuis ex disputationibus aliud fere nihil reportaturũ se prouideret præter confusionem, proponere tamen & primum syllogismum tanta alacritate efferre solebat & feruore, tanquam si difficultatem esset maximam respondenti allaturus, quam deinde nouis stabilire rationibus aut vlterius prouehere non pòterat. Tum verò plausum se abstuliſſe maximum iudicabat quando sui despectionem lætus & hilaris tolerabat; & exultabundus eandem repetebat variabatq; sententiam." Glorificeris tu, contemnar ego, Ego sicut lutum platearum conculcer, Tu exalteris &c.

Lib. 3. c. 14.

Alter virtutis fons cura minimorum.

Alterum quod ad vltimam vitæ periodum feliciter terminandã illum conduxit, fuit cura minimorum, quandoquidem nihil paruum existimabat quod ex regulæ præscripto fieret, vt quo rei tantæ quanta est regnum Cœlorum compo-

compotem se fieri posse sperabat. Rogatusque, cum esset in extremis, quid de hac minimorum cura sentiret, quamque grata esset Deo in paruis mortificatio." Est, inquit, perquam gratissima, & maius est sacrificium eijcere è cubiculo omnia superflua quàm alia multa quæ apparent grandiora. Vt verò virtutis huius fastigium obtineret, vnum aliquem ex spiritualibus amicis rogabat, si eum amaret, id porro demonstraret explendo partes fidelis monitoris, quem & *Paternum amicum* nuncupabat, ad illud alludens vocabulum quod seruus quidam sibi à Philippo Macedone deberi clamauerat, quoniam eum, tantum virum, non dubitarat his verbis; commonere, *Compone vestem, indecenter sedes.* Neque facilè dici potest quàm grato hic animo prosequebatur quemcunque qui defectum leuissimum indicaret, retinebatque apud se indicem earum culparum de quibus fuisset commonitus, scriptum tamen Græcè per modum præcepti, nè cuilibet obuium esset intelligere quid ea in re ageret. Obtinuit æger à Prouinciali, vt suo nomine, chartam vnam signaret tradendam Rectori, alteram ministro quibus imperabatur vt *Andreæ VVilsono* seriò inuigilarent quo se pacto gereret, neq; in erratis conniuerent, sed delinquentem pœnis etiam impositis ad officium reuocarent. Vt verò in amouendis à se leuissimis labeculis erat diligentissimus, ita non minus se præbebat sollicitum ne similes illi adhæresceret à quo erat ipse admonendus, sed mutuæ caritatis rependebat officium. Contigit vt ex istis vnus eximiam aliquando parentum suorum virtutem commendaret; quam eorum laudem ne in suam ipsius commendationem trahere videretur cauendum suggerebat *Andreas.* Alius cum Superiore pluribus egerat vt infirmo de nocte assideret vigil; quâ in propositione duo redarguebat; primò affectum nimium in creaturam naturâ contemptibilem; deinde importunitatem; "Neque enim inquit, eò est vnquam adigendus Superior vt sui rationem decreti exponere cogatur, sed simpliciter obediẽdum, acquiescendumque, meminisseque nos debere trium, quæ breuitatis & memoriæ causa tribus his signabat verbis *Ego: Cur: Non. Ego:* vt ostenderet promptitudinem, exemplo Prophetæ dicentis, *Ecce Ego. Cur?* vt meminisset cuius rei causâ statum Religiosum amplexus esset. *Non* verò dicendum ad omnia quæ contra rationes quascunque æternas se obiecissent, de se præterea suisque rebus parcè loquendum; vitandas esse de rebus curiosis quæstiones; vitandam cõtentionem. 1635.

XX. In id denique incubuit diligenter vt in omni congressu colloquioque non nisi de Deo diuinisque rebus loqueretur; quod tertium est quo spirituale ædificium in se atque in alijs studebat cum Dei gloria promouere: præstititque tanta cùm rerum, tum sententiarum, narrationumque varietate vt iucunda omnibus, nemini eius esset molesta societas. Mane inter orandum precabatur Deum, vt quo tempore mutuis colloquijs laxandus erat animus in eos sodales posset incidere, quorum sermone in Dei amorem vehe- "Tertius" fons. Colloquia spiritualia.

1635. mentius accenderetur; quod vt optatis responderet, non libenter se circulis ingerebat, sed paucis adiunctis ambulabat sedebatúe seorsum; ita enim si sermo non esset spiritualis nemini aiebat extra se adscribi posse culpam. Huiusmodi verò colloquia, & in itineribus flaccescentem, & ægritudinibus debilitatum recreabant restituebantq; & linguam, quam à natura habebat impediorem, soluebat vt nè verbo hæsitaret. Quò verò plus efficacitatis haberet sermo vtebatur industriâ quam puer à quodam suo Audomari Magistro se accepisse dicebat, vt quoties aliquid esset cum quoquam tractaturus, suum supplex precaretur Tutelarem Angelum vti cum alterius Angelo agens, viam præmuniret negotio prosperè conficiendo; quod pietatis genus sæpius illi ex animi sententia successit, cumque ex morbo affligeretur lecto nihil se causæ reperire affirmabat cur suam quisque operam adeò promptè exhiberet, quâ excubando, quâ iuuando, quâ sermones conferendo præterquam quod ab Angelo suo Custode aliorum Angeli permouerentur vt clientes suos propensos redderent & expeditos.

Angelum præsidium inuocandum

XXI. Fractis demum penitusque collapsis viribus cum Medicus clarè pronunciasset nullam superesse prorogandæ vitæ spem, gratijs de optatissimo nuncio actis Deo primùm tum ipsi Medico, quod erat reliquum ad hebdomadas aliquot protractum spatium ita totum rebus diuinis impendit, vt nè verbum elabi sineret quod ad mortem religiosè sancteque obeundam non spectaret: facultatemque sibi concedi petierit, vt si quis in valetudinario de alio quouis negotio quantumuis honesto tractaret, liceret monere, sibi modò mortem esse præ foribus, sua non interesse aliarum rerum notitiam cogitationemúe quàm quæ ad æternitatem pertinerent. Ingrauescentibus doloribus illud per horas singulas ad extremum vsq; diem vsurpabat *Auge Domine dolorem, auge patientiam*, tantâ tum alacritate tum frequentiâ vt per totum Seminarium peruulgato exemplo infirmus in alio valetudinario puer eâdem se solaretur recrearetque sententia. Ipse vero diuinam laudabat bonitatem quod dolores tam acerbos infligeret, repetebatque frequenter, Domi. si vis me hac Epiphora, in hac tabe & imbecilitate, in hac febri manere ad sex dies, ad sex menses, ad sex annos, ad sexaginta, ad sexcentas myriadas myriadũ sis benedictus, sis benedictus, sis benedictus.) Nimirum his murum se illum transgredi posse sperabat, quem illo Psalmi versu significari intelligebat. *In Deo meo transgrediar murum*; purgatorios videlicet ignes, quos legerat tanquam murum interiacere Deum inter & animas vitâ hac functos; per frusta enim & fragmenta paulatim deijci post mortem Ecclesiæ iuuantibus suffragijs & precibus; integrum autem deturbari vnâ doloris in hac vita patienter tolerati perpessione. Ad fiduciam deinde in Deum illo se excitabat Psalmistæ versiculo; *Dominus salus mea, quem timebo, Dominus Protector vitæ meæ* spiritualis & corporalis, *à quo trepidabo?* & illo, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.* Certò enim sibi persuadebat, Deum qui illum in vberrimis Societatis Filij sui pascuis hic collo-

Præparat se ad mortem vicinam.

collocasset, in Cœlestibus etiam collocaturum. Inter molestias, quas to- 1635.
lerabat nulla ei grauior quam tussis fuit quâ tam violenter concutiebatur vt facies illi corpusque sudore manaret, intumescerent venæ, humorum defluxione prope intercluderetur spiritus; nè igitur accessu aliquo repentino abriperetur deficientibus indies viribus, dies Sancto Stephano protomartyri sacer delectus est quo Sacrosancti Corporis Christi viatico, sacroque oleo, ad extremam luctam communiretur. Ad tam Sancta Mysteria ritè suscipienda per totius vitæ exhomologesim se expiare desiderans, bis eandem repetijt ad ma orem verecundiam doloremque excitandum, circumstantijs singulis insistens, eo animi pœnitentis sensu quem illum concepisse par est existimare qui & offensam minimam horreret, & diuinam Majestatem impensè diligeret. Tum prælegi sibi voluit ex Rituali illa quæ in horum vsu Sacramentorum atque administratione sunt solemnia, & alta voce, succinctè tamen & cum tenero erga Deum affectu Fidei, Spei, & Charitatis designatos articulos pronunciauit; deinde vbi culpam dixisset, ad eum fere modum quo Societas vtitur, nisi quod verba quædam ad sui maiorem confusionem adiungeret, professus est mori se filium Societatis, gratias diuinæ benignitati immensas agens cuius singulari prouidentia ad hoc Institutum vocatus, & in eo ad eum vsque diem conseruatus esset. Quò verò gratia Vnctionis sacræ in animam affluentior redundaret, ex libro Bellarmini Cardinalis de Arte bene moriendi illa recenseri desiderauit quæ eo pertinerent; dein Caput de Tentationibus percurri; "Tres enim, inquit, sunt anni ex quo nullis aut scrupulis aut tentationibus vexor; sumenda mihi proinde nunc sunt contra inimicum arma, qui haud dubiè præterire sine pugna vltimam hanc horam non patietur.) Consultius tamen visum est illud omittere cùm nemo vereretur quin benignissimus Deus qui telam beneficiorum tantam orsus erat eandem esset ad sempiternam suam gloriam pertexturus. Eius igitur capituli loco reuocari sibi in memoriam rogauit exemplo Sancti Richardi Ciceſtrẽsis Episcopi illud Hymni Ecclesiastici, *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe:* Enimuero secundum Deum, in illa spes omnes opesque suas repositas habebat; illam expectabat in omni articulo adiutricem; illius quotidie matutinis horis, tanquam Matris, flagitabat benedictionem, repetita etiam oratione qua Parthenij Sodales profitentur futuros se eius seruos perpetuos, atque vicissim rogant nè suos in hora mortis deserat.

Munitur Sacramentis.

XXII. Quæ ad res diuinas spectabant varij varia pro suo quisque sensu afferebant in medium, quæ tamen velocem ex hac vita decessionem innuebant gratissima illius auribus accidebant: curam enim cogitationemque omnem ad illud punctum temporis ritè transigendum retulerat: nam de corporis sepultura cùm fortè esset sermo, "Meâ, inquit, hoc parum interest; in sterquilinium, si vultis, proijcite, modo animæ bene sit.) Prope-

1635. remus in Cœlum; de hoc itinere quidquid dicetur non facile fallet aures quantumuis demissa voce efferatur; Et ego cùm nouus hospes in cœlum ingrediar, non timebo raucedinem, neque verecundabor voce quàm potero altissima canere, Sanctus, Sanctus, Sanctus.) Sæpe Alumni, sæpe etiam Nostri rogabant, eorũ vt memor esse vellet, cùm in diuinum esset conspectum admittendus: Ille vero summâ cum fiducia & alacritate, pro eo quo semper vtebatur candore animi, eorum se postulatis non defuturum libenter & prolixè promittebat: aliquando tamen nonnihil veritus nè audacior aut plus æquo fidens videretur, cùm Confessarium super ea re consuluisset; " Animo tamẽ meo, inquit, nihil occurrit, vnde meritò vereri possim nè eorum quæ dixi veritas re ipsa comprobanda sit.) Proposito Sancti Patris *Ignatij* exemplo, cui viuere magis in optatis fuit vt cum meritorum cumulo pateretur, quam mori, vt cum gloria in Cœlum subito euolaret, " Et mihi, inquit, si vita proroganda esset hoc vnum ad solatium reliquum foret, pati, & mereri. Duo tamen sunt quibus penitus inducor vt mortem potius expetam, quam diuturniorem isthic vitam; Primùm quòd ex hac vita abeunte me, ex eorum numero qui peccando diuinam lædunt Majestatem vnus saltem demendus sit; Alterum, quòd ad eorum numerum qui eandem Majestatem æternum sunt laudaturi vnus sit adijciendus.) Itaq; brachia exarescentia intuens congratulabatur sibi, aliosque rogabat vti gratias agerent Deo, quod consumptâ carne vicinior Cælo esse videretur: patientiâ interim singulari aperiens sibi viã; nam perpetuò decumbenti abrasâ pluribus in locis cute quoties se mouebat recrudescebant vulnera, nullâ tamen ratione induci potuit vt ea Medico ostenderentur, & tanquam leue quiddam, & tolerabile contemnebat; & dolorem lateris quem habebat vehementem, tanquam thesaurum in agro absconditum reticebat, Christi similitudine se consolans; cuius etiam intuitu acetum sorbillando quo fauces humectarentur, " Quam benè, inquit, mihi istud saperet si paululum fellis mixtum haberet!) & cùm sermo forte esset illatus de vita & morte, deque duplici corona Sanctæ Virgini Catharinæ Senensi proposita: " Ego enimuero, ait, ad omnem diuinæ voluntatis nutum me libenter accommodo; si tamen spinea corona mihi offerretur, illam profectò conarer arripere; & familiariter dicenti cuidam, Deum his eius doloribus plurimum recreari: " Itane vero; ? inquit, : Næ ille quamdiu ego vixero, si per me quidem steterit, hac sua recreatione carebit nunquam.) Et erat quoddam medicamenti genus à quo naturâ multum abhorrebat, quo & libenter vtebatur, & quanquam nihil inde se commodi percipere arbitraretur, perseuerabat tamen vti, expertus quod ad suauitatem non valuit, id ad sui victoriam plurimum valuisse. Si verò vel leuissimum impatientię signum edidisset, pænæ loco semel saltem salutationem Angelicam pronunciare nũquam prætermisit. Neque ex eorum erat numero qui, (vt loquitur Magnus Gregorius) Remunerationis linteo sudores suos tergere solent; Nam cùm quidam recitato illo Psalmi versu, *Benigne fac Domine, in bona voluntate tua Sion,*

Duo qnæ eum ad mortem potius quã vitam optandam vocabant.

tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem, lapidem electum aliquando ipsum futurum innuisset Cælestis Hierusalem; "Licet nunquam, inquit, perueniam ad Cœlum, modò te Deus glorificem, fiat voluntas tua.) Et, "Pone me vbi vis, age mecum liberè in omnibus; fiat, fiat, liberrimè, integerrimè, exactissimè. 1635.

XXII. Vltimis vitæ horis, cùm iam præ debilitate vix loqui posset, prælegi sibi curauit Orationem illam Christi Domini quâ Apostolis valedicturus Patrem æternum precatus est; Et integram quidem sitientibus audiuit auribus, ad illa tamen potissimum verba adijciens animum *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi mecum sint, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* "Hoc nobis (inquit) vsquequaque conuenire videtur; extra autem hoc quid est quod meâ refert? die Dominico (qui dies fuit illi supremus) cùm post duodecimam noctis, horâ non animaduersâ, ad subleuandam tussis molestiam paululum syrupi accepisset, re compertâ, non mediocri affligebatur dolore quòd panis Angelici sumendi opportunitate carendum ei esset. Et Rector quidem, qui illi de nocte adfuerat, optimum duxit eo illum impellere, vt exutâ propriâ voluntate, diuinæ acquiesceret, quò Christum imitaretur propius, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, & in ipsis mortis angustijs deseri se quodammodo ab æterno Patre passus est; neque longo opus fuit verborum circuitu ad persuadendum; illico enim "Domine, inquit, si vis me non communicare, sis benedictus.) & alios alijs conformitatis amorisque in Christum patientem actibus actus innectens, ijs fere verbis quæ in diuino officio sacro Paraskeues die vsurpantur *Ego propter te flagellaui Aegyptum* &c Christi seruatoris benignitatem summis laudibus efferebat, qui sibi immerenti adeò fuisset propitius: Atque vt in Domini sui passionum aliquam saltem partem veniret, à Rectore petijt vt adhibita alterius opera, cum sibi vires non essent, flagellis in se animaduerteretur. Perspectâ hac mentis æquitate, bono iussus est esse animo; non enim priuandum esse eo quod tantopere optabat sacræ Communionis solatio. Dici facilè non potest quantis ad nuncium optatissimum incesserit lætitijs: quicunq; eum inuisebat, hunc rogabat sibi vt congratularetur: & nè qua deesset non animi modò sed corporis mundities, manus ac pedes lauari, indusium & cætera voluit habere recentia, humi denique in strato vimineo collocari, vti humilis Domini Sacratissimum corpus, quâ posset submissione susciperet; datoque ad recollectionem aliquanto spatio in priorem lectum impositus, inter suauissima *Iesu* & *Mariæ* nomina, & illud vsitatum *fiat voluntas tua*, precumque præsidia quæ in commendatione animæ dici solent, spiritum Deo reddidit, exemplo futurus quàm expetenda res sit ijs præsidijs munitum ex hac vita decedere quæ Religioso in statu perseueranti deesse non possunt.

Oratione plurimum delectatur quam Christus valedicens suis vsurpauit.

Sanctissimæ Eucharistiæ sumendæ desiderium.

XXIV. *Blondus* interea septuagenario maior cum *Mutio* Generali agebat de officij sarcinâ deponenda, quam quintumdecimum iam annum

1635. summâ cum laude sua & Societatis incremento gestauerat; impetrataque dimissione, inter priuata virtutis exercitia animum applicuit ad affines suos, si quos posset, in viam ab hæresi traducendos. In multis enim prolibus ipse solus & vna soror fidem Catholicam fuerant amplexi. Fratri præsertim viro Equestri & opulento, Londino non procul habitanti, suisque ex illo nepotibus, hanc optabat precabaturque felicitatem. Ea propter impunitatem à legibus in Sacerdotes latis, condonationemque ostendebat, quam Rex Carolus amplissimis literis concesserat: Tum etiam vt vbi liberet liceret commorari. Vt tamen ad colloquium à fratre admitteretur exorare nunquam potuit. Etsi enim aliàs sæpius id ille non refugerat quando maius à legibus impendebat periculum: nunc importunitate precesue nulla induci potuit ad congressum; seu illum senilis ætas meticulosior deterrebat; seu in hæresi animus quàm antea obduratior, seu, vt est auara senectus, timor nè in fratrem sumptum facere cogeretur, quo certè *Blondus* non egebat, neque si eguisset optasset. Illa itaque spe deiectus, se totum sibi seruabat, nisi cum in absentia per Belgium noui Prouincialis, huius vicem obire rogaretur. Ab eo tempore duos annos durauit incolumis; sub finem deinde quadragesimæ humore ex capite in dextrum latus defluente iacuit ad tres quatuorue dies vsu etiam linguæ impedito: tum naturâ quasi expergiscente ingrediendi & loquendi facultatibus restitutis, alterâ Pentetostes, calculi doloribus oppressus & lethargo ætatem longæuam magnis cumulatam meritis, & omni Ecclesiæ Sanctæ subsidio communitam exegit maturam æternitati: Sepultusque est solemni ceremonia apud PP. Capucinos, tunc temporis Reginæ gratiâ Londini commorantes. Vir cuius & animi vires erant illustres, & congruentissima corporis temperatio, vt illæ nullo concitatiori affectu aut casu repentino turbarentur; hæc vix vllo vnquam morbo tentata fuerit; Qui cùm vigiliarum laborumque patientissimus esset, comitate atque affabilitate nulli secundus, prudentiâ & consilio singularis, summis æque atq; infimis gratissimus, omnium animos facilè sibi conciliabat, & quod Collegijs in Anglia erectis ad fundationem deerat ex collectis sua industria eleemosynis suppleuit, altera post *Personium* Missionis & Prouinciæ columna. Cuius vt memoria non perpetua modò sed in futurum tempus proficua sit hic adnectenda duxi quæ ab illo accepi præcepta ad vtiliter Missionem Anglicanam peragendam. Sic enim scriptum reperio.

Blondus impetrata dimissione applicat se frustra ad affines in Ecclesiam aggregandos.

Tangitur Apoplexia

Eius virtutes.

Monita ab eo relicta.

XXV. Cum vos, Patres mei, intueor qui in Anglia & qui in Belgio statis ad messem Domini accincti, & simul mente verso quæ & quanta Prouincia mihi imbecilli à tot iam retro annis incubuit, non possum non vehementi affectu diuinæ bonitati gratias agere quæ largitate donorum suorum vos tam affluenter cumulauit vt non parua oneris parte me semper leuatum esse fateri debeam ipsius inprimis gratiâ, & vestrâ deinde coadiuuante virtute. Quæ res impulit me hoc tempore vt vobis etiam gratias agam, & ad omnem in Domino sollicitudinem adhorter, quo tam vberi gratiæ Deo, vt cæpistis, constanter respondeatis,

Atque

Atque inprimis vt vnius Dei gloriam habeatis semper ob oculos cuius tum Sanctus P. N. *Ignatius* in singulis prope Capitibus suarum Constitutionum nos admonet; tum res ipsa docet quidquid alio fine suscipiatur in perturbationem aut fumum desinere. Et quidem si ad finem qui in Missione nostra in Angliam spectari debet aduertamus animum, (qui communi fini Societatis est, vt sic dicam, subalternus) quid obsecro sperari poterit, si quis vel desiderio videndę postliminio patriæ, vel propinquorum affectui, vel tædio (quod absit) Collegialis obseruantiæ indulgens, vel inconstantia animi abductus, vel alio denique parum solido prætextu eam ambiat aut procuret? Etenim Missio nostra si rem penitus introspiciamus, difficultatibus & laboribus plena est; si variarum personarum consortia, abundat periculis; si quotidianas diuini obsequij occasiones, immensi seges est meriti, vt tantæ rei siniſtram aliquam animi affectionem admiscere neque tutum omnino sit, & homine Societatis indignum. Et ex aduerso pusilli animi, eam vel otij vel reliquorum cōmodorum causà detrectare. Itaque quas duas virtutes S. P. N. *Ignatius* vbique coniunctas esse vult, Animi scilicet Magnitudinem atque Indifferentiam, eas profecto comparare sibi quisque debet qui huic Missioni deseruit. Animi Magnitudo diuinam Gloriam in omnibus respicit; ad omnia huius gloriæ studio se extendit; hanc gloriā inscriptam quæ non præferunt vt se indigna aspernatur. Indifferentia eidem diuinæ gloriæ varia meditantes attemperat, neque extra terminos vagari sinit. Sed cum eandem gloriam, quam vos quæritis, multò ardentius Deus ipse prosequatur, tum certius meliusque vestrâ operâ in ea amplificanda vtetur, ac longius recto itinere prouehet, cùm, quasi positis ventis, suauem hanc atque æquabilem animi dispositionem indueritis, & zelo miscueritis indifferentiam. Quæ ratio est cur idem S. Pater Noster fundamento spiritualium suorum Exercitiorum has vtrasque virtutes intexuerit; quo intelligatis eas ad ipsam basim spiritualis cuiuscunque ædificij omnino pertinere, quâ concussa ædificium nutet, sublatâ, corruat. Itaque sicut Fundamenti solidè collocandi atque illibati semper conseruandi non potest esse nimia cura; ita cùm initio suscipitis cogitationem huius Missionis aut petendæ aut obeundæ, ac deinde toto eiusdem progressu atque decursu, vnam diuinam gloriam præ oculis habentes, Indifferentiæ ad Missionem ipsam, ad loca, ad tempora, ad personas, ad occupationes, & quæuis alia per quæ ipsa diuina gloria à vobis procuranda sit, nunquam vos contingat obliuisci; quo eidem Deo cuius gloriam quæritis inueniamini semper subiecti; & tanto fidētius ad diuinam Majestatem in omnibus recurrere possitis, quanto vobismet ipsi concij estis vos ad particularia non nisi ipso impellente cucurrisse. Et sanè huic rei vnumquemque vestrum eò attentius inuigilare conuenit, quò Missio nostra in ipsis prope finibus, vt ita dicam, siniſtrarum Affectionum sita est. Non enim mittimur ad exteras Nationes, sed in Patriam, quæ vox vt gratum quiddam Naturæ sonat, ita Parentum, Fratrum, propinquorū, reliquorumq; cōmodorum memoriam reuocat, prouocat desiderium, & ipsa loci vicinitate

1635. Gloria Dei in omnibus quærenda.

Commendatur Indifferentia.

1635. importunius ingerit. Quanta igitur virtus vnijuscuiusq; esse debet quæ vim hãc sustineat, impetu naturæ repellat, & vel necessariorum fores in conspectu positas, vel cęteras terræ lacte & melle fluentis illecebras (donec Superiori visũ fuerit) patiatur esse intactas! Hanc virtutem Propheta vobis præcipuè cõmendat,

Ga. 28. 9. & in vobis laudat; *Quem docebit scientiam? quem intelligere faciet auditum! Ablactatos à lacte; auulsos ab vberibus:* Hæc scientia Sanctorum est; hæc laus quâ nulla præstantior; à gustato lacte natiuo, & à propè iam contactis vberibus non teneri. Quid in hac re vobis faciendum sit exemplo suo S. P. N. docuit, cùm in patriam proficisci necessarium illi fuit. Tum qua ratione id faciendũ & ad optatum finem facile perducendum sit sapienter præmonuit,

Ex. c. 3. 3 cùm omnes qui filiorum ipsius numero censeri cupiunt ipso in limine interrogatos vult. " Si quo tempore in difficultatem vel dubium aliquod incidant circa æs alienum, vel quod teneantur subuenire Parentibus vel cõsanguineis in spirituali, vel corporali, vel alia quauis temporali necessitate constitutis, eos inuisendo vel alia ratione; Num proprio sensu ac iudicio deposito, Conscientiæ vel iudicio Societatis, vel sui Superioris id velint relinquere, vt cum statuerit ille quod in Domino iustum esse senserit, ei acquiescant.) Quæ cautio nos præsertim tangit ne importunis desiderijs propinquos præ cæteris iuuandi aut visendi illecti, aut hoc vel illo loco quo natura impellat, aut humana ratio vocet, commorandi, incidamus in laqueum diaboli, & fontem diuinæ gloriæ riuulis carnalis affectus perturbemus. Quo spectat etiam illud

Const. p. 7 c. 2. 8. quod alio loco idem Sanctus Pater cauit his verbis vos alloquens; " Erit eius qui mittitur officium nulla ratione se ingerendo ad eundum vel manendum in hoc loco potius quam in illo plenam omnino ac liberam sui dispositionem Superiori qui eum Christi loco dirigit, ad ipsius maius obsequium ac laudem relinquere.) Et quoniam non ad nos ipsos solum hæc Indifferentia pertinet, sed ad alios quibuscum nobis necessitudo aliqua esse possit, prosequitur;

Ibidem & Ira. K. " Sic etiam vt alij maneant alicubi, vel aliò se conferant, nemo quoquo modo sine consensu Superioris sui procurare debet. Hinc planum fit prohiberi, ne quis Principem, vel communitatem, vel hominem quemuis magnæ auctoritatis adscribendum Superiori, vel verbo tenus petendum aliquem de Societate moueat, nisi prius cum superiore communicata re hanc esse ipsius voluntatem intellexerit.) quæ recitasse sufficiet.

Ad labores & difficultates paratus animus. XXVI. Assuefacite igitur animos vestros, Patres mei, cùm Angliam cogitatis, post diuinam gloriam, non commoda (quæ in Collegijs vir spiritualis multo plura inueniet) non oblectamenta variarum conuersationum, non pompam vestium, & cætera huiusmodi cogitare, quæ, vt parcè loquar, humilia sunt, & sæpe sæpius fallunt expectationem; sed labores, sed difficultates; quæ partim sunt internæ, in perpetua vigilantia sitæ, & abnegatione eorum quæ sensum acriter irritant; partim externæ: Nam in ipso statim ingressu in Angliam, cùm quis periculis carcerum diuina benignitate superatis in tutum euaserit, non possunt confestim suppeditari à Superioribus omnia

nia quæ cuipiam videbuntur necessaria ad vestitum, ad victum, ad iter, ad habitationem; Tum quando vt ferat occasio prouisum vobis de his fuerit, quoties accidet vt loci temperies, vt cibus, vt potus, vt cubiculum, vt personæ non sint vsquequaque constitutioni corporis aut animi vestri consentanea? Videbitur deinde sibi aliquis solitariè degere, neque fructu pro voto ac spe concepta de proximis potiri: Alius neque libros, neque tempus ad studia, vt optat, prosequenda, vel ad tempus ipsum fallendum sortietur. Hic meminisse quisque debet se virum præstare, & virum Societatis, Cuius est sub nomine Christi Iesu & Crucis vexillo militare; & quod de Sancta Cecilia canit Ecclesia, Deo Domino nostro tanquam apis argumentosa deseruire, quæ & de leonibus qui videbuntur fortasse esse in via, Agnos faciat, & mel profectus & consolationis spiritualis ex ipsis carduis & arduis petris sugat; Non facile conqueri; non remedium omne in loci permutatione ponere, sed *per patientiam & consolationem scripturarum spem habere. In baculo meo*, inquit, Iacob, *transiui Iordanem istum & nunc cum duabus turmis regredior.* Quid illas peperit? *Viginti annis fui tecum* (verba sunt eiusdem ad Laban) *die, nocturq; æstu vrgebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis; immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.* Quo prouentu? *Afflictionem meam, & laborem manuum mearum, respexit Dominus.* Ita est, Patres mei, *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Nolite itaque* (vt cum Apostolo prosequar) *amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem. Adhuc enim modicum aliquantulum* (breuis est enim hæc omnis vita) *qui venturus est* ad immensa vobis largienda præmia *veniet & non tardabit; Iustus autem meus ex fide viuit.* Illud autem quam durum? *Quod si subtraxerit se aliquis* per incredulitatem, diffidentiam, pusillanimitatem, *non placebit animæ meæ: Vos autem non estis subtractionis filij in perditionem sed fidei in acquisitionem animæ. Tentat vos Dominus Deus vester* (vt est apud Moysen.) *vt palam fiat vtrum diligatis eum, an non, ex toto corde & ex tota anima vestra.* Si vitam, si corporis totius, si membri cuiuslibet sanitatem, si commodam habitationem, si studia, si labores, si fructum, si otium, si quiduis denique aliud quod arrideat pro eius voluntate veraciter ponere statuistis, & (quod pro exiguo stipendio faciunt milites seculi) nulla occasione de statione decedere, priusquam idem ille qui vos in ea per manus Superioris collocauit inde auocet Deus, hæc sunt veri amoris argumenta; hæc sincera præludia ad futuros carceres quos expetitis, ad tormenta, ad mortem, vitam quam non potestis totam simul, per partes deponere; quem sanguinem ruptis venis non datur effundere, in ipsis venis, si necesse sit, prodigere. Non quod velim vos omnem curam abijcere agendi & proponendi quæ solatio futura existimabitis, sed nimiam importunamque solicitudinem præcidere, quam Constitutiones longissimè esse volunt ab vnoquoque Nostrûm, cùm ita monent. "Si experimento comperiretur aliquis ferre non posse alicuius regionis cœlum, & malè habere continenter

1635.

Ro. 15. 4.
Ge. 32. 10.
Ge. 31. 38.
Heb. 10. 36
Vid. Cornel. hic.
Deut. 13. 3
Const. p. 3. c. 2. lit. G.

1635. nenter cerneretur; Superiori considerandum relinquitur, num ille migrare aliò debeat, vbi melius habens corpore impensius diuino obsequio vacare possit. Non erit tamen ipsius infirmi huiusmodi mutationem postulare, nec animi propensionem ad eam ostendere, sed superioris curæ id relinquatur.) Quod ad cætera omnia etiam pertinere facile videtis. Itaque sumite animos quos oportet, & cum iam manum ad Aratrum (quod laborem significat) miseritis, nolite respicere retro, sed cum beato Apostolo, *Ad ea quæ sunt priora vos extendite, ad destinatum persequimini, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu*: denique *hoc sentite quod Perfecti.* Ea vero quæ mihi opportuniora videntur tum ad hanc quam dixi animi Magnitudinem & indifferentiam, & reliquas virtutes comparandas, tum, vt vno verbo dicam, ad spiritum Societatis in vobis perpetuo fouendum atque augendum, hæc sunt.

Philip. 3.

Ad perfectionem conandum

XXVII. Inprimis quod eodem loco Apostolus monet, *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.* Quoniam enim cum ad gradum Professionis aut alium in Societate admissi sumus videri possumus attigisse metam probationum quæ in eadem Societate tanquam fundamenta iaciuntur; Et cùm in Angliam mittimur procliue est naturæ corruptæ cogitare iam omnia parta; frequenter sibi quisque reducere in memoriam debebit, & pro certo habere vitam hanc omnem in probatione versari, nec quemquam facilius coronâ excidere quam qui se magni aliquid in hac palæstra adeptum esse, aut omnino se aliquid esse existimet. Et sane si rem æqua lance æstimamus, quando gradum in Societate, vel Missionem, vel munus aliquod consecuti sumus, non perfectionem, sed obligationem eo maiorem ad perfectionem sumus consecuti, quo id munus, vel ille gradus est maius testimonium opinionis & spei quam de nobis habet Societas. Itaque si ab initio oportuit" Constanti animo incumbere in omem perfectionem nostri Instituti, atque in virtutum solidarum ac perfectarum & spiritualium rerum studium, & impensè saluti & perfectioni propriarũ animarum vacarè; tum etiam proximorum; quem conatum, quod studiũ, quam constantiam toto deinde vitæ decursu adhibere conuenit, & de ærario viriũ animi & corporis quas impensas facere vt opinioni de nobis conceptæ respondeamus, spem confirmemus, atque adeo quæ à Christo duce fidei nostræ commissa sunt, per desidiam, per incuriam, per negligentiam non perdamus; sed ei per omnia placeamus cui nos probauimus. Id facilè perficietis, si (vt regula 26. Missionum admonet) consueta in Collegijs orandi, & examinandæ conscientiæ exercitia non imminuatis, atque in summa, regularum Societatis, quantum locus patitur, obseruationem non prætermitatis. Igitur quoniam eorum qui in hac nostra Missione versantur, Tria ferme sunt genera, Quorundam qui priuatim se domi continent, & vix vllam cum proximo conuersationem habent; aliorum qui toti sunt in itineribus, & diem vacuum raro sortiuntur: Ac deniq; eorum qui vel recollectioni vel conuersationi quantũ fere volunt & quem-

Tria genera eorum qui in missione versantur.

admo-

admodum volunt tribuere possunt, omnibus hæc regula loquitur. Et quidem Primi & Tertij mox vt stationem attigerint quam Dominus ipsis assignauerit, si rebus suis probè consultum velint, describent sibi accuratam horarum omnium distributionem, orationibus studia, studijs conuersationem, si occasio ferat, subnectentes, & à conuersatione ad orationem & studia se rursum recipientes. Quod si nulla foris cum proximo, exigua cum ipsis domesticis agendi opportunitas datur; si libri ad studiorum varietatem desint, neq; fortasse expediat, aut non suppetat vnde sumptus fiat ad multos comparandos, hoc ipsum, qui deum nouit, in lucro ponet: Quibus enim votis optanda, quo affectu amplectenda illa conditio est quæ nos à terrena conuersatione segregat, sociat Angelis? aut quod tædium habere poterit conuictus ille tam honorificus, tam beatus? vbi liberum erit solidos dies & noctes partiri in varia officia & obsequia, non sensus (quod mundanorum est) non etiam vsq; adeo ipsius intellectus, nè valetudo lædatur, sed affectus, sed volũtatis; modò cum Deo, prout animus suggerit, colloquendo; modo Patriarcharum spem & desideria, Apostolorum zelum & labores, Martyrum tormenta & coronas, Doctorum illuminationes & laureas, Confessorum mortificationem & perseuerantiam, virginum decoram Castitatem admirando, laudando, in animo nostro & ipso corpore per imitationẽ & amorem exprimendo, diem modò in ista, modo in alia Cœli regione fallendo, S. P. N. *Ignatium* aliquousque sequendo, quem audiuimus dicentem, "Heu quam sordet terra cùm Cœlum aspicio!) Hic præter meditationem quotidianam & Examina & lectionem spiritualem ex Instituto, Tres modi orandi quos S. P. N. nos docuit, vsu venient; Hic varij modi percurrendi cum fructu Rosarij quos nos ipsi alios docemus: Hic tempus abundè sufficiet vt Sacrosanctum sacrificium Missæ cum debita præparatione & deuotione celebremus, & per otium fruamur optatis amplexibus Christi *Iesu*. Hic facilè recitabitur diuinum officium attentè, deuotè, & opportuno tempore, & dabitur occasio degustandi suauitatem illam quam sensere S. P. N. *Ignatius*, & B. *Aloysius*, & quam p. m. P. *Claudius* nobis reuocat in memoriam in Epistola hac de re conscripta: deniq; iuuabunt etiam alia pietatis exercitia quibus abundant libri spirituales quos versatis. 1635.

At ista (dicet aliquis) ad propriam perfectionem conferent; in altera partè Instituti quæ salutem & perfectionem proximi impensè promouendam spectat, neque minus quàm prior me contingit, quid ego reclusus hic facio? *Multum* (vt verbis Apostoli vtar) *per omnem modum*. Neque enim censendus est nihil agere pro salute & perfectione proximi qui quotidie impensè agit cum Deo causam proximi; qui pro Regibus, pro superioribus, pro priuatis, pro viuis & defunctis, pro Regnis & ciuitatibus, pro Magistratu & plebe comparens coram summo Deo singulorum necessitates prudenter expendit, sua ipsius & Ecclesiæ totius vota ardenter offert, preces fundit, vt cunctorum misereatur qui cunctorum gerit prouidentiam, ipse Deum

1635. in hac sua vniuersali prouidentia imitatus. Deinde Christus Dominus totis triginta annis cui rei incubuit? Nonne aliorum saluti & perfectioni, quâ orando, quâ exempla recollectionis & aliarum virtutum domesticis & vicinis præbendo? Is iterum, cum à Baptismo Ioannis Spiritu Sancto specie columbæ in ipsum descendente, & voce delapsâ ad eum à magnifica gloria, attentionem vniuersi populi sibi peperisset & admirationem, *ductus est ab eodem spiritu in desertum, & erat cum bestijs quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, vt nemini nostrum quantumuis instructo à scientia & gratia apud Deum & homines, graue aut insultum videri possit si quadraginta diebus (diem pro anno computando, vt est apud Ezechielem) ex mandato Superioris, hoc est Dei, sedeat solitarius & tacens, & quasi dormiens super latus suum dexterum, in deserto, vel sit cum bestijs; præsertim cum non lateat vos charissimi quia vnus dies Christi Domini sicut mille anni ex nostris, & doctissimi cuiusuis & sanctissimi viri non sint (comparati ad meritum Dei ac Domini Mediatoris nostri Christi Iesu.) sicut dies vnus. Occurrat hic vobis Martyr Ignatius ista de seipso narrans " De Syria vsq; Romam pugno ad bestias in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est, militibus qui me custodiunt, quibus & cùm bene feceris peiores fiunt: Iniquitas autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum,) sic & nos, dilectissimi Patres, incipimus Christi esse discipuli, nihil de his quæ videntur desiderantes, sed quandoquidem ita voluit Deus, rudes & hebetes & disciplinæ incapaces, & ingratos, & in vitijs senescentes, & pauperum turbam, & omnium solitudinem, *in scientia, in longanimitate,* 2.Cor.6.6. *in suauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces* Ps.102.4. *supportantes*, Iesum Christum in omnibus & per omnia certissimè inueniemus, qui *replebit in bonis desiderium nostrum, & coronabit nos in misericordia & miserationibus.*

De studijs. XXVIII. Quod ad studia attinet, libri pauci & boni nemini deesse possunt; & certè vt singulis annis vnum aliquem diligenter percurratis (vt desit pecunia) non deerit vicini alicuius caritas qui vobis librum interim mutuo det; quanquam obliuisci non oporteat desiderium complures libros coëmendi, vel etiam euoluendi, perlæpe esse inutile: Sanctus Pater Nos-
Const. p.4 c. 6.3.7. ster animaduertit perturbari studia cum quis vno tempore varia consectatur; & vnusquisque studere debet mediocritati quam innuunt Constitutiones, cùm libros cuique permittunt qui necessarij sunt. Necessarij autem videntur Sacra Scriptura cum aliquo Commentario, vitæ Sanctorum, Cursus aliquis Theologiæ, saltem Moralis, tractatus de Controuersijs fidei, & Catechista, Historia, & subinde aliquis è Sanctis Patribus. Memini P. Guilielmum Westonum. b. m. cum captus teneretur, neque concederetur ei præter Sacram Scripturam alio libro vti, totam memoriæ commendasse non pœnitendo

pœnitendo labore. Et vero quantus illa thesaurus sit ad omnem siue orandi, siue conuersandi occasionem is solus nouit qui paulo attentius, adhibito magistro Deo, eam per singula capita euoluerit, sensus quos potuerit literales, morales, mysticos, cum omni humilitate eruendo, & ad praxim quotidianam referendo. Quis deinde fructus, quæ voluptas in vitis Sanctorum, vel quorum scriptura meminit, vel aliorum? quorum enarratis rebus gestis, si qua re alia, mirificè capiuntur omnium hominum animi, & ad virtutem informantur. Denique vnusquisque pro ingenio suo & loci natura in quo habitat, eum delectum librorũ facere conetur quo & paupertati consulat, & tẽpus vtiliter terat, & non temere perdat quod multis annis in Collegijs peperit. Procul autem sit ab vnoquoq; vestrum bonas horas insumere friuolis quibusdam & de triuio venientibus libris, vel compositis ad aures vulgi inspiciendis fabulis. 1635.

Quibus liberum erit cum proximo quando volunt, & quantum volunt conuersari, ijs non minus necessaria est certa horarum distributio ne sint nimium effusi, quam prioribus vt auertant tædium. Itaque illam quamprimum describent, & constanter obseruabunt. Et quamuis pro varietate circumstantiarum variari possit aliquando in quibusdam, præcipua tamen capita, quæ horam surgendi, orationem matutinam, lectionem spiritualem, litanias, Examina, & tempus somni continent, vix vnquam & difficillimè infringi permittent; Aliud enim aliud trahit, & nisi nostrâ constantiâ figamus metam aliorum non necessariæ importunitati, & tanquam de vite spuria vitulamina, quæ radices altas nunquam agunt, præcidamus, fructus perit, & datur aditus negotijs quæ nihilo meliora sunt otio, quod merito S. P. N. malorum omnium originem appellat. Venerabuntur ex aduerso seculares hominem temporis auidum, cuius præclaram oeconomiam cùm in vobis, quod facile fiet, animaduerterint, id lucrabimini quod regula 15. Missionum in omni nostra conuersatione exoptat, vt iuxta Charitatis regulam (quæ haud dubiè nobis ipsis præcipuè inuigilandum docet) nonnunquam ingenio eorum initio vos attemperantes, quatenus ratio & virtus feret, ad id tandem eos cum Dei gratia perducatis quod illis in Domino magis conferre vos ipsi iudicabitis; & libertate illa potiemini de qua gloriatur Apostolus, *Sed ego sub nullius rediga potestate.* De Conuersatione. 1. Cor. 6. 12.

XXIX. Consilium deinde Christi Domini sequentes, *In quamcunq; domum intraueritis ibi manete, & inde ne exeatis.* Et quod alio loco ait, *Nolite transire de domo in domum, sed in eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt*, vt Constantiæ simul & Temperantiæ præceptum accipite. Turpe est viro Religioso cursitare pluſquam necesse est; neque domi posse consistere; & cui ieiunium debetet esse cibus, de ciborum gustu & de condimentis agere Censorem, vel se ostendere sollicitum, *Noli*, inquit Apostolus, *cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est*: quod huc etiam conuenit. Quo enim animo accipient seculates, si qui mundum nos abiecisse profitemur, & quorum (secundum regulam nostram quam fortasse eorum De non leuiter circumcurrendo. Luc. 9. 4. c. 10. 7.

1635. aliqui viderunt) maius & impensius studium esse debet quærere maiorem nostri ipsius abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad fieri poterit, mortificationem, habentes alimenta & quibus tegamur, non simus
1.Tim.5.8 contenti, quibus domestici, nobis forte in seculo meliores, sunt contenti, sed quæramus in cibis, in cubiculis, in vestibus, in cæteris huius mundi rebus & reculis, sumptum, inanem speciem, oblectationem. Superfluum etiam existimare debetis, & otiosum quidquid in itineribus non necessarijs insumitur, sæpe etiam datur ansa non parua suspicandi nos *domesticorum curam non habere*, (quod graui censura notat Apostolus in Viduis, & Chrysostomus ad omnes extendit.) Itaque fere non nisi vocati prodeant, & cum ab ipsis domesticis sponte offerentibus intellexerint hoc illis non fore ingratum. Neque moueat quemquam ille scrupulus, ne omnium de quibus inaudierit sit ipse rationem Deo redditurus, sed consulat Superiorem, & sciat omnia tempus habere. Cùm odorem virtutum, inprimis vero assiduitatis in oratione, in studijs, in mortificatione passionum domi sparserimus, ab omnibus expetemur: Virtus nunquam diu tota latuit.
Morci.7. 24. *Christus ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere:* fietque præterea vt auctoritate ex virtute parta plus vno verbo efficiatis, quam infinitis sermonibus temerè circumcursantes.

Qui denique totos dies & annos sunt in itineribus, vel sunt ita necessarijs negotijs distenti, *vt nec spatium manducandi habeant*, his præ cæteris cura esse debet hora somni atq; surgendi, vt noctu ad Examen, mane ad orationem integrè præstandam tempus sit, & si fieri possit, etiam horas recitent antequam vacet domesticis ipsos interpellare. Periculosa res est tempus somno & negotijs extrahere, & existimare deinde satisfeciſse se instituto si in itinere absoluant meditationem. Abundè nobiscum agitur si in medijs campis, circumstrepentibus vndique omnis generis hominibus & rebus, ardente sole, vento & pluuia ingruente, corpore & capite fatigato, præsentiæ Dei omnia spectantis & iudicantis, vel Christi *Iesu* intus in corde vniuscuiusque habitantis meminerimus, & aspirationes ex psalmis vel aliunde nobis familiares in Deum & Sanctos dirigere possimus (quæ genera exercitiorum in promptu esse debent omnibus qui in hac missione versantur) Sed vnde has guttas, vel hos aquæ dulcis riuos hauriemus nisi ex sedato fonte orationis?

Examina facilius fient in itinere; quæ nec ij qui sunt affixi cubiculo debent omittere tanquam minus necessaria, cùm in Collegijs & in ipsis Spiritualibus Exercitijs ab omnibus exigantur, & præter examen cogitationum & actionum singularum, tum etiam mediorum quibus illæ perficiantur, contineant quatuor actus, quibus nescio an sublimiores, vel vtiliores elici à quoquã possint. Ijs vero qui conuersationi multæ sunt dediti quam sit duplex Examen Conscientiæ vtile & omnino necessarium, praxis S.P.N. *Ignatij* satis ostendit, qui in singulas horas solebat à seipso exigere rationem; & p.m. Pater *Claudius* Aquauiua monet, cùm neque ab infirmis ea prætermitti voluerit.

mo-

XXX. Vt autem illa etiam breuiter ad certa Capita referam quæ 1635.
modum conuersandi cum proximo continent: Is esse debet qui Castitati, De castitate
qui paupertati, qui Obedientiæ, qui denique Nomini Societatis sit consentaneus. Optarem itaque vnumquemque non paucas horas per interualla tribuere dignitati virtutis Castitatis seriò perpendendæ: Quam sit illa Deo, B. Virgini, Angelis, Sanctis omnibus grata vt est certe simillima; quàm Sacerdotum noui Testamenti officio congrua; quàm Humanitati Christi Domini in Sanctissimo Sacramento amplectendæ propria, quàm vulgò admiranda; quàm incorruptioni ad quam anhelamus vicina; quàm immortalis sit eius memoria apud Deum & homines; Hanc si amauimus, si vt sponsam, & in ea Christum Dominum nobis intimo affectu coniunximus, facilè erit portas sensuum, oculorum præcipuè, aurium & linguæ ab omni inordinatione custodire: sine qua Custodia flos & decor Castitatis euanescit: Facilè, vt ea quæ Religiosos decet grauitas & modestia retineatur, nemo alium etiam iocotanget; Quod si obseruandum est diligenter inter Nostros, quanto magis erga seculares omnes viros, mulieres, pueros? facilè denique omnem particularem affectum erga quoluis præcidemus, à quo (si vel tantillum admittatur) ingens periculum Castitati creetur necesse est. Quare reuocandum sæpe in memoriam, & praxi quotidiana vsurpandum monitum illud P. *Claudij* Aquauiuæ, "si peculiari aliquo affectu etiam naturali, & veluti Ind. c. 8. 99.
sympathia, affici se erga aliquem sentiat, curet statim initio omnem extraordinariam communicationem abrumpere, & communi tantum caritate illum amplecti: Vix enim dici potest quanta incommoda oblocutionum, detractionum, querelarum, delationum, suspicionum, inimicitiarum, conuenticulorum, munusculorum, & similium ex singulari, & extraordinaria communicatione oriantur: & infra: " non est dubium quin tentationibus contra Castitatem tales infirmi frequenter pulsentur, licet interdum attendere vel dissimulent, vel negligant; sed morbi ipsius periculum, & lapsus grauitas & ignominia & pleraque alia ad medicinam exstimulant.

Paupertatem vobis cordi esse monstrabitis in conuersatione cum do- De Pauper
mesticis & externis, si non verbo solo, sed facto ipso curetis intelligant vos tate.
gratis dare quæ gratis accepistis; si pauperum & tenuiorum præcipuam curam habeatis; si libenter eos aditis; si vt monent Constitutiones, suis temporibus paupertatis effectus aliquos experimini, simplicibus vtendo, quantum loci ratio patitur, & amore pauperis Christi gaudendo cum in victus, vestitus, & lecti ratione, ea quæ viliissima sunt domi vel foris vobis fortasse tribuentur. Quomodo enim diligere dicendus est Paupertatem, qui ea quæ pauperum sunt propria auersatur? Denique quod in instructione antiqua pro renouatione spiritus præscribitur, & repetitur in Monitis generalibus est diligenter notandum," Nostris iter agentibus (de quorum numero nemo qui in Missione versatur se potest eximere) vt de necessario viatico debita cum caritate prouidendum est, ita nulla ratione permittendum vt pecunia

1635. illis detur ad superflua coëmenda & quæ Religiosæ paupertati minimè congruunt.) Inuigilet igitur quisque sibi, & rationes ad hanc normam reducat nè à necessarijs ad superflua, à superfluis ad vana dilabatur.

De Obedientia. Viuetis deinde ex lege Obedientiæ si præter ea quæ initio dixi de Indifferentia, quem nuncium primum accipietis à Superiore de sede hac vel illa ad Dei gloriam tuenda, cum tanquam cælitus missum veneremini; neq; deinde loci aut personarum ingenio, vel fructus spe aut desperatione victi, aliò cogitationes vestras abripi patiamini, quam ad illa verba Christi Iesu *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo det vobis.* Cum enim penitus animis vestris insederit, id quod res est, fructum omnem actionum vestrarum pendere ab eo qui vos elegit & posuit, non erit difficile tum vos ipsos Dei voluntati in omnibus conformare (qui in perfectione nostra & aliorum sæpe vtitur medijs quæ nobis fortasse videntur non vsque adeo illò pertinere, sunt tamè accommoda ad fines ipsi notos) tum paruulos si qui motus emergant tenere, & allidere ad hanc petram Apostolici exempli: tum eandem animi æquitatem & conformationem in ijs conseruare quibus cum vos continget degere, quod in hac Missione est sanè præcipuum. Vt quemadmodum nubes vi ventorum in hanc vel illam regionem distribuuntur à Deo prout ipsi visum fuerit, Ita & vos sine magna vestri ipsius aut aliorum difficultate possitis vel diutius loco retineri, vel citius aliò transferri prout communis boni intuitu, vel particularis alicuius consolationis gratia necessarium iudicauerint Superiores, quibus vniuersalis hæc prouidentia à Deo commissa est.

Io. 15. 16

Christi Domini imitatio. XXXI. Iam vero nomen Societatis quod à Christo *Iesu* acceptum, nos eidem Christo socios in hac Messe animarum adscriptos esse docet, quantam in animo virtutum omnium copiam, in moribus probitatem, in ipso denique corpore quam decentem compositionem indicit vniuersis si pares esse volumus muneri quod sustinemus? Quibus etsi instructos vos esse non dubito, & infinitum esset singula commemorare, illud tamen quod huius loci proprium esse videtur non possum prætermittere; vt quoniam cum Christo iugum vos trahere profitemini, eundem quotidie vobis proponatis ob oculos tanquam lateri vestro adhærentem, voce, oculis, animo, gestu ipso corporis clamantem *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Atque vt ab huius eiusdem exemplo non discedam, licet *facta* sit quodammodo *species* etiam *vultus* vestri, vt quondam Christi Domini, *altera, vestitus albus & refulgens*; quam habitu corporis non potestis semper præferre, animo tenete humilitatem, colite mansuetudinem, vsurpate mortificationem. Christus in illa ipsa Majestate libenter audiebat Moysem & Eliam dicentes excessum eius quem completurus erat in Hierusalem. Ipse cùm priuatim ageret cum suis quam facilis, quàm mitis, quam ab omni fastu & asperitate alienus! Huius Socios vos esse recolite: discite à Christo, si necesse sit vobis aliquando ad

Luc. 9.

speciem

speciem extento collo & composito gradu incedere. (quod merito vitio vertitur nisi cum necesse est) non tamen alta sapere, sed humilibus consentire; Si ambulandum fortasse sit in magnis, non exaltare animam vestram, sed eum imitari qui exaltatus à terra omnia traxit ad seipsum; quam Exaltationem certe Iudæi ipsi interpretati sunt summam esse humiliationem. Hic hamus est Piscatoris escâ coopertus; esca vermis est, vt cultus corporis; hamus mansuetudo & humilitas; quod mirum videri posset nisi Apostolus nos doceret hanc esse viam homines capiendi *Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Ecce seruus meus* (inquit Esaias de Christo loquens) *suscipiam eum, Electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.* Quis est iste spiritus tam potens, tam fœcundus? nisi is quem idem Esaias, & vnà Matthæus pronunciant. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius; Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet; non erit tristis, neque turbulentus; donec ponat in terra iudicium, & legem eius Insulæ expectabunt.* Pluribus consolationi meæ vobiscum, Patres dilectissimi, indulgentem dies deficeret: Cum eodem Christo humilitatis Magistro, vos alloquor, *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.*

1635.

2.Cor 9.28

Es. 41 1.

Io.13.17.

Vnio cum Deo.

XXXII. Atque vt tandem ad finem vergat Epistola, & paucis omnia comprehendam, verba illa atque etiam sensum ipsum Sancti P. N. *Ignatij* in verbis latentem, omnibus alte insidere percupio, " Ad conseruationem & Incrementum non solum corporis, ideſt, eorum quæ externa sunt, sed etiam spiritus Societatis, atque ad assecutionem finis quem sibi proponit auxilij animarum ad vltimum & supernaturalem suum finem consequendum, media illa quæ cum Deo Instrumentum coniungunt, ac disponunt vtà diuina manu gubernetur, efficaciora sunt, quàm quæ illud disponunt erga homines; huiusmodi est probitas & virtus, & præcipuè Charitas & pura Intentio diuini seruitij, & familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, & zelus sincerus animarum ad gloriam eius qui eas creauit alio emolumento posthabito.) Itaque quamuis cùm in Angliam accersimur videmur vocari ad Actionem, præcipua tamen huius Actionis pars est ipsa Contemplatio, sine qua non perfunctoriè, non cursim tanquam ad alia properantes, sed sedulò peracta, frigeat omnis Actio necesse est & tanquam à fonte præcisus riuus sensim arescat; quo fit vt multis annis ad speciē studiosè omnia agamus, nihil tamen in nobis ipsis vel in alijs magnopere perficiamus; vt non immerito Præpositi ac Rectores, statim initio regularum quæ ad ipsos pertinent, moneantur" Primam officij sui curam in eo positam esse, vt Oratione & Sanctis desiderijs totam domum velut humeris suis sustineant, & quæcunque in ijs quibus præsunt optare debent, in seipsis præstare studeant.) Quæ vobis, Patres mei, eo maiori ratione dicta esse existimare debetis, quo vestris humeris non ea sola domus in qua singuli habitatis

Conſt. p. 10.5.2.

1635. bitatis incumbit, sed Missio hæc vniuersa, cuius partem laboribus, at verò integram orationibus apud Deum procurandam suscepistis. Quod cùm ita sit, illud etiam diligentiam vestram excitare atque acuere debebit, quòd in Collegijs multa adiumenta suppetant ad vos officij vestri commonefaciendos: In Missione ista quisque sibi ipsi quodammodo Rector constitutus est & minister, & Præfectus spiritus, & visitator, & excitator, & Monitor; quæ officia singula nisi singuli accuratè præstetis quàm facilè deperibit tempus, & cum tempore occasio omnis profectus! Itaque mihi sæpius in mentem venit quod superioribus localibus præscribitur de Hora Cõsideration quotidie vel alternis diebus impendenda, id vobis omnibus tanquam apprimè necessarium commendare, vt saltem alternis septimanis, vel singulis mensibus horam vnam huic curæ seponatis, atque in ea vobiscum & cum Deo attentè consideretis quomodo inprimis se habeat status animæ vestræ, tum etiam aliorum quibuscum versamini; quid impedimenti interueniat & distractionis; quibus remedijs vtendum censeatis. Vnumquemque enim vestrum posuerunt Custodem in vineis, non in vna tantum (quod eorum est qui toti sunt in Contemplatione.) sed in multis vineis, quarum præcipua est illa animæ vestræ, tum deinde aliorum. Iam vero Custodis esse scitis non solum fures arcere, & vulpeculas capere nè vineas demoliantur, sed vites singulas sigillatim visitare, putare, ab ardore nimio vel humore defendere, & si quæ alia sunt ad vineæ culturam necessaria, fructuumque incrementum solicitè procurare, quod quâ ratione alia sperare potestis vos diligentius præstituros quam si singula frequenter perlustretis? Sed quoniam quo longius in oratione progredior eò plura occurrunt dicenda de dignitate, de onere, de solicitudine etiam quam quisque de se & alijs habere debet in hac nostra Missione, vno verbo omnia me comprehendisse existimabo, cum id quod à Christo Domino mihi' ante alios dictum esse satis video vobis omnibus dixero *vigilate*. Sic enim & Custodis attenti, & fidelis serui, & prudentis Virginis, & villici non dissipantis, & amantis sponsæ, & filij facientis voluntatem Patris munera perficietis, quæ omnia singulis incumbunt; post quos labores fideliter exactos intrabitis in gaudium Domini; quod omnibus exopto, & me Sanctis sacrificijs & precibus ex animo commendo.

De hora Considerationis.

XXXIII. Hæc sunt quæ verbo & exemplo tradita reperi ab alterius sæculi Anno octogesimo ad huius trigesimum quintum quæ quidem ad nostram Societatem pertinent, nam vniuersam historiam persecutionis complecti mei non erat instituti, & esset infinitum: multa etiam excidisse necesse est quæ nostra sunt, vt initio adnotaui. Illud verò inprimis in hac tota Historia animaduertendum venit, Quemadmodum olim Arriani magnum Athanasium, Valens Basilium, Iulianus Apostata Clerum vniuersum, Wandali Catholicos in Africa, Theodora Syluerium Pontificem in Italia Religionis quidem causâ persecuti sunt, cùm essent ipsi hæretici, varia tamen his

Quid in hac tota Historia obseruandum. Ruff. in Hist. Nazian. or. de Basilio. Hist. Trip. l. 6. c. 2. vict. vticen.

his crimina affingentes, illi Necromantiæ, huic incontinentiæ, alijs seditionis concitatæ, aut secretæ cum hostibus per literas communicationis, vt suam ipsi dissimularent iniuriæ turpitudinem, populum in Sanctos inculpatosque viros inuidiâ fictorum scelerum inflammarent; eundem prorsus modum tenuisse hos nostros Religionis deformatores, Magistratum, inquam, Angliæ Hæreticum. Lege primùm sanxerunt præcipuos Catholicæ Religionis Actus in Læsæ Majestatis criminibus esse ponendos (vt sacris Ordinibus ritu Catholico fuisse inauguratum & in Angliam reuertisse, vt Sacerdotem domo recipisse, vt ab hæresi vel absoluisse, vel esse absolutum, vt suasisse cum Romana Ecclesia reconciliationem, & Pontificem summum agnouisse cum potestate Primatem) Tum si quem reum horum cuiuslibet peregissent, id non simpliciter in Accusationis forma describebant, sed adiunctis seditionis, & turbatę pacis publicæ vocabulis, criminibusque, vt quoniam etiam post sanctas fædum videbatur his solis de causis quemquam appellare, (quando Sacerdotes Catholici vbiq; terrarum essent in honore & veneratione, & nemo sit qui à peccatis absolui non desideret, aut Pontificem non agnoscat Superiorem) miscendarum rerum & turbulentiæ nominibus intertextis, populi cogitationem auerterent à vera Religionis solaque Causa; Sæpe etiam machinarę Regum necis insimulabant, cùm neque testes subornati id possent, neque vellent disertis verbis affirmare, & qui accusabantur conspirasse nunquam se antea vidissent quàm simul in iudicium producerentur; Atrocia vero hæc crimina ferè semper dilui condonarique potuissent vno ingressu hæretici templi, vna cum hæretico Ministro conferendi causa congressione. Quis autem seditiosus nebulo, aut cruentus sicarius (quales apud vulgus fingunt esse Sacerdotes) vllibi gẽtium tam facilem obtinet condonationem? Iam verò quoniam de fidelitate suspicionem faciebant, tum Elizabethâ, tum Iacobo & Carolo regnantibus; Quis Carolo Regi in ea necessitate fidelior in quam postremis regni annis coniectus est, quàm fuere Catholici? qui aut omnes sunt illum secuti, aut quia coronæ hostibus non adhæsere, vexati; reipsa commonstrantes cùm Iusiurandum (quod vocant fidelitatis) tam constanter respuerunt non fuisse illud Infidelitatis argumentum, sed Religionis, quando ijdem qui fortunis omnibus & gratiâ excidere maluerunt quàm id iusiurandum iurare, fortunas omnes vitamque eidem Regi tuendo conseruandoque profuderunt. Quo in obsequio fuere etiam Sacerdotes complures, non minus acres ad Ius Regium retinendum quàm si à tot retro regibus non Carceres, non tormenta, non Cruces paratæ essent, sed permagna munerum beneficia, atque amplissima præmia.

1635. Religio causa in Anglia persecutionis.

Catholici Regibus fidelissimi.

XXXIV. E re autem fuit hæreticorum istorum neminem palam plectere solius Catholicæ Regionis causâ, tum nè Catholicos vndequaque Principes irritarent; tum quia nulla lege antiqua in eos agere potuissent; Nimis etiam fuisset absurdum & absonum id crimini perpetuò vertere quod Sanctissimis viris toto orbe terrarum in fide est & vsu quotidiano; ac deinde eâdem

Erè esse hæreticorum aliam persecutionis causam prætexere quam Religionis.

1635. eâdem viâ quâ fidem moresque Catholicos destruere meditabantur, auxissẽt firmassẽntq́; : Vt enim ex Tertulliano Iacobus etiam Rex notauit, *sanguis Martyrum semen est Ecclesiæ*, suspiciuntque etiam Heterodoxi Sacerdotum in patiendo fiduciam atque constantiam; & arguunt, esse in ea Religione quidpiam quod non sit omnibus obuium, æquabilitatem tamen animi tam magnam alacritatemque ingerit profitentibus, vt mortem in votis potius habeant, quam refugiant: Fucum igitur facere oportuit, & figmentum aliquod prætexere crudelitati, ad dubitationem animis imbecilium ingerendam, Martyrij gloriam obscurandam. Cumque ipsimet calumnientur Catholicam eò quod liberum non relinquat cuique opinari quod libet, sed sectas damnet conetuŕque extinguere, ipsi (vt loquitur Apostolus) *in quo iudicant alterum, seipsos condemnarent, eadem agentes quæ iudicãt*, si extra Religionem aliud aliquid non prætenderent persecutioni. Quanquam ipsa eorum interrogata manifestum faciunt non de rebellione, sed de Religione esse solicitudinem: Ita enim quærunt; vbi & quando Missæ Sacrificium obtulerint? quorum Confessiones exceperint, & de quibus? An Sacerdotes omnino sint, & vbi, aut à quibus ordinati? Et cùm nulla facta probare possunt regno Principiúe noxia, ad cogitationes perscrutendas conuersi, quid de aliorum factis censeant, interrogant; aut quid ipsi certis euentis facturos se esse iudicant? quid de Pontificis summi potestate? quid de Pij quinti bulla Elizabethæ execratoria? speciem quandam offensionis in Principem exprimere conantes, vbi offensionem nullam reperiunt: finem denique rogant cur ingressi sint Angliam? quem cùm eum esse dixerint qui certè est, Ad Insulam, videlicet, reducendam in pristinam viam Religionis per consueta prædicationis, & Sacramentorum remedia, idque constanter asseruerauerint, inter tormentorum cruciatus, ipsaque mortis fauces hunc ipsum finem, conatumque detorquent ad voluntatem seducendi subditos à debita magistratui obedientia, licet illi ipsi necis atque cruciatuum administri contrarium sciant; & non semel, vt dictum est, Elizabetha ostendit id se non credere, quidquid cæteri de conspirationibus, & meditata principum nece suggererent. Quæ opinio Innocentiæ cum per plurium ora vagaretur, nouo more, nouoque inuento, præconis voce per compita declarari curarunt Sacerdotes legitimè esse accusatos, iudicatos, condemnatos, fidem Reginæ suamque ea in re oppignerantes: sed vt *is qui se prius quàm culpetur excusat culpæ facit suspicionem*, ita hi quò se præter morem iustos deprædicarunt, eò magis opinione excidere iustitiæ, Martyrumque causam fecere illustriorem, nemine prudentiorum dubitante quin harum perpessionum esset tota causa Religio: Quæ quoniam (vt Christus Dominus docet) *separat* frequenter *hominem aduersus Patrem suum, & filium aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius*, & *pacem* tollit quam ipse *non venit mittere in terram, sed gladium*, ideo qui *Gladium* hunc pacificè, & sine turbis proposuere, pacis perturbatores audiunt apud

Rom. 2.

Matth. 10. 35.

illos

illos qui pacem suam ponunt in tuenda secessione quam fecerunt à recta fide rectisque Ecclesiæ Catholicæ moribus, & *viam pacis* (vt est apud Esaiam Prophetam) *nescierunt*.

Stantibus legibus est semper se cuiusq; ansam persequendi & vexandi. 2. Cor. 11. 23.

XXXV. Alterum est ad quod animum aduertere pretium operæ fuerit; Non eâdem semper violentiâ sæuitum esse in Sacerdotes & Catholicos. Vt enim primis Ecclesiæ Christianæ temporibus fuere Imperatores & Iudices alij alijs sæuiores, alij deinde mitiores; ita Elizabethâ regnante, cum Apostolo meritò gloriari poterant orthodoxi in laboribus fuisse se plurimis, in Carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequentius: Feruebat enim (vt in initijs pleraque) hæresis, recenti odio incitata *Mariæ* Reginæ quæ omni conatu adlaborauerat labefactatam Henrici & Edwardi temporibus Catholicam fidem instaurare; tum etiam persuasione posse se vi & metu animos Catholicorum frangere, Sacerdotes ab instituto arcere. Mitius aliquanto egere Iacobus & Carolus si sanguinem spectes, quanquam & sub istis violenter nostris septem vita erepta est, & alijs pluribus; Catholici in fortunis grauiora perpessi sunt quam sub Elizabetha. Legibus etiam (quas octauo libro recensui.) vim suam obtinentibus, liberum erat Iudicibus, quoties vellent, his contra quosuis agere, neque facilè Reges quemquam qui in iudicium vocatus esset eximebant, cùm palam refragari legibus, & Catholicis indulgere è re sua esse non iudicarent; Hinc *Edmundus Arosmithæus* Iudicis potius immanitate sublatus est quam Regis voluntate. Et postero die Catholicus alter pater familias; per causam quidem interfecti apparitoris, quem nè tetigerat quidem, fugerat etiam nè ab eo Religionis causâ insequente teneretur: Apparitorem hero imminentem famuli insectati sunt; is fuga sibi consulens cecidit, & ex fractâ sibi ex casu tibiâ putrescente moritur. Id testibus probatum est, & ipsiusmet morientis iureiurando. Iudex tamen in vincula coniectum Catholicum necis peregit reum, & iussit plecti. Pridie quàm supplicio afficeretur, pedibus prehensũ raptarunt ad fanum hæreticorum, capite ad terram toties impingente, vt detritos allisione crines subsequens populus colligeret. In fano pronus iacuit digitis in aures immissis garriente è suggesto Ministellũ auersatus. Oblata est ei deinde vita, si vel iurare in verba solênia, vel fana adire vellet; vtrumq; constanter recusans, & asserens se mille mortes pati velle potius, pependit, comes haud dubiè illi in gloria qui pridie passus fuerat *Arosmithæo*.

Exempla aliquot Crudelitatis in Catholicos. Richardus Hurst.

XXXVI. Memorabile etiam est illud quod noster *Percæus* scriptum reliquit in aduersarijs de Marmeduca Bowes. Hicetsi fortunarum seruandarum causâ Protestantium ritus frequentabat, habebat vxorem liberosque Catholicos, & ad hos erudiendos pædagogum domi Acatholicum (Catholico enim vti per leges non licebat) Vxor in iudicium ea causa vocatur quod Sacerdotes domo reciperet foueretque: Maritus pro vxore deprecaturus sistit se comitio; rogat Iudices sui misereri velint & vxoris, neque legum pœnas exigere; esse se fidelem subditum; nihil domi agi quod perniciosum

Marmeduc. Bowes

1635. sit; venire quidem aliquando notos quosdam ad vxorem viros, non tamen existimare se tales eos esse quales dicuntur esse. Aderat Pædagogus cùm hæc diceret, & exclamat, probè nosse herum qui illi sint, cùm eis omnem honorem exhibeat, & præ alijs in mensa, & extra mensam locet venerationis causâ loco honestiore. Iudex accusationem conscribi confestim mandat de Marmeduca Sacerdotum receptore. Ille in genua prouolutus orat, obtecrat, flagitat, lachrymatur, testes appellat circumstantes omnes qui eum quot Hebdomadis ritus communes frequentantem haud dubiè viderant. Nihil proficit; amandatur in vincula. Ingredieus carcerem, conspectâ Catholicâ sibi notâ quæ ibi detinebatur, Heu, inquit, domina, En ego tuæ Religionis causâ ducor, cum Religionem illam haud hactenus sim amplexus! Intellexit sapiens mulier quid facto opus esset; procurauit illi congressum Sacerdotis; Ecclesiæ conciliatus & postridie plexus, sidera opinato citius, & illustri cum corona transcendit.

XXXVII. Celebris est actio Richardi Martini Iudicis quam Ioanni Rigbeyo intendit. Hic bono loco natus in famulatum se dederat viduæ Catholicæ; Hæc citata vt in Comitio de Religione responsura compareret, mittit Ioannem vti se ægritudinis causâ excuset, præstito de rei veritate iureiurando. Cui Iudex, quis tu es qui audes pro Papista iurare? & Ioânes, " sum vtique homo, & conditione famulus) At præterea quid, reponit Iudex; Papista, an ex Protestantibus aut Puritanis quispiam, cuiusue demum Religionis? Vis templa nostra frequentare? " Nequaquam.) Ita sanè existimabam; Papista es, & quiduis poteris iurare, habes enim Sacerdotem semper ad manum quite absoluat. " Ego verò (ait Ioannes) non soleo iurare; neque habeo Sacerdotem qui me absoluat.) Tum rursus rogatus de Templis & communione. " Aliquot sunt, inquit, anni ex quo ritibus vestris non interfui, neque volo illis interesse; ad Cænam vestram nunquam accessi, neque accedam vnquam, scio enim non esse Sacramentum; sum Catholicus? Credo quod vniuersalis credit Ecclesia) Fuistine semper Catholicus? "Non semper; inter Catholicos tamen educatus; cumq; ad ætatem peruenissem aliquanto maiorem intellexi illam in quam deuiaram viam non esse eam quâ ad salutem peruenirctur.) Vis iurare Reginam esse Caput Ecclesiæ? Tum Ioannes, scio quò tendat hæc quæstio; multi sunt quos illa perplexos reddidit; Ego certè non iurabo.) Nos omnes iurauimus, si tu recusas, proditionis es reus, & læsæ Majestatis. "Ego vero, inquit, fidelis sum subditus, non proditor: quod vos feciſtis, aut alij, ad me non attinet; non iurabo.)

Ioannes Rigbey.

Quid si Papa inuaderet Angliam, vt Religionem vestram inuehcret; cuius partes sequereris? Papæ, an Reginæ? " Ad hæc Ioannes, Vitæ, vt video, meæ insidiamini; non est mihi tutum plura respondere.) Digressi deinde ad alia, interrogant an esset Sacerdos, an ordines suscepisset, an transfictasset? quanquam ad singula responderet negando, (neq; enim se dignum existima-

existimabat tanto honore) aliud vero nihil in se suscepisse nisi vt viueret mo- 1635.
returque Catholicè, vt experirentur an capilli in vertice essent cæteris du-
riores, vt solent esse Sacerdotibus qui sæpè raduntur, vocato tonsore loca-
tum in vicino lapide curant tonderi. Sub eo lapide calefiebant ferramenta
quorum vsus est ad stigmata latronibus inurenda; diuturna sessione cæpere
ardere vestes, qua de re cùm quereretur, & pararet surgere; Nequaquam,
inquiunt, paratur enim tibi sella altera calidior." Si ita est (reponit Ioānes)
sedebo equidem libenter hac tanta de causâ, & subijcite si vultis nouum
ignem.) Iterum cùm rogassent an vellet eorum ritibus interesse? " Nequa-
quam, inquit, neque enim ista me terrent.) Itaque onustum ferro amandat
ad Nouam portam, postridie de capite dicturum. Productum inter-
rogat Iudex quamdiu fuisset Catholicus? " Tribus, inquit, fere annis.)
sequitur igitur te fuisse reconciliatum ab aliquo sacerdote; fateris ne? " Fa-
teor equidem ita esse; adiui enim quendam in custodia detentum; ille autē
iam non est in viuis.) Præpara itaque te (ait Iudex) vt de capite confestim
respondeas: traditumque Commentariensi iubet catenis onerari. At ille, "
Nullum hoc verbo iucundius mihi ad aures à multo tempore accidit; &
hanc quam imponitis, aureâ Prætoris catenâ non commutauero.) deditque
imponenti mercedem, sicut & antea tonsori.

A meridie, ad se in conclaue vocatum Iudex blandè alloquitur in hanc
sententiam: Imperitè nuper, & vt legum inscius respondisti; intelligo alte-
rius te nunc esse mentis, & cupere fidelem te præstare subditum Reginæ;
illa in misericordiam prona est; si legibus obsequeus fueris acerbitatem
legum ipsa moderabitur; vis ritibus nostris interesse, adite templa? Quid
ad hæc Rigbeyus? " Quicunq; Dominationi vestræ retulit me in minimo à
mea professione deflexisse, hunc inter amicos non numero: neq; à me tale vl-
lum verbū excidit; fidelis sum Reginæ subditus, eiusq; obsequens legibus ijs
quæ religioni non aduersātur. Nunquā significaui me tēpla vestra aditurum,
neq; adibo vnquā; & potius quam istud suspiceris, vtere obsecro primis meis
responsionibus quibus mea manu subscripsi; Ibi manū, hic habetis corpus;
quod scripsi, paratus sum sanguine signare. Nolim profecto auſam vobis vllā
dare ad existimandum quod ab animo meo primo recesserim; Quod sciam
nihil à me aut dictum factumue est quo quisquā merito offēdatur. Si Religio
tantum est malum, currat lex in nomine Domini; & eius fiat voluntas.

XXXVIII. Ductus deinde ad subsellia iussuq; pro more, manū attollere, in-
uocato Seruatore Iesu, B. Maria Virgine, & omniū Angelorū & Sanctorū pa-
trocinio, sustulit alacris, & ad quatuor accusationis capita breuiter constanter-
q; respondit in hunc sensum. " Quod obijciunt me fuisse reconciliatū; fateor
quidē, Deo; neque video quid in eo possit esse offensionis.

Quod ea reconciliatio quoquo modo spectarit ad animum ab obedi-
entiâ Reginæ debitâ abalienandum, aut à legum ciuilium omnibusque
communium imperio auertendum, prorsus nego.

1635. Quod primis annis templa frequentarim, timoris fuit, ne damnum temporarium incurrerem; quod desij, iamque non frequentem, Religionis est.

Cùm verò præcipua accusatio in eo versetur quod fuerim reconciliatus, Iudicem ipsum appello, & contestor, vt duodecimuiris explicet, vtrum mens legis sit eum Læsæ Majestatis reum peragere qui cùm per peccata Deum grauiter offenderit, quærit illi rursus conciliari, talium ope personarum quibus in eam rem potestas legitima tradita est. Nam licet is fuerit Sacerdos Romano-Catholicus qui hoc me beneficio cumulauit, duo sunt quæ me à lege tuentur quæ Sacerdotum huiusmodi congressum vetat. Primum quod is carcere teneretur, vbi per leges licitum est huiuscemodi non occurrere solum, sed succurrere: deinde quod post annum à congressu elapsum agi non potest, sunt verò plures anni ex quo nemo mihi ea de re litem mouit.) Et dicente quodam, Nihil id referre; debere duodecimuiros de læsa Majestate pronunciare; "Si debent, inquit, faciant; & fiat voluntas Dei: Nam quod Iudex ait locum adhuc esse gratiæ, si promittam me templa vestra frequentaturum; Nolim existimet me, qui tot iam gradus cœlum versus (vti spero) conscendi, velle fallente vltrò pede ad inferos labi. Confido Dominum *Iesum* suppeditaturum vires ad mille potius mortes subeundas, mille vitas, si tot mihi essent, oppignerandas; iuxta legem vestram iudicate.) Duodecimuirorum primo qui aliorum vice pronunciat, summissius dicente sententiam quam vt commode audiri posset, "Eloquere, inquit, ne vereare, paratum habes qui audiat;) & dicta clarè sententia, reum censeri; "Laus tibi, ait, Domine Rex æternæ gloriæ; Deo gratias; Totum quod minamini vna est Mors; & quam nihili totum, si cum ijs conferatur quæ Christus Iesus pro nobis est passus? Tibi verò, Domine, Iudex, summas gratias ago habeoque pro ea quam in me ostendisti beneuolentia, & ex animo condono quidquid ex parte vestra, vel à duodecimuiris, aut alijs quibuscunque peccatum est) Hæc ineunte Martio acta sunt Londini; in decimum nonum Iunij diem dilata est sententiæ prosecutio, quando rursus ad subsellia admotus rogatusque an induxisset in animum legibus de frequentandis templis obedire; cùm respondisset eodem se esse quo pridem animo, ac Iudex edixisset, moriendum igitur tibi est, "Istud inquit, est quod vehementer desidero & expecto, quanquam me longè tanto honore indignissimum sentiam.) Dilata deinde est iterum executio in diem vigesimum primum Iulij: Quo die tractus ad Sancti Thomæ quas dicunt Aquas, in suburbijs orientem versus sitas, constantem fidei professionem, & multis tentatam machinis glorioso agone concluſit, corona insignitus tanto illustriori quanto est certamen inexpectatum honorificentius. Et hi quidem duo sub Elizabetha voluntariam hanc Iudicum potestatem promptitudinemque experti sunt, ad legum seueritatem aduersus Catholicos exigendam, sub qua centena eiusdem generis exempla adduci possent; neque paria desunt sub Iacobo & Carolo.

XXXVIII.

XXXVIII. Thomas Forcer septuagenario maior constantiam in fide non quidem sanguine luit, ab immani tamen & barbara vexatione vix viuus euasit ad carcerem. Samuel quidam Ionsonus, inter illius regionis quadruplatores præcipuus, potestate accepta à Decano Dunelmēsi, & cæteris qui rerum Ecclesiasticarum tractationem vsurpabant, domum cum turba sodalium obsedit à vigilia Pentecostes ad tertiam feriam, multa in adiacentibus hortis agrisque insolentiæ vestigia relinquens; Tum insiliens cum suis in ædes quæcunque obuia perrumpit, parietes, caminos, tabulata; senem in angulum præ metu abditum vt reperit, exerto petit gladio; filiam in parentis auxilium interuenientem deijcit, & inhumanè proculcat; Tum iterum ad senem, quem (nisi ex astantibus vnus intercurrisset) creditur fuisse obtruncaturus. Priuigni etiam vxor accurrens pugione in pectus adacto repellitur, dura & densa circa præcordia vestis ictum sustinuit ne grauiter vulneraretur. Senex tot inter strictos enses propè exanimis ad lectum defertur, neque tamen conceditur vt redimat vexationem. Honesto loco nati viri aliquot se offerunt vt promittant vadimonium; non admittuntur. Postero die magna stipante satellitum caterua Dunelmum auehitur ad custodiam. Hæc anno huius sæculi vigesimo acta sunt regnante Iacobo, quem licet ingenium non valde ducebat ad rigorem religionis causâ exercendum, liberum tamen cuique cùm esset legibus vti quantumcunque & quandocunque vellet ad lacessendos Catholicos, qualibet captatâ, aut fictione simulata occasione, qui Regi deerat animus ad vexandū, alijs superabat; suspicabātur hi fortasse peranti quām hunc à prima ætate Catholicum, in tanta solemnitate quātam sciebant esse apud nos Pentecostes festum diem, non cariturum Sacerdote ad celebritatem. Si repertus fuisset aliquis optatâ potiti fuissent prædâ; præda tamen quoniam carere nolebant, auehunt ad vincula innocentem, vt se deinde pecuniâ redimat; perinde enim est vnde extorqueant, modo ipsis colligatur. Quotidiana sunt ista; & commemorandorum exemplorum non esset finis si singula recenserentur; Indignum tamen non est memoria quod pauperi cuidam accidit antiquæ fidei in comitatu Leceſtrensi, Antonio Squire; Is ad Tribunal & ad Iudices ductus, & accusatus quod à Protestantium ritibus ad Catholicos transisset, variè tentatus est; tandem de iureiurando (quod vocant fidelitatis) interrogatus an illud vellet conceptis verbis iurare, cùm recusaret, pecuniola quam habebat spoliatus carceri addicitur, multoq; ferro oneratur; quod cùm nec prece, nec pretio redimere posset, post duos tresue menses hyberno asperoque tempore toleratos, per carceris incommoda, & vulnus à cane inflictum in febrim incidit, venitque ad extrema: Habenti prope in faucibus animam, importunè suadent Ministri vt Catholicam deserat, suam sectam amplectatur; Neganti; vt saltem Papæ maledicat: "Ego vero, inquit, ex quo sum Catholicus didici nemini maledicere, cùm antea illa mihi esset perpetua consuetudo.) Itaque summa constantiâ & patientiâ moritur, neque tamen nisi post octo horas à vinculis solutus: Corpus infami in biuio iuxta

1635.

1635. parricidam mulierem humatum est. Ita per vnius cuiuslibet hominis malitiam luditur in vita & bonis Catholicorum; si vero quispiam sit inter Iudices moderatior non audet clemens videri ne audiat Papista.

Catholici latere non possunt.

XXXX. Neque latere Catholicis facile est; præterquã enim quod si ritus Protestanticos non frequentant, eo ipso habentur Catholici, genus est quoddam quadruplatorum, seu lyndicorum qui singula perscrutantur: Horum alij vniuscuiusque bona mobilia, immobilia, quæ & quanta sint inquirunt, & ad Fiscum referunt. Alij numerant delicta, vt si cuius infans non est publicè Protestantium ritu Baptizatus, si quis priuatim duxerit vxorem aut si mulier nupserit; si statis diebus non audiantur preces aut concio; si suspicio sit de sacerdote occultè introducto, & sexcenta alia, quæ cùm mulctam pecuniariam habeant annexam, aut prædã, huic inhiantes nemini facilè parcunt, nisi quis forte multo auro redemerit vexationem.

Neque parcitur censuris, quod erat aliud & acre omnino genus persecutionis. Etenim vt Hierarchiam quandam imitati sunt nostri Anglicani Hæretici, (vt Episcoporum, Decanorum, Archidiaconorum, Canonicorum, seu Præbendariorum,) ita Ecclesiasticas etiam causas habebant, iudiciâque distincta à cæteris, in quibus per mulctas agerent contra reos & per Censuras. Hinc Anno in quem deducta est hæc Historia seculi trigesimo quinto, in Comitatu Norfolciensi allatum est aduersus colonũ Catholicum rescriptum de Excommunicato capiendo, eo quod vicinum quendam suum Catholicum sepeliendum curauerat ritu Catholico; In Cantabrigiensi, paupercula cum peperisset, tam obstetrix licet hæretica quam reliquæ quæ astiterant, pecuniâ redimere coactæ sunt excommunicationem, quod cùm excommunicata communicassent. Ad molitorem in eadem regione Catholicum prohibebantur singulis annis vicini, vti nè triticum deferrent commolendum, aut farinam ab illo emerent; ea molestia vt se liberaret soluit quotannis octo florenos. Alius vt vxorem redimeret à Censura, florenis octoginta liceri coactus est; alter centum, alter opulentior annuis viginti quinq; vt censuras effugeret.

Constantia & spes Catholicorũ.

XXXXI. His tamen à tot retro annis vexati malis Catholici non despondent animo, neque spem abijciunt futurum aliquãdo vt misericors deus pristinam pietatem, cultumque verum reuehat in Angliam. Cum enim ab initio collabantis Religionis seminaria prouiderit Sacerdotum, qui vi tormentorum necisque formidine supetata non cessarent rectam fidem prædicando orandoque fouere; vnum etiam Audomari in quo Iuuentus ad omnem quem fors tulerit gradum vitæ, virtutum præceptis & humaniorum literarum præsidio imbueretur; variorum quoq; Religiosorum hominum sacra Collegia, vt sanctorum Benedicti, Dominici, Franciſci, & societatis Iesu, & infirmioris sexus refugia compluria, per Belgium, per Germaniam, per Gallias, per Italiam, Hispaniasque;

niasque ipsisque laicis addiderit animos ad quantamcunque prius experiendam fortunam quam vt Sacramentorum cæterorumque adiumentorum ad fidem conseruandam adiumentis careant, dubitandum non arbitrantur quin idem qui cæpit, ad congruentem istis finem tantum opus perducturus sit: Crescentibus enim malis crescunt animi; & quantumcunque graues rogentur leges, vel vim suam nunquam sortiuntur, vel cum die flaccescunt. Ex fucato etiam illo ordine clericorum, quem ad speciem quandam & imitationem dignitatis Majestatisque Ecclesiasticæ, & ad sectam suam coactione quasi Canonica firmandam, retinuerant hæretici, Dei iusto iudicio vnà cum Capite intercisos non immerito augurantur, omnem illam, quæ nuper facta est, rerum mirandam conuersionem, non ad restituendam sed ad abolendam cum tempore hæresim pertinere. Sic enim Iudæorum Religiones confuso Pontificum ordine paulatim extinctæ sunt; & isthic ipso tædio multiplicatarum sectarum ad vnam veram fidem præparantur animi: In qua dum hæretici Catholicorum admirantur suspiciuntque constantiam, concordiam, alacritatem, sensim molliuntur quæ olim ferociores erant mentes, & quem nè fortunis excidant verentur recipere venerantur cultum, & parem sibi optant perseuerantiam. Nostrum *non est nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate, sed expectare* misericordē & potentem manum Dei, qui vt olim Israëliticum populum transuexit illæsum per mare rubrum, & per plures viarum amfractus induxit in promissam Patribus terram nos etiam benigno respiciet oculo, & post sudores multorum & sanguinem, *suscitabit super nos verbum bonum, vt congreget nos de vniuersis gentibus, & de cunctis locis ad quæ expulit nos; & dabit Pastores iuxta cor suum qui pascent nos scientia & doctrina*; quique non minori ardore animi, industria, ac vigilantia in aperto discurrent ad reducendas à recto tramite deuiantes oues, quàm qui in occulto tot annis, mira sanè constantia, latuere ad conseruandas. Pastores inquam, qualem de gente nostra, hac ipsa nostra ætate, dedit colligendis in altero orbe positis *Brasiliæ* populis, *Ioannem de Almeida*; cuius vita (idiomate Lusitanico edita in lucem) quanquam admiranda potius in multis quàm ab vnoquoque imitanda, cùm per hos dies, quibus ista scribimus & paramus prælo, in manus inciderit, seruiet documento, & Deum quos vult, & quando vult, & quomodo vult, eligere in vineam suam Operarios; & corde sincero illi seruientes nra posse & magna in carne fragili præstare tum ad seipsos omni virtutum genere locupletandos, tum ad Dei gloriam in proximorum salute procuranda amplificandam, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Act. 1. 7.

Hier. 29. 10.

Ier. 3. 15.

Marci vltimo.

XXXXII. *Simon Vasconcellus*, Prouincialis Brasiliæ, qui se huius *Ioannis* profiteretur quondā fuisse socium, amicum intimū, & Superiorem, ex vsu familiari, ex aduersarijs post mortem repertis indicibusq; actionū, ex Authēticis iuratisq; testimonijs, narrat, regnante in Anglia *Elizabetha*, Londini natū, Gentilitio

Vasconcellus in vita Ioannis.

tilitio nomine dictũ fuisse *Mada* (seu potius *Mead*) quod deinde à vocis simili-
Libr. 1 c. 3. n 4. tudine in *Almeidam* mutatũest: Parentes habuisse Catholicos. His (vti existimat) volentibus transuectus *Vianam* (Lusitaniæ celebre emporiũ) & inter liberos Benedicti de Rocha ab anno ætatis decimo ad decimum septimum piè educatus, cum eodem Pernambucum Brasiliæ nauigauit. Isthic, Deo piam animam ad magna disponente, studia humanitatis præferens mercaturæ, in scholis Societatis vna cum literis hausit desiderium eidem se adiungendi so-
Admitti ur. in Societatem & quanti id fecerit. cium, & quarto post anno admissus est. Erat is annus seculi quingentesimus nonagesimus secundus, ætatis ipsius vigesimus primus. Quanti semper fecerit seruatum se fuisse in illum diem explicatius dici non potest quàm ipsiusmet verbis desumptis ex Meditatione quam inscripsit de Beneficijs, cui hunc præ-
Lib. 3. c. 12 fixit titulum. " Meditatio de beneficijs quæ in me valdè singulariter supra
„ omnes qui sunt aut futuri sunt homines contulit Deus Dñs noster, nomina-
„ tim de altissimo Beneficio vocationis, in quo, quod ad me attinet, includun-
„ tur multa & magna beneficia, de quibus debeo sæpe & serio cogitare, ex to-
„ ta anima, intellectu, memoria, voluntate, petendo à Deo gratiam & affe-
„ ctum ad illud agnoscendum, & æstimandum, & gratias agendum diuinæ suæ Maiestati, & Magnificentiæ sicut debeo.) Pergit deinde ponere præambula & puncta in hunc modum. Primò. Ponere mihi debeo an-
" te oculos totum cursum vocationis meæ, & meminisse principiorum, me-
" diorum, & circumstantiarum quomodo ab vsque Anglia, & ciuitate Londi-
" nensi, ex medio Hæresum, eo tempore quo maximè ardebant, vocatus fue-
" rim, in ætate etiam in qua nihil sciebam siue boni siue mali, ab homine ab-
" ductus quem non noueram, neque vnquam videram, cùm essem solus, &
" Parens abesset domo: impedimentum quod habui cùm suggereretur vt non
" irem: & ego nihil curans secutus sum illum qui me abduxit Vianam vsque,
" ac deinde Pernambucum in Brasilia; Atque Pernambuco vsque ad primum
" motum interiorem Dei mei ad amplectendam hanc Sanctissimam, charam,
" & dilectam Societatem, quam ego tam parum sum meritus.
" Memoria reperam simul cum isto Beneficio, mala multa ex quibus eri-
" puit me Deus, illa præsertim in quibus omnino perijssem; videlicet, quando
" nauigando in Brasiliam cecidi ex prora nauis in mare: Secundò, quando aui-
" dus comedendi ficus, cadens ex summitate arboris mansi sine loquela tan-
" quam mortuus: tertio, in Recife Pernambuci, vbi ludentem in littore vn-
" dantes fluctus me deuoluerunt in mare, nemine vidente, nemine præsente
" qui opitularetur: quarto, quando Indus quidam ebrius à vino, robustus &
" neruosus, comminuisset mihi haud dubiè caput fuste quem totis viribus li-
" brabat; & Deus Dominus noster me seruauit: quinto, ab homine etiam qui
" me ense nudo insequebatur.
" Considerabo igitur magnitudinem beneficij, & quanti debeam illud
" facere, recolendo omnia bona quæ venerunt mihi pariter cum illo, consue-
" tudinem cum iustis & Sanctis, quietem non solum animæ, sed etiam corpo-

ris, &

» ris, & præcipuè tranquillitatem Conscientiæ: Et quod plerique, aut fere om-
» nes qui hoc modo vocantur à Deo, æternam consequuntur salutem, cum
» talis vocatio numeretur inter signa Prædestinationis; Id quod ingentis est
» consolationis; non possum tamen mihi promittere securitatem, quia si non
» correspondero vocationi, non solum peribit mihi omnis fructus, sed seruiet
» maiori condemnationi, sicut Iudæ; vnde concipiam magnum timorem; quo-
» niam quo status est altior eo casus est grauior. Perpendam etiam quàm
» casus sit facilis, quando ex tepiditate quacunque & incuria incipit quis indi-
» gnus fieri, sicut sacræ literæ & Sancti nos docent: quapropter valde necessa-
» rium est non negligere paruos defectus, sed eos cauere & deflere tanquam si
» essent magni.

» Merito autem Christus Dominus in Euangelio vocat hoc genus bene-
» ficij *Centuplum*; verissimum enim est quod pro quacunque re bona quam
» relinquimus in mundo, recipimus in Religione aliam quæ valet *Centuplum*
» & amplius. Quæcunque consolatio spiritualis quam largiri solet Deus infimis
» suis seruis dici potest *Centuplum* & amplius, vti experientia discimus; quan-
» to magis magni illi motus quos Deus magnis suis seruis communicat? Haud
» dubiè tam magni sunt pretij, vt dicere possint, cum Sancto Xauerio, videri
» Deum refundere velle in hac vita integram solutionem. Vocat præterea
» Christus hoc donum *Thesaurum absconditum*; sicut enim is qui habet The-
» saurum absconditum est tam diues vt non sciat quantum habeat, ita om-
» nes qui sumus Religiosi sumus tam diuites vt non sciamus quantas ha-
» bemus diuitias, & vt sciamus opus est gratia particulari.

XXXXIII. Hæc meditabatur, hæc recolebat sæpius pius iuuenis, & magno cum ardore reddebat gratias Deo, non lingua solum & affectu, sed opere multo magis & industria ad virtutes solidas consequendas; præcipuo verò studio ferebatur ad rerum diuinarum Contemplationem, & suijpsius perfectissimam mortificationem & contemptum; quibus in duobus tantum profecisse visus est vt antiquis deserti incolis compararetur, præsertim post-quam absoluto primo Tyrocinij anno, à statione Omnium Sanctorum translatus ad Ciuitatem cui nomen à S. Spiritu *Iosephū Anchietam* sortitus est Magistrum, (illorum temporum nouum Thaumaturgum) in cuius mores noster *Almeida* penitus transisse visus est: Omne tempus quod supererat Actioni impendebat Contemplationi, ieiuniorum, vigiliarum, flagellorum, ciliciorum, ceterarumque asperitatum nunquam satur, siue comitaretur Patres in cicurandis Barbaris per solitudines & inaccessos recessus laborantes, siue confecto Tyrocinij tempore studijs incumberet quibus ad sacros Ordines parabatur, siue cùm Sacerdos anno sexcentesimo secundo & sequentibus per desertas regiones ipse discurreret ignotis populis ad humanitatem reuocandis & imbuendis. Itinera peragebat semper pedes, & per quantauis aspera non se committebat gestandum (pro more Gentis) in reti; acciditque cùm ad pa-

Vivendi modus asperus.

L. 3. c. 7. n. 5.

gum (dictum à Conceptione Virginis) pergeret viâ petrosâ & inæquali, motus commiseratione Lusitanus quidam qui comitabatur dolebat boni senis vicem in tam aspera laborantis; Ille commiserationem ad tentationem ab occulto hoste pertinere interpretans, depositis confestim calceis vestigia figebat tanquam qui inimicum calcaret, & tanta celeritate præcurrebat socijs vt longo ante illos spatio ad pagum perueniret. Aliàs cum è pago Sancti Pauli ad honestæ familiæ villam audiendæ Confessionis gratia transisset, tam fuere piè importuni Domini Villæ vt vrbanitatis fines transgressurus videretur si oblatum ad reditum rete recusaret; Itaque sub hospitum oculis conscenso reti consedit, gestabaturque à duobus hinc inde succollantibus Indis. Vix ad iactum sclopeti processerant, cùm baiuli sentientes se onere leuatos, neque vnde id esset perspicientes, inter se suo idiomate dicerent *Nipoſi*, hoc est, non grauat iste: Multo verò mirati sunt amplius quando ad pagum progressi viderunt ante se Patrem hunc *Almeidam* stantem ad ianuam Collegij subridentem & annuentem illis eo quod dolo sancto illos decepisset; adhæsitque deinde illi inter indigenas nomen *Patris magni qui non grauat.* De Instrumentis verò quibus carnem affligebat paria narrantur nominatis Eremi habitatoribus; neque ieiuniorum ac vigiliarum minor erat asperitas, aut strati duritas, neque precationum dies noctesque continuata duratio. A cingulo sursum armabat se cilicio ex setis equinis aspero quo domi vtebatur & foris: Alterum, insertis septem crucibus ex ferro aculeatis, in honorem septem verborum Christi morientis, à cingulo deorsum induebat domi tantum nè iter agentem impediret; habebat & minora cilicia intertextis catenis ferreis; Catenas etiam integras quas toti circumuoluebat corpori, & laminas æreas ad tegenda brachia, crura, tibias, non minus aduersus spirituales inimicos armatus, quàm hostem aggressuri milites cataphracti. Simili varietate vtebatur in flagellis: quædam habebat ex ferro, quædam ex fidibus confecta, alia ex funibus contortis, alia ex bouino corio, omnia imbuta copioso sanguine, quo etiam tinctum sæpius reperiebatur pauimentum: Qua in re illud stuporem exaggerat, quod ad vltimam vsque ætatem hac seueritate in se sæuierit, donec aliquot ante mortem annis iussus est instrumenta asperiora comburere, de quo in quibusdam suis scriptis sic ait. " Etsi in pago Sancti *Francisci Xauerij* combussi omnem meam armaturam quâ me totum armabam, brachia etiam & crura, ita vt vix illa possem mouere, duo tamen cilicia retinui quibus adhuc vtor, sine crucibus & ferreis catenis, & gesto quotidie, & singulis diebus sæpius me flagello vsque ad sanguinem.) numerabat verò tempore quo hæc scripsit annos Societatis quinquaginta tres, ætatis septuaginta quatuor.

L. 5. c. 2. n. 4.

Lib. 3. c. 8. Varia genera cilicio-rum & flagellorum.

Alio vero loco de cilicio inferiore quod domi tantum gestabat, hæc addit, " Quando eundum mihi erat foras anticipabam & induebam mea cilicia, præcipuè in pago Sancti Michaëlis & Conceptionis: » Neque vnquam per ista impediebar in ijs quæ mihi ab obedientia demandabantur

dabantur; iuuabant me potius, & recreabant & addi mihi sentiebam robur animi, & alacritatem.

XXXXIV. Ieiuniorum deinde Catalogo hanc præfixit præfationem. " Per gratiam Dei & Domini nostri, & Beatæ Virginis dominæ meæ, Matris Dei, Patronæ, Magistræ, Ducis, lucis, & fortitudinis fragilium & ſpe deſtitutorum peccatorum, qualis ego ſum, rogo omnes Sanctos vt velint mihi adeſſe, fauorem & auxilium præſtare, & orare Deum pro me; quandoquidem non habeo in me aliud in quo poſſim ſpem ponere, habeo vero infinitos defectus, & peccata enormia, fœda, & horribilia propter quæ merito poſſum timere damnationem & æternam perditionem, quæ ego noui, agnoſco & confiteor; & bene ſcio quod Deus Dominus noſter illa nouit, & ego illa noui, & non nouit alius præter me: Illa hic non commemoro, quia multa charta opus eſſet: Nunquam enim ſciui aut potui facere aliquid boni; & ſi in iſto quod hic memoriæ cauſa pono ſit aliquid aut mereatur nomen boni, non eſt meum, ſed Dei Domini mei. Ponit deinde Ieiuniorum ordinem quem tenere decreuerat. " Primo; Omnibus ſecundis ferijs totius anni, in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, & pro animabus in Purgatorio, nihil comedam; geſtabo etiam vnum ex tribus cilicijs, iuxta diſpoſitionem vel infirmam vel fortiorem pauperis iumenti; cum conſuetis muſcarijs ex quatuor meis flagellis, in memoriam, amorem, & venerationem, immanium & crudeliſſimorum illorum quinque millium, ſeptingentorum & ſeptuaginta & amplius verberum, quæ meus bonus, verus, & amantiſſimus Dominus ac Redemptor *Ieſus* Chriſtus dignatus eſt pro meo amore pati. Omnibus tertijs ferijs totius anni, in pane & aqua cum eo quod ſupra, in honorem Archangeli Michaelis, Angeli Cuſtodis, & aliorum Angelorum, rogando vt mei miſereantur, neque derelinquant in vita neque in morte, & orent Deum vt velit mihi parcere & me ſaluare. Amen. Omnibus ferijs quintis, nihil; in honorem Spiritus Sancti, & Sanctiſſimi Sacramenti, Sancti Patriarchæ noſtri *Ignatij*, Sanctorum Apoſtolorum, & omnium aliorum Sanctorum & Sanctarum qui ſunt in Gloria, vt Spiritus Sanctus dignetur me illuminare, & inflammare diuino ſuo amore, & docere, & dare diſpoſitionem debitam ad celebrandum, & tractanda tam alta & ſublimia Myſteria, qualia includuntur in Sanctiſſimo Sacrificio Miſſæ, cum debita humilitate, timore, & amore. Omnibus ſextis ferijs anni, meminero abſtinentiæ toties nobis commendatæ in regulis initio cuiuſque menſis, vt eam obſeruem ſecundum conſuetudinem Societatis, & ſicut reliqui in Societate. Et quando potero, omnibus diebus vitæ meæ in pane & aqua, & aliquando nihil. Meminero etiam quod propoſuerim abſtinere à vino totâ vitâ, & nunquam illud bibere niſi in aliqua neceſſitate. Omnibus Sabbathis anni nihil; in honorem Sanctiſſimæ Dominæ

„ meæ, Matris Dei, cum omni alio quod ipsa scit, & desiderat vt faciam;
„ & spero quod nunquam mihi deerit, cùm sit mater misericordiæ & pietatis,
„ & obtinebit vt viuam & moriar in Societate cum vera pœnitentia de o mni-
„ bus peccatis meis, cum Sacramentis etiam Confessionis, & Sacræ-Vnctionis,
„ in fide & spe viua & vera æternæ salutis. Dominicis diebus, & ferijs
„ quartis, sicut alij; ientando, prandendo, cænando, quando dabitur reliquis qui
„ domi sunt; In omnibus ieiunijs ab Ecclesia præceptis, Quadragesima, quatu-
„ or temporibus, Vigilijs Sanctorum, vt magis me conformem voluntati
„ Dei, & obedientiæ Superioribus debitæ, ieiunabo vt alij eundo bis ad Refecto-
„ rium ad prandium & collationem. Et quando ieiunat Ecclesia, ieiunabo vt
„ ieiunat Ecclesia nisi ratio aliqua singularis occurrat. Cùm ieiunan-
„ dum mihi erit in pane & aqua, comedam semel in die tantum; si inueniam
„ me debilem, aut alioqui sit necessarium, petam plus panis, iuxta licentiã quam
„ habuero & habeo à Patre Ministro. Et totum hoc quod hic scriptum
„ est, & quidquid aliud facere, aut proposuero facere, non aliter est, aut erit,
„ quam fuerit voluntas Dei, & prout Sancta Obedientia ordinauerit & manda-
„ uerit. Et memori mente habebo præ oculis infinitum quod debeo Deo,
„ Creatori, Redemptori, & Saluatori. O Anima mea, cæca, fæda supra
„ omnes mundi fæditates, fugitiua, adultera, ingrata, obliuiosa, indigna tam
„ bono Domino, Redemptore, Sponso amantissimo, qui tam benè mihi vo-
„ luit, & vult, & passus est pro me & non detrusit in Infernũ, neque puniuit vt
„ sum pluries meritus, & plusquam omnes animæ quæ ibi sunt. Propterea co-
„ nabor esse alter quàm hactenus fui in omni perfectione & mortificatione, in
„ qua Sancti Societatis *Iesu* qui sunt in cœlo & qui hodie viuunt in vniuerso
„ mundo studuerunt excellere: ideoque denuo renouo id quod sæpius firmiter
„ proposui, mortificare me in omnibus meis sensibus. Et legam reco-
„ lamque ista sæpius vt hæreant memoriæ, & vt possim illa opere exequi iuxta
„ voluntatem Dei; obseruando obedientiam erga omnes meos Superiores &
„ Confessarios, omnibus diebus vitæ meæ, vbicunque fuero, aut esse potero,
& Deus me duxerit ad gloriam suam, & salutem certam animæ meæ.
Amen.

„ XXXXV. Modum verò orandi quem tenuit, iussus à Superiori-
„ bus anno huius seculi quadragesimo quinto, ipse descripsit his verbis. Quod
„ attinet ad particulares deuotiones, habeo multas singulis plerumque diebus,
„ ad tres, & aliquando ad plures horas, eo modo qui sequitur. Prima dirigitur
„ ad Sanctissimam Trinitatem. Secunda, ad Sanctissimum Sacramentum: Ter-
„ tia ad Sanctissimum Dominum *Iesum*: quarta ad Sanctissimam Mariam,
„ Matrem Dei, dominam meam & omnium quæ creata sunt, sponsam Sancti
„ Iosephi Patriarchæ: His perfungor in Oratorio imaginario à multis annis ere-
„ cto in corde meo; quo vtor de die & de nocte, vbicunq; locorũ sim, in mari,
„ & terra, in oppidis, & in desertissimis solitudinibus: aliquãdo cum maiori fer-

uore,

» uore, deuotione, & facilitate: diuidendo Oratorium hoc in tres partes siue
» tria altaria; in fronte est Sanctissima Trinitas, à sinistris Tabernaculum cum
» Sanctissimo Sacramento; & vltimo loco Sanctissima Virgo, cum Sancto
» Ioseph, & Domino meo *Iesu* in medio porrigente vtrique manus. Animâ
» meâ cum omnibus potentijs meis, Memoria, Intellectu, Voluntate, & quan-
» tus sum ego, prostratus in genua, facie & capite in terra, dico, *Benedicta sit*
» *& laudetur Sanctissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, &*
» *Sanctissimum Sacramentum, & Sanctissimum nomen Iesu, & Sanctissima*
» *Virgo Maria, Mater Dei, Domina mea, & omnium quæ creata sunt, sponsa*
» *Sancti Ioseph*, ore animæ meæ, & corporis huius peccatoris, & sensibus vni-
» uersis, osculando pedes singulorum, eo modo prostratus in vtramque faci-
» em, sæpius repetendo *Iesu, Maria, Ioseph*, & in fine, *Gloria Patri, & Filio,*
» *& Spiritui Sancto, & Virgini Mariæ.* Quod à multis annis soleo secretò a-
» pud me dicere, in fine omnium Psalmorum in officio diuino & in sacro, &
» vbicunque dico *Gloria Patri*, Do etiam gloriam Virgini Mariæ, Matri meæ
» & Dominæ. Alias deuotiones, quæ erant multæ, & digestæ per an-
» nos, menses, & dies, & loca in quibus illis vtebar, cum nominibus omnium
» Sanctorum quorum diebus erant affixæ, & causis propter quas illis vtebar,
combussi propria manu in pago omnium Sanctorum, de quo valde do-
leo; ab illo tempore imperfectè vsus sum illis, & perseuero vti illis prout
possum. Quantam verò cum his consuetudinem habuerit videre est in
alio indice, in quo memorat Sanctum diei in quo natus, & eius in quo exiuit
Anglia, quo portum tenuit Vianæ, quo soluit Pernambucum & quo intra-
uit, eorum etiam quorum memoria agebatur diebus illis omnibus quibus
» nauigauit; & quo rursus relicto Pernambuco admissus est in Societatem &c.
» Et denique, inquit, omnes Sanctos in quorum diebus contigit me quo-
» quam proficisci rogo & per omnem vitam meam rogabo, donec anima ista
» mea à corpore euellatur, vt mei velint misereri, & pro me orare Dominum
» Deum nostrum. Idemque peto & petam ab omnibus Sanctis quorum
habeo reliquias, aut imagines; & Sanctis etiam erga quos affectu peculiari
feror, & qui mihi sorte contigerunt, vsque ad mensem præsentem anni 1651.
Is erat tertius ante felicem eius ex hac vita transitum. Inter Sanctos autem
quos studio singulari colebat, numerat *Thomam Cantuariensem*, & *Edmundũ*
Campianum cùm omnibus in genere martyribus Magnæ Britanniæ; illos et-
iam qui in India, & qui in Iaponia passi sunt, & *Magnum Iosephum de An-*
chieta; qui licet omnes non sunt eo titulo publicè ab Ecclesia cohonestati, eo-
rum tamen intercessionem sibi vtilem fore existimabat cùm priuatim inuo-
carentur.

XXXXVI. Is verò qui tam multos susceperat impensè colendos
necesse erat vt & magna vteretur contentione animi, & temporis pluri-
mum impenderet precationi; vt mirum non sit narrari, in more quotidiano
illi fuisse secundâ post noctem mediam horâ surgere cum in Collegijs esset,

& ad sextam perseuerare in oratione, genibus semper incumbentem manibusque ad cœlum erectis; sæpe etiam noctes integras insumere. Tum si officium diuinum percurrendum esset non exiguam in illo moram trahebat antequam inchoaret proponendo sibi quidpiam ex passione Christi Domini, hoc ordine: Ad matutinas preces, conflictum in Horto vsque ad Petri negationem: Ad Primam: ea quæ acciderunt apud Herodem & Pilatum; Ad Nonam; illa recolebat quæ in cruce passus est vsque ad mortem: Tum in vesperis & Completorio, officia piorum circa corpus, & sepulturam. Sacrosanctium Missæ Sacrificium singulari attentione peragebat; dicebatque multa sibi in eo diuinitus ostendi, & donari: vtebaturque precibus particularibus ad Spiritum Sanctum directis ad impetrandam debitam cognitionem tanti Mysterij, & congruam animi humilitatem. Quocunque verò loco precaretur, totus in Deum & diuina absorptus nulla succedentium rerum nouitate, nullo occursu dimouebatur: quæ attentio in familiarem cum proximo consuetudinem se diffundẽs, & Deum illi ante oculos mentis præsentem semper adesse monstrabat, & colloquia non nisi cœlum redolentibus floribus adsperſa proferebat, neque continere se poterat frequenter ardor internus quin improuiso erumperet in voces & suspiria, vel cùm super mensa quidpiam legeretur, vel cùm obiret ipse domum; ita vt quærentibus indicio hæ voces essent vbi locorum esset reperiendus; sapiebant autem plerumque vel amorem accensum Diuinæ Majestatis, & pro beneficijs acceptis gratitudinem, vel reuerentiam erga Beatissimam Virginem (quam affectuosissimè sub titulo, *Matris suæ* & *Matris Admirabilis* venerabatur) vel denique sui ipsius absolutissimũ contemptum, qui quantus esset ex dictis superius facilè discitur, & ex Epithetis quæ dum de se loquebatur illi erant familiaria iumenti, putredinis, sordium, fęditatum, indigni cuiuscunq; boni, nihil à quoquam merentis præter contemptionem: eaque de causa facilè agnoscebat natum se esse in Anglia, inter hæreticos, alienigenam, indignum qui inter homines Religiosos viueret, ex mera ipsorum erga Deum caritate, erga se patientia sustentari. Expendebat seriò non solum quid esset secundùm corpus, sed multò magis animæ cæcitatem, procliuitatem ad frequentes lapsus, peccantium miserias; inter quos se reputans grauissimum exclamabat, Væ mihi misero peccatori: quotidie me sentio peiorem, & magis abominandum in omnibus: magis quotidie ad obsequium Dei Domini mei tepidum, & negligentem in seruandis regulis; quapropter ex intimis visceribus & omni qua possum contentione rogo Reuerentiam Vestram vt mei misereatur, & orare velit pro me Deum Dominum nostrum, & Beatissimam Virginem; certus sum etenim quod peccauerim, incertus an sim veniam consecutus.) Laudatores suos numerabat inter pessimos inimicos; Opificem, qui septem cruces ex ferro aculeatas (nesciens quo fine) fabricarat, acerrimè reprehendit, quòd cùm resciuit non tacuisset. Gubernatorem Fluminis Ianuarij excusantem se quod, nesciens quis esset, tardior fuisset

fuisset ad inuisendum, abductum humaniter à cætu cæterorum, rogauit impensè vnum vt concederet, nimirum, vt sui in posterum nullam rationem haberet, neque inuiseret, nè daretur occasio existimandi aliquid se esse cùm miser peccator sit, indignus quem quisquam hominum aspiciat. Locum postremum frequentissimè occupabat inter illos etiam qui non erant Sacerdotes; monitusq; aliquando à Superiore vt vel ea de causa suum caperet, nè fratribus molestiam crearet: " Et quis sum ego, inquit, nonne iumentum? & vilior iumento?) Promptissimè inseruiebat alijs, libentissimè vlceribus, summa cum alacritate vniuersis. Quanta diligentia, & quo labore omnibus omnia factus est, vt cum Apostolo omnes lucrifaceret, vti intelligatur, longam opus esset texere Historiam de natura locorum, de cæli soliq́ue temperie, de barbaris gentium moribus, de itinerum longitudine, de horridarum vastitate syluarum, de montium peragrandorum immani altitudine & asperitate, de veneficarum præstigijs, de humanæ carnis vorandæ innata illis gentibus auiditate, de consuetorum per Europam commodorum inopia, seu quæ sunt ad victum spectes, seu quæ ad vestitum atque habitationem, quibus omnibus tolerandis & superandis *Almeidæ* enituit industria atque constantia.

XXXXVII. Prima eius statio post Sacerdotium susceptum fuit oppidum *Sancti Pauli*, sic dictum ab Apostolo quoniam in die eius Conuersionis primũ eo loci celebratum est Sacrosanctũ Missæ Sacrificium, operante P. *Iosepho Anchieta:* cui cùm noster *Almeida* fuisset olim discipulus, tanti viri recordatione non parum & recreabatur, & verò animabatur ad labores illi Missioni congruentes. Circumiacentes Indorum Pagos ab *Anchieta* collectos percurrebat in orbem pedes, nixus baculo, ad victum contentus quibuscumque quas vltro fundebat terra herbis atque radicibus, & ad potum melle Syluestri aqua misto. Instruebat, Baptizabat, animas curabat & corpora, vt in nullo deesset misero populo omnibus indigenti. Inter testes iuratos reperiuntur qui affirment nunquam vidisse se P. *Ioannem de Almeida* in lecto stratum; maximam verò noctis partem notasse transigentem in oratione, vel sedentem, vel nixum genibus. Alij in sex vel septem annis quibus illum in Missionibus fuerant comitati nunquam conspexisse vescentem aut carne aut pisce, contentum obuijs herbis, robustum tamen & validum, & magna constantia & laborum patientia vrgentem opus: nũquam vsum esse equo aut reti, sæpe depositis tibialibus implesse calceos arena quò se magis affligeret, tam parum sui erat amans dum alteri nulli studebat esse aut molestus aut grauis. Isthic cùm se totis octo annis laborioſum, deq́ue salute vniuscuiusque procuranda perquam sollicitum atque industrium probasset, ad nouum opus & arduum auocatur, vt quam solertiam atque sedulitatem in collectis populis excolendis ac fouendis adhibuisset, eandem in colligendis, atque ad humanitatem formandis poneret. Est à Sancto Paulo

Missiones. Ad oppidum Sancti Pauli Lib. 3. c. 7.

Ad Patos Li. 4. c. 10.

Paulo plus centum leucis distans regio, quam *de los Patos* antiquiores nominarunt, altero tanto à flumine Argenteo disiuncta, gente habitata mansuetiore quàm illæ plerum que ferunt Prouinciæ. Huc, relicto Flumine Ianuarij, in cuius Collegio se ad iter parauerat, per pagos Conceptionis, Sancti Ioannis, & Sanctæ Mariæ ad Niues, ad Insulam Sanctæ Catharinæ in cymba delapsus, cùm traiecisset socius P. Ioanni Fernandez *Gato*, acceptus est à concurrentibus populis summa cum lætitiæ significatione; intelligebant enim ab huiusmodi hominibus nil nisi salutare inferri. Ac primis duobus annis quibus ea loca coluit tantam fidei Christianæ amplectendæ retinendæque cupiditatem illi nationi iniecit, vt cùm expleto concessionis tempore redeundum per obedientiam esset, absconderent indigenæ cymbas, neque in discessum consentirent nisi facta promissione reuertendi, iunctisque ex gente sua Legatis sex qui coram necessitatem reditus explicarent. Oratione verò ac Mortificatione magis, atque feruore dicendi profuisse dicitur, quàm linguarum peritia, aut eloquentia. At interim dum de reditu capitur consilium alia illi defertur Missio, à Flumine quidem Ianuarij proprior, ab humano autem more longe alienior, neque minus montium Syluarumque proceritate & asperitate horrida, quàm insita humanarum carnium edacitate horrenda: montes tanto celsius Alpibus dicuntur eminere quanto Alpes subjectis vallibus; edacitas verò tanta est vt non in delicijs modò habeatur illa caro, sed exquisitis ceremonijs celebrentur dies quibus illa vesci contigerit, & humanorum ossium ingentes cumulos habeant, ad tuguria sua congestos, monimenta egregiè, scilicet, factorum cum sese inuicem mactarint. Vallibus etiam suæ non desunt delitiæ, fontium, riuorum, lacuum, pratorum, piscium, ferarum, auium, diuersi multipliciscj, generis, si genus hominum in bestias non degenerasset, & in se inuicem non essent quàm in ipsas quas venantur quotidie feras crudeliores. *Goaitacázes* nominabantur, nullo cultu Religiosi; diuinationibus dediti, diuinitatem nullam venerantes, neque vitam agnoscentes alteram quàm quæ hîc bestiarum in morem agitur. Iunctus igitur P. *Ioanni Lobato* (viro in ora Brasiliæ æquè admirando) comitante cum suis Capitaneo Promontorij Capitis frigidi, iter ingreditur exeunte Sept. anni sexcentesimi decimi noni; legunt litora, peruagãtur syluas, auscultant si quis forte strepitus audiatur ingruentium venatorum: cum primis qui apparuere inito fœdere, ad interiora penetrant sumptis ex ijs ipsis viæ ducibus cum quibus primò pepigerant. Pluribus deinde in congressibus cum pluribus remotioribusque habito colloquio, & firmata pace commercioque cum Lusitanis, fructum tulêre operæ à metu præsenti securitatem, spem in futurum totius gentis conuertendæ, & in formam quæ nunc est liberaliorem reducendæ.

Et ad Goaitacazes. cap. 11.

Redit ad Patos L. 4. c. 15.

XXXXVIII. In reditu ad *Patos* spei expectationique non respondit euentus. Gens facilis & inconstans, seiuncta à Christianorum commercio,

cio, multis implicata superstitionibus, multis, maleficiorum circumscripta atque ludificata præstigijs, nullius subdita potestati, faciles recta nuntiantibus dabat aures, difficulter actione quæ audierat complectebatur, naturâ vitiatâ inhibente, retrahente consuetudine, exemplo, Societate, quæ, cùm nõdum eo loci constituenda videretur Europæorum Colonia, plus virium habitura essent ad semina quæ iaciebantur corrumpenda, quam paucorum hominum industria aut labores ad fouenda: Itaque re cum Superiore *Dominico Coelho* per literas communicata reuertit ad S. Paulum, paucorum Infantium Baptizatorum coronis cõtentus, quando quidem adulti tanti præmij sua se rapacitate reddebant incapaces. Duo hoc in itinere narrantur accidisse miraculo similia. Delẽderant nauigantes in Insulam Sancto Sebastiano & oppido Sanctorum interiacentem; post modicam refectionem subduxerat se *Almeyda*, pro more suo, vt orationi recollectionique aliquid daret temporis; Cùm ad horam conscendendi non adesset quæritur solicitè & sat diu; cura suspensis omniũ animis tanquam de perdito, apparet subitò in medio astantium, auditurque dicere, *Hiesum*, cùm nemo quâ vel vnde venisset notare potuerit. Aliud erat de Balena cymbam insequente; Hæ illis in oris visuntur frequentes non paruo commeantium periculo. Accesserat propius ista, & capite cymbam penè contingebat; *Almeida* imperterritus suum exerit, & data benedictione dimittit ludibundã & quasi de beneficio exultãtem. Et hæc quidem vnicuique licitum est pro arbitrio interpretari; Pleni sunt autẽ eius Historiæ libri quintus & sextus, varijs generibus curationum, prædictionumque, quæ si ita vt narantur gesta sunt, haud paruam miraculi speciem gerunt; gesta autẽ esse vti narrantur non est cur quispiam in dubium vocet, cùm à fide dignis & iuratis testibus narrentur: quorũ quædam hic inserenda duxi, nè eius viri per Europam obscura sit existimatio, qui in altero orbe commune fuit dolentium perfugium, & oraculum dubitantium.

XXXXII. *Ioannes de Oliueira* Coadiutor Societatis & Pharmacopæus â febris Hecticæ ægritudine eo deductus fuerat vt cùm graueolentem putredinem per os ejiceret, medicorum iudicio à communi conuictu procul amouendus videretur, accedit ad hominem *Almeida* & sic alloquitur; "Doleo, mi frater, quod Medici tuo malo non reperiant remedium: si Pater Rector dabit veniam, ego ducam te extra Collegium, & confido in Deo, & in Virgine Matre Admirabili, & in Patre nostro *Francisco Xauerio*, quod post paucos dies reducam te sanum, vt multis deinde annis possis seruire Societati.) Eadem cùm repetijsset coram Rectore, impetrata licentiâ concedit in villam illi Collegio annexam (erat autem Fluminis Ianuarij) Isthic instituit nouendiales ferias Ieiuniorum, ciliciorum, flagellationum, precationum, in honorem præcipuè Virginis Matris & Sancti Xauerij; de die Sacrosanctum Sacrificium offerebat in eundem finem, de nocte adibat bonum fratrem, animabat, foue bat manu pectus & latera, hortabatur vt suam adderet operã precando, & in intercessione Beatissimæ Virginis & San-

Curationes L. 5. c. 7.

cti *Xauerij* fiduciam collocaret; sæpius illi affirmans quod eorum meritis esset salutem recepturus. Die nouenæ vltimo post diuinam Eucharistiæ oblationem, irruens in amplexus " Eia inquit, frater, plurimas age Deo gratias, & Virgini Matri Admirabili; concessum est quod petebamus; confirmata fuerat in te febris hectica, cum vlcere in iecore; non voluit Deus vt morereris adhuc, sed vt ad aliquot annos viuas, sicut alter Rex Ezechias, cui addidit quindecim; die Sancti *Xauerij* eris perfectè sanus, ad eius enim interceſſionem concessit hoc Deus.) neque fefellit euentus; vt crastinus illuxit, (erat enim ille Sancto sacer) perfectè sanum reduxit ad collegium, & à porta domus ad infirmorum stationem pergens, (vbi simili ex morbo iacebat æger quidam antiquus Pater Andreas d'Almeida) versus ad fratrem," Carissime, inquit, tibi hunc Patrem commendo, hac enim de causa Deus tibi vitam prorogauit vt istius & aliorum huius Collegij infirmorum curam habeas.)

L. 5. c. 8. Francisco Bareto Faria creuerat intus in pectore Apostema sub iecore, quod arte Chirurgica sectum copiosam putremque fundebat saniem, non ex vlcere solùm, sed & ore, cæterisque corporis debilitati meatibus, iunctis symptomatibus mortem non longè positam indicantibus; Intrat *Almeida*, locum vlceris manu suauiter pertentat perfricatque, solatur ægrum, animat ad spem sanitatis interceſſore Sancto *Ioſepho* Virginis sponso, & huius effigiem apud eum memoriæ gratia relinquit, petens vicissim eleemosynam in fabricam Templi impendendã eiusdem Sancti; ponere iubet metũ, quod non esset ex illa ægritudine moriturus. In scientibus dubitationem ijs qui astabant, asseuerauit fidenter rem ita se habere, quoniam Dominus Deus Sancto *Ioſepho* illam fecisset gratiam. Conualuit; narrauitque Rectori alias rei circumstantias. Initio morbi accessisse *Almeidam*, pertentatoque latere fixisse sub pectore modicum ceræ tussisseque nè amoueretur donec ipse rediret; rediens reperit locum inflatum, prænuntiauitque illum esse in quo secandum esset Apostema. Tum tradidisse chartam hæc addens " Seruet benè Dominatio Vestra istam chartam, in illa enim scriptæ sunt gratiæ admirabiles quas Sanctus *Ioſeph* Sponsus Virginis operatus est, & operabitur in Dominatione Vestra in hac ægritudine; Legat illam sæpius postquam experientia cognouerit beneficium præcipuum sanitatis.) Chartam Baretus non legerat ægritudine impediente cùm *Almeida* illam repetijt, fortè nè in laudem suam aliquam cederet tanto ante tempore

L. 5. c. 1. n. 5. & 7. cognouisse notauisseque futura. Michaël d'Almeida ciuis Sancti Pauli habebat ancillam in villa quadam sua, quæ præterquam quod esset vtroque oculo capta, morbo afflictabatur tam graui vt multis tentatis inutiliter remedijs extrema opperiretur: Ingreditur *Almeida* noster pedes, reti, quo lecti vice vtebatur, ex bacillo pendente; (is modus erat quo domos suburbanas percurrebat ad mancipia spiritualibus auxilijs iuuanda) solatur afflictam, dat aures confitenti, tum manum imponens capiti. " Bono animo, inquit; sis Grimaneza (id enim erat ei nomen) statim sanaberis, & visum

visum etiam recipies) Vix exierat *Almeida* domo, surgit ancilla sana, & vtroque videns oculo:

Blasius Mendez in eodem Sancti Pauli oppido periculosè laborabat: ad angore & metu plenum ingressus *Almeida*, languentem excitat his verbis, "Frater mi; ne metuas; ex hac ægritudine non morieris; aduerte tamen animum ad id quod dico; prima post istam ægritudo te auferet; hoc monco vt ex nunc te pares, & cum Deo ineas gratiam.) Vtrumque euenit; surgit propediem sanus, & anno vertente rursum æger moritur.

Ad Flumen Ianuarij Antonius Correia luctabatur cum morte; in mœstam domum intrat *Almeida*; commotus lamentis luctuque familiæ dat se orationi; finita prece vocatam Matrem-familias solatur, affirmans maritum ex illa ægritudine non moriturum; & ad ægrum, "Permitte me, inquit, te his manibus tangere, quæ sæpius tetigerunt pedes magni Patris *Iosephi d'Anchieta*, eius enim gratiâ te sanabunt.) Ita à se amouens beneficij gratiam ab ægro depulit corporis infirmitatem, ab animo suo vanitatem. Lib. 5. c. 9. n. 6.

Non absimili modo Rodericum Trancozo restituit sanitati; Acutus in pectore dolor respirandi propè abstulerat facultatem, deficiebantque medicorũ artes: Iubet *Almeida* recitare orationem Dominicam semel, semel Angelicam salutationẽ: Tum, "Respice, inquit, in illam Dominam, cuius ad lecti caput habes expressam effigiem; fidenter te committe illi & Sponso eius Sancto *Ioseph*; Ter deinde ducto Sanctæ Crucis signo, & manu ad doloris locum applicatâ abstersa est confestim ægritudo, redijtque per gradus integra valetudo.

L. Centena sunt eiusmodi his libris sparsa quæ viuens patrauit, modò in summa penuria longè positis succurrens de quo est longa narratio libri quinti capite tertio; modo ad vota ægrorum præsens nullo interueniente nuntio; modò in tenebris cubile suâ præsentiâ collustrans, tanquam si clara dies illuxisset; modò quodam quasi imperio, modò manu ductâ per partem affectam & precando pellens ægritudines; modò maretur-bulentum impertita benedictione placans; modò terram modicâ iniecta aquâ fœcundans: & terrâ ipsâ sanans quam calcarat pede; etenim Licentiatus Emmanuel Vasconcéles ex dolore vehementi sinistri lateris nullam capiens quietem, apud superuenientem *Almeidam* questus, tulit responsum, se rem Deo commendaturum; & ille abijt; æger autem impatiens moræ, postulat pauxillum terræ vbi is recenter fixerat vestigium, & facto emplastro superponit pectori; resedit confestim dolor; alterò verò die cùm recrudesceret, eodem apposito remedio penitus euanuit. Lib. 5. c. 3. Ca. 9. n. 10 & 1. c. 4. n. 8. c. 6 n. 8. c. 4. n. 3. c. 2. n. 3. c. 9 n. 15. & c. 11. n. 4

Iam verò, si prædictiones prænuntiationesque enumerare velimus, non sunt illæ aut minus frequentes, aut minus admirandæ. Præterquam enim quod ea fere omnia quæ recitauimus mixtam habeãt præmonstrationem factorum; narrantur & aliæ de vita, vel morte consecutura, de itineribus mari vel terra faustis vel infaustis, Prædictiones. L. 5. c. 3. n. 1. & 7.

c 3 n 6. c 4 n 7. c 7 n 3. c 9 n 7. lib 6 c. 4 n 8. & c. 5. 6. & 7.

de bellorum successu,& periculis nauigationum: In quibus illud est singulare.

Annus huius seculi quadragesimus octauus, septimus erat ex quo Hollandi expulsis Lusitanis insederant *Loandam* Angolæ caput, totoque illo tractu & regno fuerant potiti. Eius anni initio Saluadòr Correia de Sa classem quinque nauium regiarum

Lib. 6. c. 1. n. 3.

appulerat ad Flumen Ianuarij, vt ex voluntate Regis, collectis ex vicino auxilijs, arcem construeret in Quicombo, loco opportuno ad subsidium Massangano imponendum, quo in solo præsidio Lusitani remanserant, summâ rerum omnium penuria laborantes Ea erat tunc temporis *Almeidæ* nostri fama & existimatio vt frequentes ad eum tum venerationis, tum consilij causa accederent. Correia in hoc genere deesse non voluit officio: hæsit tamen attonitus cùm firmissimè asseuerantem audiret " soluendum esse propediem die Maij duodecimo; prouidisse illi Deum nauigationem prosperam, victoriam præclaram de hostibus fidei, intercedentibus Beatâ Virgine Assumptâ, & Michaële Archangelo: hunc inuocaret, & Arce potitus, altare illi erigeret tanquam Patrono expeditionis.) Correia pro viri auctoritate anxius, rem refert ad Rectorem Collegij; Rector pro potestate quærit ab *Almeida* vnde hæc illi sententia & tam magna fiducia; quando neque haberet Correia in mandatis vt hostem lacesseret, neque apparatum congruentem, neque tempus ad diem condictum colligendi militem; praterquam quod Hollandus nouum validumque præsidium recenter vicino Pernambuco imposuisset, & haberet ad manum circumiacentes barbaros qui auxiliarentur. *Almeida* omni cum submissione audito Rectore non dubitanter respondet, "Pater Rector, scitne Reuerentia vestra quare ausus sim hoc promittere? Quia Deus Dominus, in Sacramento, quem manibus tenebam dedit mihi hoc sentire, & obligauit dicere: Vestra Reuerentia nil dubitet; permittat ire Generalem, & videbit magnas Dei misericordias.) similia respondit interroganti Prouinciali, iussisse nimirum Deum dicere. Collectis copijs instruxit Correia classem quam potuit; soluit ad diem duodecimum Maij; ciuitate *Loanda* potitur 15. Augusti; hostem in Arcem receptum ad æquas adducit conditiones die 21. ante expletam Virginis Assumptæ celebritatem; memor vaticinij dedicauit sacrarium Archangelo Michaëli; Ciuitas etiam mutato nomine dicta est à Virginis Assumptione. Hæc pluribus narrantur quatuor primis capitibus libri sexti; notantur & circumstantiæ dignæ obseruatione. Primùm de die duodecimo Maij; quo die si non soluisset, superuenientibus à Rege literis, fuisset retentus. Tum cùm non pauci de euentu prospero timidè loquerentur, sererenturque sermones de infelici nauigatione, constanter affirmabat *Almeida* dandas esse Deo gratias de præclara victoria, signiferum Christi Michaëlem de inimicis triumphasse; nuncios rei optatissimos ante celebritatem Vndecim millium Virginum peruenturos; id quod effectu probatum est.

Lib 6 c 5. 6 7.8.&c,

Sequuntur deinde prædictiones de faulta nauigatione eiusdem Correiæ dum rediret in

tet in Lusitaniam, de infausta Antonij Themudo, aliaque consimiles; de coniugijs, deque vitæ instituto Religioso vel seculari capessendo, aut retinendo, & pluribus alijs; de sua etiam prædestinatione & mortis tempore; quibus commemorandis insistere non est huius loci. Quis ex his fructus capendus

LI. Etenim in Sanctis viris vnde ista nascantur considerare operæ pretium est; dona ipsa quoniam neque ambienda sunt, neque haberi possunt nisi gratuitò dentur, diuinæ beneficentiæ deprædicandæ seruiunt, non imitationi. Ipsa tamen sua admirabilitate perstringentia oculos excitant animos ad quandam æmulationem virtutis, quandoquidem & humana fragilitas diuinâ fora gratiâ ad tantam potest exurgere perfectionem quantam in hoc viro videmus, & locupletissimus Deus nunquam est in largiendo remissus. Illa sui ipsius subtilissima cognitio, summaque contemptio, quâ se & maximum omnium peccatorem censebat, & hominum conspectu vtique; indignum; illa corporis asperrima ad vltimam vsque senectutem tractatio; somni cibique admiranda parcitas; labor indefessus; precandi assiduitas, atq; in Deo colendo submississima reuerentia, stimulos admouent ad torporem incuriamque excutiendam, quò in Dei proximique amorem accendensis nihil arduum nihil importunum existimemus quod ad illius gloriam, huius vtilitatem conducat. Non est in nostra gente ea feritas atque barbaries, aut in montibus horror, aut in agris vastitas, aut in vijs inæqualitas, aut in saltibus densitas, aut in regionibus solitudo atque inopia, aut Cœli solitæ aspiratio tam grauis & pestilens, vt nouo illi Orbi, tam à natura alieno, quàm regione disiuncto comparari possit Qualiacunque tamen hæc sint, huiusmodi virorum diligenti dignissimaque contemplatione molliuntur, & propositis exemplis nouo operi, noui animi instillantur, vt pudeat non sequi, licet omni ex parte assequi non tribuatur. In hac aspera viuendi ratione, quam descripsimus, produxit ætatem *Almeida* ad annos octoginta duos, neque equo vectus in itineribus, neque gestatus reti; Cumque Superior aliquando minaretur, nisi parcere sibi vellet, nullam imposterum illi attribuendam esse Missionem; Respondit Almeida, " nullum se defugere velle munus quod ex obsequio Dei esset aut proximi, pedestribus etiam itineribus; etiâsi cum vitæ periculo experienda illa essent; hoc sui officij esse, hunc temporis antiqui fuisse morem & consuetudinem) Cùm etiam de Cilicijs sollicitaretur ac cæteris corporis asperitatibus ab admirâte Superiore, cui pro potestate ostendenda fuerant omnia; "Hoc non miretur, inquit, R V. assuetudo omnia vincit; Ista fuerunt mea semper arma quibus in Missionibus, in locis desertis, in itineribus difficilibus mihi ab obedientia iniunctis luctatus sum cum diabolo. Hęc didici, & hæc à iuuentute me docuerunt primi mei magistri, præcipuè Sanctus ille Pater Iosephus de Anchieta; neque propterea mihi vnquam defuere vites ad quæcunque mihi ab Obedientia imposita; potius hoc modo me sentio validiorem; & potent Reuerentia vestra periculum facere.) Numerabat verò cùm hæc diceret an- Lib. 7. c. 3. n. 12. Lib. 7. c. 3. n. 4.

nos sex supra septuaginta. Exeso tamen paulatim pariete, collabitur domus. Lib. 8. c. 1. Tactus Apoplexia quadam, duodecimo Septembris decubuit, & vigesimo quarto sublatus est, anno huius seculi quinquagesimo tertio in Collegio Fluminis Ianuarij. De commotione ciuium clamantium, Moritur Sanctus; de pompa funebri; de miraculis post mortem nihil attinet dicere; virtutes robustæ illæ sunt quæ in his viris spectandæ veniunt vt in diem à Deo præstitutum simus parati Veniet enim aliquando *Sabbathum* illud in quo *aperietur porta Orientalis sex diebus clausa*: *Aperiet* etiam *Dominus Deus aurem* suis *qui non contradicent, retrorsum non abibunt*: Hæc nostra sunt vota: Ille *Auxiliator noster est, non confundemur.*

Ezechielis 46.

Ezaiæ. 5. 5.

Ipsi honor & gloria in seculum. Amen.

INDEX

INDEX HISTORIÆ.

PRÆFATIO.

Initia & progressus Schismatis in Anglia, in quo Catholici summi Pontificis potestatem conati sunt semper tueri, & ea propter præcipuè plurima sunt passi.

HEnricus Rex Angliæ, non impetrata separatione à legitima coniuge ab Ecclesia se separet. num. 1.
Sæuit in repugnantes. n. 4.
Schisma sub Edwardo & Elizabetha declinat in hæresim. n. 5.
Sacerdotes proscribuntur. n. 8,
Quid sub Iacobo & Carolo. n. 9,
Quid post Carolum? n 11.
Quid Catholicis fuerit ab initio propositum? n. 12.
Quid Societati Iesu? n. 13.
Quid ab hac Historia sit expectandum? n. 14.

Liber Primus.

ORigo Societatis & Schismatis Anno 1535. n. 1.
Ignatij prædictio. n. 3.
Hæresis Societati infensa. n. 4.
Admittuntur in Societatem Angli. n. 5.
Literæ Ignatij ad Cardinalem Polum. num. 6.
Non mittuntur Angli de Societate in Anglium. n. 7.
Elogia eorum qui in varijs Prouincijs præclara gessere & primum Guilielmi Good. n. 8.
Thomæ Darbishiers somnium vtile Doctoris Babingtoni. n. 10.
Eloglium Adami Brooke. n. 11.
Laurentij Arthuri. n. 12.
Ioannis Wike, Thomæ Williams. n. 13.
Richardi Storæi. n. 14.
Ioannis Howlet. n. 15.
Duorum Rattallorum. n. 16.
Memorabile votum pro salute Prouincialis. Ibidem.
Elogium Thomæ Stephanſoni. n. 17.
Ioannis Gibboni. n. 18.
Richardi Gibboni. n. 19.
Rogerij Bolbett, Ioannis Columbi, Thomæ Martialis, Ioannis Bustardi. n. 20
Thomæ Coniers. n. 21.
Aegidij Fezard, Hugonis Scriuener, Guilielmi Powel, Elizei Hayewood, Philippi Harrisoni, Guilielmi Actoni, Adami Higgins, Roberti Ardeni n. 22.
Humphredi Woodward, Edmundi Harewood, Simonis Hunt, Richardi Tancred. n. 23.
Thomæ Warecop. n. 24.

Gui-

Guilielmi Brusbei. n. 25.
Guilielmi Harte, Guilielmi Brookesbeyi, Georgij Gilberti. n. 26.
Non omnes admissi perseuerant; vt Edwardus Thorne, Thomas Langdalle. nu. 27.
Christophorus Perkins. n. 28
Hugo Grifflith, Ioannes & Thomas Wright, Thomas Stapletonus. n. 29.
Qui in Indias profecti vt Ioannes Yates, & Thomas Stephani. n. 30.
Coadiutores Temporales Ioannes Pellison, Guilielmus Lamberti, Rodulphus Emersonus, Ioannes Odoeni n. 31.
Cur tam pauci recensiti. n. 32.
Constantia Exulum. Ibidem.
Cur non missi in Angliam. n. 33.
Caritas Societatis Iesu in Angliam. n. 34.

Liber Secundus.

CAmpianus & Personius primi in Messe Anglicana. n. 1.
Campiani ortus & educatio. n. 2.
Initia Collegij Duaceni. n. 5.
Duaco Romam proficiscitur, & de vitæ genere deliberans in Societatem admittitur. n. 6.
Personius cur Oxonio discesserit. n. 7.
Transmittit in Belgium & vacat Exercitijs Spiritualibus. n. 9.
Tum Romam ipse, Campianus Pragam proficiscitur. n. 10.
Personius secundo Romam, & quid in via contigerit. n. 11.
In Societatem adscribitur, sequuntur contubernales. n. 14.
Quid interim in Anglia patiuntur Catholici ostenditur in Thoma Pondo. n. 15.
Mercuriani ad Pondum literæ. Ibidem
Pondi natales & cur Aulam deseruerit. n. 16.
Exercitia pietatis. n. 17.
In Gallias cogitans capitur. n. 18.
Qui carceres Londini. n. 19.
Epistola Pondi ad concaptiuos. Ibid.
Parat se ad mortem subeundam, moritur tamen domi suæ. n. 20.
Fabri Ferrarij conuersio. Ibidem
Catholicorum par vexatio. n. 21.
Epistola Pondi ad Personium. n. 22.
Initia & progressus Collegij Anglicani de vrbe. n. 23.
Artes Dæmonis ad opus interturbandum. n. 24.
Petitur à Societate Rector. n. 25.
Quid Personius Romæ. n. 26.
Alanus de Patrum Societatis Missione in Angliam agit. n. 27.

Liber Tertius.

CAmpianus Praga Romam proficiscitur & in Angliam. n. 1.
Epistola Campiani Audomaro. n. 2.
Personius primùm, tum Campianus incolumes euadunt Londinum. n. 3.
Conueniunt Sacerdotes complures non sinè graui periculo. n. 5.
Patrum ex Concilio Tridentino sententia de non adeundis Ecclesijs heterodoxorum. n. 6.
Toleti de eodem. n. 5.
Personius & Campianus secedunt Lõdino. n. 11.
Epistola Campiani ad Consiliarios Reginæ. Ibidem.
Quis primus de itinere Personio dederit manus. n. 12.
Epistola Campiani ad Mercurianum Generalem. n. 13.

Campiani celebris per Angliam memoria, & occasio scribendi, n. 14.
Personius scribit de non adeundis templis, & contra Charcum, n. 15.
Epistola Personij de re Catholica Anno 80. atque alterius Sacerdotis, ib.
Aucta persecutio, n. 16.
Geordij Gilberti elogium, ibid.
Pericula nostrorum, n. 18
Campianus secundo migrat Londino, & capitur, n. 19.
Catholicorũ domestica perfugia, n. 20.
Tentatur Campiani constantia primum promissis dein tormentis, num 21.
Dies dicitur disputationi, n. 22.
Iudicium fit de capite, n. 23.
Accusationis firmamenta, n. 24.
Campiani defensio, n. 25.
Iudicis sententia. n. 28.
Campiani verba vltima & mors, n. 29.
Campianus qualis fuerit, n. 30.
Quales sint in Anglia Sacerdotum conspirationes, n. 31.
Sherwini mors, n. 32.
Brianti constantia, n 33.
Petit Societatem, n. 34.
Eius votum & voti vis, ibidem
Felix exitus, ibid.
Literæ Personij de morte Campiani & Sociorum, n. 35.
Catholicorum pietas erga morientes, n. 37.
Baro Mansuander de Campiano, n. 38.

Liber Quartus.

Personius cur in Gallias, n. 1.
Libri editi & laudati, Ibidem
Eius industria ad Scotiam iuuandam, nu. 2.
Impetrat domum iuuenibus Anglis recipiendis Augij, num. 3.
Proficiscitur in Hispanias, ibidem
Literæ eius ad Chreytonium de Scotia, Ibidem
Eius opera ad Alanum promouendum, Ibidem
Quam vtilis in Gallijs, n. 6.
Memorabilis constantia viri Catholici, & Georgij Haddoci Sacerdotis, Ibidem
Thomæ Cottami natales & studia, num. 7.
In portu capitur, & liber se rursus tradit, Ibidem
Quantum tentatus in ipso supplitio, num. 9.
Sacerdotes complures exulant, nu. 10.
Gasparis Haywood elogium, nu. 11.
Iacobi Bosgrauij, n. 12.
Ioannis Harte, nu. 13.
Proscribuntur Sacerdotes, ibid.
Initia & progressus turbarum in Seminario Anglorum de Vrbe, numero 14.
Rector datur Anglus, Ibidem
Continuata Patrum Societatis missio in Angliam, nu. 15.
Westoni elogium, n. 16. & numero 25.
Nautæ conuersio, & Catholici desperabundi, n. 16.
Pax Wisbici turbata, n. 17.
Idea Associationis, n. 18.
Archipresbyter constituitur in Anglia Ibidem
Quid Personius egerit pro Episcopo in Anglia constituendo, ibid.
Quorumnam fuere petita suffragia, & quid ea in re Societas egerit, numero 19.
Societas nullam vsurpat auctoritatem in Clerum. n. 20.

Quid præstiterit Societas pro Sacerdotibus, & alijs, ibidem
Literæ Archipresbyteri de officijs præstitis. n. 21.
Propositum quorundam de restringendis muneribus Societatis, n. 22.
Religiosi in corpore Ecclesiæ non negligendi, n. 22.
Iurisdictio omnis vnde deriuetur. n. 23.
Origo communis omnium dissensionum, n. 24.
Westonus ad Londinensem Arcem wisbico amotus, exulat, migrat in Hispanias, moritur. n. 25.

Liber Quintus.

Personij iter in Hispanias, n. 1.
Initia Seminarij Vallisoleti, ibid.
Difficultates itineris eorum, n. 2.
qui mittebantur, ibidem.
Alia Vallisoleti superanda, n. 3.
Præcipui Mæcenates, ibidem
Aliud Hispali, n. 4.
Literæ ciuitatis Hispalensis de Seminarijs erectis, ibidem
Quid porro Personius, n. 5
Seminarium Audomari, n. 6.
Eius incrementum & splendor, n. 7.
Aegidij Schondonchi Laus, ibidem
Vita & mors Ioannis Cornelij, n. 8.
Eius in malos dæmones potestas, & reliquæ virtutes, ibidem
Proditur & capitur, n. 9.
Ducitur Londinum, & reducitur Dorcestriam, n. 10.
Damnatur cum socijs duobus, ibidem
Misericors Dei seueritas in Barone Stourton, n. 11.
Exemplum aliud non absimile, ibid.
Roberti Southwelli natales, educatio, ingressus in Societatem, n. 12.
Eius querimonia de dilatione admissionis, n. 13.
Mora quem tulit fructum, n. 14.
Quas virtutes præcipue coluerit. n. 15.
Animi sensus post vota. n. 16.
Studia &c. Romæ, n. 17.
Varia de virtutibus præcepta, n. 18.
Iter eius in Angliam, n. 19.
Epistola de itinere, ibidem
Quam vitam in Anglia duxerit, n. 20.
Familiæ Hawardorum calamitas, ibid.
Literæ Southwelli ad Comitem Philippum de Arondel n. 21.
Aliæ ad Sacerdotem de vitando vago viuendi genere, n. 22.
Parentem in viam vocat, n. 23.
Scribit de rebus pijs, ibidem
Animat se & alios ad aspera, n. 24.
Occasio captiuitatis, n. 25.
Cur pauci de Societate passi, n. 26.
Agitur de capite, n. 27.
Southwelli prima defensio, Ibid.
Defensio altera. n. 29.
Quo animo acceperit mortis nuntium; & eius vltima verba, n. 30.
Indicia constantis animi, n. 32.
Henrici Walpoli natales & educatio, nu 33.
Edwardi Walpoli conuersio, Ibidem,
Henricus fugit in Gallias, & amplectitur Societatem, ibidem
Capitur & ducitur Vlissingam, ibidem
Petit mitti in Angliam, n. 34.
Eius votum & aurea consideratio, Ibid.
In Angliam nauigat & capitur, n. 35.
Disputat cum Prædicantibus, n. 36.
Eius literæ ad Holtbæum, Ibidem.
Alteræ eius literæ, n. 37.
Recusat fugam, n. 38.
Ducitur Londinum & torquetur, num. 39.

Re-

Remittitur Eboracum & damnatur. Ibid.
Henrici defensio. n. 40.
Epistolæ post sententiam. ibidem
Ducitur ad supplicium. n. 41.
Edwardi walpoli in fide & Religione progressus. n. 42.
Cur pauca de nostris existent narranda. n. 43.
Christophorus & Richardus Walpoli. n. 44.
Calumnia in Richardum illata. Ibid.
Richardus se purgat. n. 45.
Argumentis alijs detegitur fabula. n. 46.
Pickeringi wottoni conuersio miraculosa. n. 47.
Michael Walpolus. n. 48.

Liber Sextus.

Res in Anglicano de vrbe turbatæ. n. 1.
Personius in Italiam nauigat; conciliat dissidentes. n. 2.
Opinio de Personio ad Cardinalatum promouendo. n. 3.
Literæ Oliuerij Manaræi super ea re. Ibidem
Literæ Personij de eodem ad Generalem. n. 4.
Aliæ ad D. Inglefield. n. 5.
Quid egerit Romæ vt sermonem remque auerteret. n. 6.
Præfecturæ Missionis Anglicanæ leges. n. 7
Eius Effectus. n. 8.
Ioannis Gerardi initia. n. 9.
In Angliam tendit, & euadit saluus. ibidem
Primi fructus. n. 10.
Fructus Exercitiorum. ibidem
Votorum etiam renouationis & redditionis Conscientiæ. n. 11.
Capitur. n. 12.
Fructus Carceris. n. 13.
Annæ Line Martyrium. ibidem
Francisci Pagij initia. ibid.
Rogerij Filcock certamen & San-Marci Barkwith. n. 14.
Pagius capitur. n. 16.
Eius post sententiam solatia & angustiæ. ibidem
Alterius lucta similis. n. 17.
Gerardus amotus ad Arcem, torquetur. n. 18.
Elabitur. n. 20.
Adiutores libertatis. n. 21.
Lilius dat se pro Gerardo capiendum. ibidem
Rogerius Lea. n. 23.
Guilielmus Holt migrat in Scotiam, & capitur. n. 25.
Conflatam in se Bruxellis inuidiam depellit. n. 24.
Literæ Personij super ea re ad Oliuerium Manaræum. n. 28.
Thomæ Hunt vita & mors pia. n. 29.
Duo Worthingtoni. n. 30.
Laurentij literæ ex carcere. n. 37.
Thomas Worthingtonus senior. n. 38.
Thomas Stannæus. n. 39.
Henricus Floydus. n. 40.
Ioannes Floydus. n 41.

Liber Septimus.

Elizabethæ defunctæ succedit Iacobus. n. 1.
Mortui ex nostris in Hispanijs. Ibidem.
Tyrocinij Anglicani initia. n. 2.
Aloysia de Carauajal quæ. Ibidem

Eius Testamentum. n.3.
Watenarum Sedes. n.4.
Iacobi Blasæi Epis. Audomarensis piæ cogitationes. n.5.
Difficultates circa Watenensem Anglorum habitationem. n.6.
Literæ Pauli 5. ad Blasæum, Et Philippi Regis. Ibid.
Alia difficultas ab Aula. n.7.
Watenæ rursus Anglis confirmatæ. n.8.
Blasæi ad Nuncium literæ. Ibid.
Aliæ ad Oliuerium Manaræum. nu.9.
Ad Franciscum Florentinum. n.10.
Ad Guilielmum Balduinum. n.11.
Ad Claudium Generalem. n 12.
Ad Paulum V. n.13.
Ad Personium. n.14.
Claudius ei communicat merita Societatis. n.15.
Persecutionis origo sub Iacobo. n.6.
Edictum in Sacerdotes. Ibidem
Aliud edictum. n.17.
Catholici spe deiecti & exacerbati conspirant. n.18.
Henricus Garnettus qualis. n.20.
Vnde orta Calumnia in Societ. n.21.
Eam remouet Digbeyus. &c. n.22.
Garnettus capitur. Ibidem
De Garnetti colloquio cum Oldcorno in Arce. n.23.
Garnettus accusatur. n.24.
Eius defensio. n 25.
Quid egerit Garnettus ad seditiosos comprimendos antequam erumperet coniuratio. n.30.
Eius vltima verba. n.32.
De vultu eius in spica. n.34.
Edwardi Oldcorni vitæ ratio & exitus. num.36.
Curatur miraculo. n.37.
Capitur & conuertit latronem in carcere. n.38.
De Oswaldo Tesimondo. n.40.
Gerardi post fugam ex Arce studia. n.41.
Liberat se à calumnia coniurationis. Ibidem
Migrat ex Insula. n.42.
Noua Calumnia discussa. n.43.

Liber Octauus.

LEges nouæ in Catholicos. n.1.
Iuramentum nouum. n.2.
Quid societas circa illud. n.3.
Breue Pauli V. ibidem
Literæ Personij ad Blackwellum. n.4.
Pontificis alterum Breue. n.5.
Richardi Holtbeyi initia & progressus n.6.
Literæ Claudij Generalis ad Patres in Anglia. n.7.
Domus Probationis Anglicana Louauanij. n 8.
Thomæ Garnetti Martyrium. ibid.
Iacobi Sharpe certamen cum parentibus. n 9.
De Guilielmo Wright. n.10.
Eius precandi breues formulæ. n.11.
Roberti Iones literæ ad nostros n.12.
De Guilielmo Balduino. n.18.
In carcere iuuat concaptiuum Catholicum. n.19.
Eius opinio de potestate Pontificis in Reges. nu.20.
Liber à calumnia coniurationis datur Rector Seminario Audomarensi. n.21.
Ioannis Perceyi vocatio ad fidem & Religionem. n.22.
Diuina Prouidentia in sene Schismatico n.24.
Perceyus 2. tertioq. capitur. ibid.
Eius coram Iacobo Rege disput. ibid.

Nicolai

Nicolai Harti velitatio cum sciolo. Ibidem
Thomas Strange. n. 25.
Ioannis Blacfanni conuersio &c. n. 26.
Personij extrema. n. 27
Eius literæ ad varios. ibid.
Eius virtutes. n. 28.

Liber Nonus.

TYrones Anni 606. Andreas Vitus, Thomas Laithwait. nu 1.
Huius caritas in concaptiuos. Ibidem
Fratrem conuertit & malefactorem n. 2.
Alij Nouitij, Iacobus Blundel, Edwardus Froke, Michaël Alfordus. n. 3.
Francisci Walsinghamij conuersio. n. 4.
Alterius etiam pseudoministri. n. 6.
Edmundus Neuillus n. 8.
Coll : Leodien: origo. n. 9.
Guilielmi Bruni pietas. n. 11.
Gerardi etiam Rogerij. n. 13.
Louanij peste sublati aliqui. n. 14.
Difficultates de agro empto Leodij. ib.
Georgij Talbotti industria & liberalitas erga nouum opus Leodij. n 15.
Gerardi ad Ducem Bauariæ, & Ducis ad Gerardum literæ. n. 16
Bauari munificentia. n. 17.
Eius diploma fundationis Colleg. n. 18.
Eius pia solicitudo de Collegio. n. 22.
Tyrones Anni 517. Thomas Coppley, Robertus Genison. n. 24.
Tres peste abrepti. ibidem
Aegidij Schondonchi Laus. n. 25.
Adolescentum aliquot sub ipso elogia; vt Thomæ Pen. n. 27.
Rarum Obedientiæ exemplum. Ibid.
Thomas Stillingtonus. n. 29.
Pœnitentiæ rarum exemplum. ibidem.
Eius elogium. n. 31.
Animæ in purgatorio detentæ liberatio. n 32.
Missio Anglicana erecta in Vice-Prouinciam. n. 33.
Richardus Blondus quis fuerit. n. 35.
Bis quæsitus euadit. ibid.
Eius virtutes. n 36.

Liber Decimus.

BLondus Missionem ad normam Collegiorum reducit. n. 1.
Domus tertiæ Probatis Gandaui. ibid.
Dæmon malus electus ope Sancti Ignatij. n. 2.
Prima Congregatio PP. in Anglia. n. 3.
Tria Collegia. ibidem.
Fructus ex solemnitate Beatificationis SS. Ignatij & Xauerij. n 4.
Patrum ex Gandensi domo labores. n. 5.
Ioannis Shelleyi conuersio & mors. ibid.
Vice Prouincia in Prouinciam erecta n. 6.
Tyrones in Anglia 17. ibid.
Fructus caritatis in pauperes. ibidem
Somnium salutare. ibid.
Duo ex nostris casu domus cum alijs oppressi. n. 7.
Renouata persecutio. ibid.
Varia diuinæ misericordiæ, & iustitiæ exempla. n. 8.
Perturbatio à Clero exorta. n 9.
Breue Vrbani VIII. super ea re. ibidem
Ex nostris plures mortui, Ioannes Laytonus, Simon Russellus, Ioannes Lombardi, Henricus del Som, Rodulphus Smithæus, Guilielmus Flaccus. n. 10.
Hic ope B. Aloysij liberatur à Calculi doloribus. ibidem
Edmondi Arosmithæi certamen & mors pro Christo. n. 11.

Iudicis immanitas & exitus infelix. n. 12.
Martyris de Martyre testimonium. Ibidem.
Guilielmus Andersonus capitur. n. 13.
Horror in scelere salutaris. Ibidem.
Constantia nobilium Catholicorum Baronis Wottoni, & Baronis Petri. Ibidem.
Nostrorum pericula. n. 14.
De concordia attentata inter Clerum & Regulares aliquot. n. 15.
Quid in ea Blondus. Ibidem.
Andreæ Wilsoni virtutes & fælix exitus. n. 19.
Blondus impetrata dimissione ab officio frustra tentat reducere affines suos hæresi imbutos. n. 24
Moritur. Ibidem.
Monita ab eo relicta Posteris profutura. n. 25.
Quid in hac tota Historia obseruandum. n. 33.
Catholici Regibus fidi. Ibidem.
Ere Hæreticorum esse aliam persecutioni prætexere causam quam religionis. n. 34.
Exempla aliquot Crudelitatis in Catholicos. n. 35.
Catholici in Anglia latere non possunt diu. n. 40.
Eorum Constantia & spes. n. 41.
Ioannis d'Almeida virtus. n. 42

INDEX ALPHABETICVS.

A.

AEgidij Schondonchi virtus & dotes egregiæ lib. 5. n. 7. & l. 9. 25. qualis vir. l. 2. 26.
Alanus vrget vt nostri mittantur in Angliam. l. 2. n. 27. factus Cardinalis agnoscit à Societate beneficium l. 4. n. 5. Eius de Georgio Gilberto elogium. l. 3. n. 16.
Alexandri Brianti certamen. l. 3. n. 33. eius literæ ad Patres Societatis & votum. ibidem n. 34.
Beati Aloysij ope Flaccus liberatur à doloribus calculi. l. 10. n. 10.
Aloysia de Carauajal quæ, & eius pium Testamentum. l. 7 n. 2. & 3.
Andreas Vitus. l. 9. n. 1.
Andreas Wilsonus. l. 10. n. 19.
Angelorum præsidium inuocandum. n. 20.
Angli admittuntur in Societatẽ. l. 1. n. 5. non mittuntur in Angliam, n. 7. & 33. Aliqui profecti in Indias, n. 30. consilium de mittendis in Angliam l. 2. 27.
Animæ è Purgatorio liberatæ. l. 5. n. 11. l. 9. 32.
Annæ Linæ martyrium. lib. 6. n. 13.
Archipresbyter constituitur in Anglia. lib. 4. n. 18. Non esse à Societate constitutum. n. 19.
Arosmithæus, vid. Edmundus.
Archipresbyteri literæ de officijs Societatis l. 4. n. 20.

Amor Dei qualis esse debeat, l. 5. n. 18.

B.

Baronis de Hobecque testimonium de spica Garnetti, lib. 7. n. 34.
Baronis Mansuander opinio de Campiano, l. 3. 38.
Baronum Wottoni & Petri constantia, l. 10. n. 13.
Bauariæ Ducis literæ ad Gerardum, & munificentia, l. 9. n. 16. & 17 Eius diploma fundationis Collegij Anglorum Leodij, n. 18.
Beaumontius, V. Oswaldus Testimondus.
Breuia duo Pauli 5. de Iuramento fidelitatis & de non adeundis templis Hæreticorum, lib. 8. n. 3. & 5.
Breue Vrbani VIII de facultatibus Religiosorum in Anglia, l. 10. n. 9.
Briantus, V. Alexander.
Blondus, V. Richardus.

C.

Calumniæ in Societatem diluuntur: in Gaspare Haywood, lib. 4. n. 11. In Richardo Walpolo, l. 5. 45. In Guilielmo Holt, li. 6. n. 26. In Henrico Garnetto, lib. 7. n. 25. In Ioanne Gerardi, n. 39. & 41. In Guilielmo Balduino, lib. 8. n. 21. In Ioanne Blacfanno n. 26.
Campiani Ortus & educatio, l. 2. n. 2. Migrat Duacum, inde Romam, admittitur in Societatem, n. 6 Brunâ mittitur Pragam n. 10 Româ in Angliam l. 2. n. 1. Cur hæserit Audomari n. 2. Quid Londini, n. 3. Epistola ad Consiliarios, nu. 11. & ad Mercurianum, 13. Scribit decem rationes, n. 14. Capitur, n. 19. Tentatur promissis & tormentis, nu. 21. disputat iniquis conditionibus, n. 22. Iudicium fit de capite, n. 25. Qualis fuerit, num. 30.
Carceres qui Londini, lib 2. n 19.
Catholicorũ domestica perfugia, l 3 n. 20. Regibus fidi, l. 10. n 33. Latere in Anglia non possunt, n. 40. Eorum constantia & spes, nu 41. Patiuntur Religionis causa, ib. n. 34. & l. 2 n. 21.
Christophorus Perkinus Apostata, l. 1. n. 28.
Christophorus Walpolus Frater Henrici, l. 5. 44.
Coadiutores Temporales Ioannes Pellison. Guilielmus Lamberti, Rodulphus Emersonus, Ioannes Odoeni, l. 1. n. 31 Guilielmus Brunus, lib. 9. n. 11. Gerardus Rogerij, n 13.
Ioannes Lombardi, Henricus del Som. l. 10. n. 10.
Collegij Leodiensis Origo, l. 9. n. 9. difficultates sopitæ, Ibidem.
Collegia tria in Anglia, l 10. n. 3.
Concordia inter læculares Sacerdotes & Regulares aliquot, l. 10. n. 15 Quid in ea Blondus, Ibidem.
Congregatio Prouincialis in Anglia, l. 10. n. 3.
Conspirationes Sacerdotum in Anglia quales sint, n. 31. l. 3.
Conspiratio pulueraria l. 7. n. 18.
Constantia Catholicorum in Anglia, Præfatio, n. 12. l. 1 n. 32. l. 2 n. 15 & 21. l. 3. n. 15. l. 4. n 6. l. 10. n. 13. Quando & cur à templis Hæreticorum abstinuerint, l. 3. n 5. & l. 7. n. 23.
Conuersiones variæ. Thomæ Warcopi, n 24. l. 1. l. 2. n. 16. Thomæ Pondi. Fabri ferrarij, num. 20. Edwardi Wal-

Walpoli, l.5.n.33.Pikeringi Wottoni, n. 47. Franciſci Walſingamij, lib. 9. n. 4. Iacobi Wadesworth, n. 6. Nobilis fœminæ, l. 7. n.36. Latronis in carcere, 38. & alterius, l 9.n. 2. variorum opera Campiani & Perſonij, l.3. n. 12. Schiſmatici, l. 8. 24. Comitiſſæ de Buckingham, ibidem. Fœminæ per tinnitum thecæ in qua agnus cereus, l. 10. n 8. Nautæ & deſperabundi, l. 4. n.16. Alterius Catholici poſt lapſum, l. 8. n. 19.

Crudelitas in Sacerdotes diſplicet Reginæ Elizabethæ, lib.3. n. 21. & l. 4. n. 10.

Crudelitas Iudicum in Catholicos ſeculares, l. 10.n.35.

D.

Difficultates cum vicinis Religioſis Leodij, lib 9. n. 14.

Difficultates cum clero in Anglia circa facultates, l.10. n 9.

Digbeyus moriens remouet Calumniam Conſpirationis à Societate, l 7. num. 22.

Diploma fundationis Collegij Leodienſis, l. 9. n 18.

Domeſtica Catholicorum perfugia, l. 3.n. 20.

Domus 3. Probationis Gandaui, lib. 10. n. 1. Patrum in ea labores n. 5.

Duo ex noſtris caſu domus oppreſſi, l. 10. 7.

Elogia Sociorum qui in alijs Prouincijs præclara geſſere, l. 1. n.8. vt Guilielmi Good, Ibid.

Thomæ Darbiſher, n.9.

Adami Brooke, n.11.

Laurentij Arthuri, n. 12.

Ioannis Wike & Thomæ Williams num. 13.

Richardi Storei, n. 14.

Ioannis Howlet, n.15.

Duorum Raſtellorum, n.16.

Thomæ Stephanſoni, n.17.

Ioannis Gibboni, n.18.

Richardi Gibboni, n. 19.

Rogerij Bolbet, Ioannis Buſtardi, Thomæ Martialis, Ioannis Columbi, n.20.

Thomæ Coniers. n.29.

Aegidij Fezard, Hugonis Scriuener, Guiliel: Powel, Elizæi Hayewood, Philippi Hariſoni, Adami Higgins, Roberti Ardreni, n. 22. Edmondi Harewood, Humfredi Woodward, n. 23.

Thomæ Warecop, n. 24.

Guiliel: Bromeſley, n.25.

Guil: Harte, Guil: Brokesbeyi, Georgij Gilberri, n.26.

Ioannis Yates, & Thomæ Stephani, n. 30. Coadiutorum Temporalium, l. 1. n. 30. l 9. n. 11. & 13. l. 10. n. 10. & n. 5.

E.

Edmondi Aroſmithæi certamen, lib.10. n.11.

Edmundus Neuillus. Senior, lib.9. n. 8.

Edwardus Dauiſonus, l. 10. n. 5.

Edwardi Oldcorni vitæ ratio & exitus, l. 6. n. 9. l. 7. 36.

Edwardi Walpoli initia & progreſſus lib. 5. n. 33. & 42.

Exercitiorum Spiritualium fructus lib. 6. n.10.

Edwardus Thorne Apoſtata, l. 1 .n.27.

Fran-

F.

FRanciſci Pagij initia & mors pro Chriſto, l.6. n.13. & 16.
Franciſci Walſingamij conuerſio, l.9. num. 4.
Fructus Caritatis in pauperes, libro 10. numero 6.
Fructus renouationis votorum, & reddendæ rationis Conſcientiæ, lib. 6. numer. 11.
Fisherus vide Ioannes Perceyus.
Floydus, vide Henricus & Ioannes,
Franciſci Toleti iudicium de non adeundis Eccleſijs Hæreticorum, l. 3. n. 10.
Fraus Hæreticorum, l. 2. 18. l. 5. nu. 36. l. 4. n. 9. 10. & 11.

G.

GAſparis Haywood elogium, libro 4. numero 11.
Garnettus, V. Henricus & Thomas.
Georgij Gilberti elogium, l. 3. n. 16. & 17.
Gerardi Rogerij virtutes, l. 9. n. 13.
Georgij Haddoci Sacerdotis ſecularis in carcere conſtantia, l. 4. n. 6.
Georgij Talbotti induſtria & liberalitas in initia Leodienſia, l. 9. 15.
Grenwayus, vide Oswaldus,
Guliel. Anderſonus capitur, l. 10. 13.
Guilielmi Balduini elogium, l. 8. 18.
Guilielmi Bruni virtus, l. 9. n. 11.
Guilielmus Brunſleyus, l. 1. 25.
Guilielmus Brookesbeyus, n. 26.
Guilielmus Good, n. 9.
Guilielmus Holt, l. 6. n. 25.
Guilielmus Weſtonus, l. 4. 16. 25.
Guilielmus Wright, l. 8. n. 16. Eius formulæ breues precandi, num. 11.
Guilielmus Lamberti, l. 1. 31.

H.

HAwardorum familiæ calamitas, l. 5. n. 20.
Henricus Floydus, l. 5. n. 1. l. 6. numero 16 40.
Henricus Garnettus mittitur in Angliam, l. 4. n. 15. Qualis fuerit, lib 7. 20. Capitur, accuſatur, ſe defendit, n. 22. &c. Plectitur, 32. eius vultus in ſpica. 34.
Henricus Lanman, l. 9. 14.
Henrici Walpoli initia, l. 5 n. 33. Eius votum & aurea conſideratio, 34. Diſputat cum Prædicantibus, 36. Eius literę ad Holt beyum, Ibidem. Recuſat fugiendi copiam, 38. Ducitur Londinum & torquetur, remittitur deinde Eboracum, numero 39. & damnatur, Eius defenſio & Epiſtola poſt ſententiam, num. 40. Mors conſtans, 41.
Humphredus Woodward, lib. 1. 23.
Hiſpalenſis Ciuitatis literæ de Seminarijs, li. 5. n. 4.
Henricus del Som. l. 10. n. 10.

I.

IAcobi Blaſæi Epiſcopi Audomarenſis liberalitas in Patres Anglos, l. 7. n. 5. Eius literæ ad varios, num. 8. Communicantur illi merita Societatis, 15.
Iacobus Boſgrauius, l. 4. 12.
Iacobi Scharpe certamen cum parentibus, l. 8. 9.
Ioannes Blacfanus, l. 5. & l. 8. 16.
Ioannis Cornelij vita Sancta & mors

pro Christo, lib. 5. 8. Eius potestas in dæmones, ibidem.
Ioannes Fisherus, vid. Ioannes Perceyus
Ioannes Floydus, lib. 41.
Ioannis Gerardi initia & iter in Angliam, lib. 6. num. 11. Capitur, 12.
Carceris fructus, 13. Amotus ad Arcem torquetur deinde elabitur, nu. 18. & 20. Eius post fugam studia, l. 7. 41. Liberat se à Calumnia conspirationis, 41. noua calumnia discussa, 43. Quid contulerit ad domum Leodiensem stabiliendam, libro 9. 16.
Ioannes Gibbonius, l. 1. 18.
Ioannes Lillius finit se capi pro Gerardo. l. 6. 21.
Ioannes Harte, l. 4. 13.
Ioannes Perceyus, l. 8. 22.
Ioannes Shelleyus, lib 10, 5.
Ioannes Howlett. l. 1. 15.
Ioannes Thomsonus, vide Ioannes Gerardi.
Ioannis Rastalli votum memorabile, lib. 1. n. 16.
Ioannis Wilkinsoni testimonium de Spica Garnetti, l. 7. 34.
Ioannes Worthingtonus, l. 6. 30.
Iuramentum Alumnorum Seminarij de vrbe primum. libro 2. numero 26.
Iuramentum quod vocant fidelitatis, l. 8. n. 2. Quid Societas circa illud, num. 3. Quid Paulus 5. Ibid. Personius ad Blackwellum de eodem, numero 4.
Ioannis Rigbeyi martyrium inopinatum, l. 10. 37.
Ioannes Odoeni, l. 1. 31.
Ioannes Pellisonus, Ibidem
Idea Associationis Sacerdotum in Anglia, libro 4. 18.
Iurisdictio vnde deriuatur in Sacerdotes, l. 4. 23.
Sancti Ignatij literæ ad Cardinalem Polum, lib. 1. numero 6. Eius ope liberata energumena, libro 10. numero 2. Alij à morbo, numero 9. Alius à molesta lite, numero 4. alius à sorde peccator. ibidem.
Indifferentia commendata, libro 5. 18. & l. 10. 25.
Ioannes Laytonus, libro n. 10. 10. Ioannes Lombardi Ibidem.
Ioannes de Almeida, libro 10. numero 24,

L.

Laurentius Arthurus, libro 1. 12.
Laurentius Worthingtonus, lib. 8. n. 30. 31.
Leges nouæ in Catholicos libro 3. n. 6. l. 4. 13. l. 6. 1.
Literæ Sancti Ignatij ad Cardinalem Polum, libro 1. n. 6. Mercuriani ad Pondū, libro 12. 15. 2. 15. ad Thomá Mettamum, l. 4. 15 Thomę Stephani de Th. Pondo, l. 2. 17. Pondi ad concaptiuos, n. 19. Eiusdem ad Personium num. 22. 19. Campiani Audomaro, libro 3. 2. & ad Mercurianum ex Anglia, numero 13. Personij de re Catholica, numero 15. Aliæ eiusdem de morte Campiani, numero 35. Aliæ de re Catholica, numero 6. Ad varios ante mortem, libro 8. 27. Claudij Aquauiuæ ad nostros in Anglia, lib. 8. 7. Roberti Iones ad eosdem, numero 12. Richardi Blondi, lib. 10. numero 25. Blasæi Episcopi ad varios de Watenis, lib. 7. 8,

Libri à Personio scripti & laudati, l. 3. n. 15. l. 4. n. 1. lib. 9. numero 4. & 6.
Literæ Archipresbyteri de officijs Societatis, l. 4. 21.
Literæ Domini Barretti Præsidis Duaceni ad Personium de causis turbarum in Seminario de vrbe, l. 6. 1.
Lectio Thomæ à Kempis quam vtilis, Edwardo Walpolo, l. 5. nu. 33. & Guilielmo Bruno. l 9. n. 12.

M.

MArci Barkwith Benedictini certamen, l. 6. n 24.
Marmaducæ Boos inopinatum martyrium, l. 10. 36.
Michael Alfordus, l 9. 3. eius erga Christi vulnera deuotio, Ibidem.
Michael Walpolus. l. 5. 48.
Missionis Anglicanæ Præfectura & regulæ l. 6. n. 7.
Missio eadem formata ad normam collegiorum, l. 10. 1.
Eadem erecta in Vice Prouinciam l. 9. 33 & in Prouinciam, l. 10. n. 6.
Misericordiæ diuinæ & iustitiæ exempla, l. 5. 11. l. 8. 19. & 24. l. 10. n. 8. & 13.
Monita à Richardo Blondo relicta pro missione & Prouincia Anglicana, l. 10. 25.
Mors vitæ longiori præferenda, l 5. 34. & l. 10, 22.

N.

NIcolaus Harte, l. 8. 24.
Nemo securus à tentatione, l. 4. num. 11. libro 6. 16. & 17. libro 9. num. 20.

O.

OBedientiæ ratum exemplum in in Tho. Pen. l. 9, 27. & l. 3. 17. in Georgio Gilberti: In Simone Russello, l. 10. n. 10. eius commendatio. lib. 5. 18.
Oswaldus Tesimundus, l. 7. n. 40.
Origo communis turbarum. lib. 4. 24 l. 6. n. 1.
Orandi pij modi, libro 3. 16. & libro 8. 11.
Oldcornus, vide Edwardus.
Olyssiponensis Residentia. libro 5. numero 5.
Oliuerius Manaræus suadet mitti PP. in Angliam, lib. 2. 28. Eius literæ ad Personium de vitando Cardinalatu, l. 6. n. 3.

P.

PEricula nostrorum in Anglia, l. 2. n. 27. libro 3, nu. 18. libro 10. numero 14.
Persecutionis origo sub Iacobo rege, libro 7. numero 16.
Renouata, l. 10. 7. Acerrima tempore Elizabethæ, l 2. & 3. Per totum, 4. etiam & 5. E re hæreticorum esse dissimulare in persequendo causam Religionis, l. 10. 34.
Personius cur Oxonio digressus, lib. 2. 7. In Belgio vacat exercitijs spiritualibus numero 9. Proficiscitur Patauium, inde Romam & admittitur in Societatem, n. 10. 11. 14. Mittitur in Angliam, l. 3. n. 1. Cur in Gallias profectus lib. 4. nu. 1. Eius industria ad Scotiam reducendam, n. 2. Quid pro Episcopis in Anglia constituendis, l. 4.

dis, l. 4. n. 18. Eius iter in Hiſpanias & Seminaria fundata, l. 5 n. 1. & ſequentibus. Rediens Romam ſedat turbas in Seminario, l. 6. nu. 2. Opinio de Cardinalatu, & variæ de eâ re literæ, n. 34. 5. 6. Conſtituitur Præfectus Miſſionis, n. 9. Eius extrema lib 8. 27.
Peſte ſublati aliquot Louanij, l. 9. n. 14. & Leodij n. 24. & Duaci Rogerius Bolbet, l. 1. n. 20.
Pikeringi Wottoni conuerſio miraculoſa, l. 5. 47.
Patrum aliquot in Concilio Tridentino ſententia de non adeundis Templis Hæreticorum, l. 3. n. 6.

Q.

QVerimonia Roberti Southwelli de dilata admiſſione in Societatem, lib. 5. n. 13 Eius dilationis fructus, n. 14.
Quæſtio de non adeundis Templis hæreticorum agitata, l. 3. 6.
Quid in hac tota Hiſtoria obſeruandũ, Præfatio, n. 2. & 13. & l. 10. n. 33.

R.

RAſtalli Votum, V. Ioannes.
Religio cauſa Perſecutionis in Anglia Præfatio, & l. 2. 27. & 28. & lib. 10. 34.
Regulæ Præfecti Miſſionis l. 6. n. 9.
Regulares in corpore Eccleſiæ non negligendi, l. 4. 22. 5.
Richardus Blondus quis lib. 9. 35. Bis latens euadit, Ibibem, Eius virtutes, n. 36. Fruſtra conatur affines conuertere, l. 10. 24.
Monita ab eo relicta, n. 25.
Richardus Holtbeyus, l. 8. 6.
Richardus Walpolus, l. 5. nu. 14. Calumnia in eum diluitur, Ibid. & 45. 46. cooperatur conuerſioni Pickeringhi Wottoni, 47.
Robertus Ieniſon. l. 9. 24.
Robertus Iones, l. 8. nu. 12. Eius literæ ad noſtros, Ibidem.
Roberti Southwelli initia, l. 5. 12. Eius querimonia de dilata admiſſione in Societatem, n. 13. Quas virtutes adamauerit, nu. 15. Animi ſenſus poſt vota, 16. Iter in Angliam & Epiſtola de itinere, n. 19. Quam vitam in Anglia duxerit, n. 20. Epiſtola ad Comitem de Arondel, n. 21. & de vitando vago vitæ genere, 22. ſcribit de rebus pijs, n. 23. Capitur 25. Accuſatur & eius prima defenſio, n 27. altera defenſio, n. 29. Quo animo acceperit nuntium mortis, 30.
Rodulphus Emerſonus, l. 1. n. 31.
Rodulphus Sherwinus Martyr, lib. 3. numero 32.
Rogerij Filcock certamen, l. 6. 14.
Rogerius Lea, l. 6. n. 23.
Reſidentia in San Lucar & Olyſſipone impetrata per Perſonium, lib. 5. numero 5.
Rodulphus Smithæus l. 10. n. 10.
Roſarij recitati vtilitas, lib. 9. 28. eius percurrendi modi diuerſi l. 8 n. 11.
Robertus Bedfordus & Guilielmus Whittinghamius oppreſſi ruina domus, l. 10. 7.
Robertus Perſonius, Vide Perſonius.

S.

SAcerdotes ſeptuaginta exulant, l. 4. n. 10. & 13. alij, l. n. 8. 21. eorum quales conſpirationes l. 2. 31.
Schiſmatis Anglicani initia & progreſſus,

ſus Præfatio.
Seminarium Duacenum, l. 2. 5.. Augiense, l. 4 n 5.
Audomarense, l. 5. n. 6. Hiſpalense, Ibidem n. 4. Valleſoletanum. n. 3.
Seminarium de vrbe, l. 2. n. 23. Artes Dęmonis ad opus interrurbandum 24. Petitur Rector è Societate, 25. Iterum turbantur res, & eius turbationis cauſæ, l. 4. n. 14. Rector datur Anglus, Ibidem, Turbas ſedat Perſonius, l. 6. n. 2.
Sherwinus, V. Rodulphus.
Societas nihil vſurpat auctoritatis in Clerum, l. 4. n. 20. Quid egerit pro Sacerdotibus, Ibidem. Immunis à conſpirationibus, l. 7. numero 22. & 30. & 41. & l. 8 n. 21. Quid egerit circa Iuramentum quod vocatur fidelitatis, l. 8. 3.
Socij duo oppreſſi ruinâ domus, l. 10. 7.
Socij aliquot eum Rectore capti, l. 10. numero 14.
De Socijs cur pauca narrantur, Præfatio, & l. 4. 43.

T.

THomas Coniers, liber 1. 31.
Thomæ Cottami certamen, l. 4. 7.
Thomas Coppley, l. 9. 24.
Thomas Darbishier, l. 1. 9.
Thomas Hunt, l. 6. 29.
Thomas Garnettus, l. 8. n. 8.
Thomas Laithwaite dictus Scottus, l. 9. n. 1.
Thomas Martialis, lib. 1. 10.
Thomas Pen l. 9. 27.
Thomas Pondus l. 2. 15. Eius Epiſtola ad Perſonium, 22.
Thomas Stanæus, l. 6. 39.
Thomas Stephanſonus, l. 1. 17.
Thomas Stephani proficiſcitur in Indias, l. 1 30.
Thomæ Stapletoni elogium, l. 1. 29.
Thomas Langdal Apoſtata l. 1 27.
Thomas Scottus V. Thomas Laithwaite.
Thomas Strangeus. l. 8. 25.
Thomas Warcop. l. 1. 24.
Thomas Wright. l. 1. 29.
Thomas Mettamus. l. 4. 15.
Thomas Stillingtonus. l. 9. 29. vocatur ad Societatem à Beatiſſima Virgine 31. eius Breue elogium. Ibidem.
Thomas Worthingtonus. l. 6. 38.
Thomſonus. V. Ioannes Gerardi.
Tyrocinij Anglicani initia, l. 7. n. 2. & l. 9. 14. Aliud Londini, l. 10 6.
Tempus quam pretioſum, l. 5. n. 19. & 25. eius recta diſtributio quam neceſſaria, l. 10. 27.
Thomas Fitzherberti qualis vir. libro 6. n. 7.

V.

VOtorum renouatio quo fructu l. 6. 11. votum Henrici Walpoli lib. 5. 34. Roberti Southwelli, animi ſenſus poſt emiſſa vota, l. 5. n. 16.
Virgines Anglæ Audomari, lib. 6. 24.
Vice Prouincia in Prouinciam erecta l. 10. 6.
Virtutis perfectæ fontes tres l. 10 19.
Vocationes inſigniores, Thomæ Darbisher, l. 1. n. 9.
Guilielmi Bromſeley, 25. Guil: Brookesbeyi, 26. Georgij Gilberti, l. 3. 16. Perſonij, l. 2. 11.
Thomæ Warecop, l. 1. 24.

Thomæ Stillingtoni. lib. 9. 31.
Ioannis Blacfanni, l. 8. 26.
Ioannis Perceyi, l. 8. 22.
Thomæ Pond, l. 2. n. 2. 16.
Thomæ Pen. l. 9. n. 27.
Pickeringi Wottoni, l. 5. 47.
Franciſci Walſinghamij, l. 9. 4. Iacobi Wadesword, n. 6.
Beatiſſimæ Virginis ope adiuti, Thomas Coniers, l. 1. n. 21.
Gaſpar Haywood, l. 4. 11.
Thomas Stillingtonus, lib. 9. num. 31.
Henricus del Som, l. 10, n, 10.
Vulnerum Chriſti Domini veneratio, l. 9. n. 3.
In vocatione conſtantia, l. 5. nu. 15. & num. 32.
Vrbani VIII. Breue ad Catholicos Angliæ de perſecutione, l. 10. n. 8.

W.

WAtenarum Sedes, lib. 7. 4.
Difficultates circa illam habitationem, n. 6. & 7.
Wilkinſoni teſtimonium de ſpica Garnetti, l. 7. 34. & l. 9. 28.
Worthingtoni tres. l. 6. n. 30. & 37.
Sanctæ Winefredæ ſubſidium ſalutare. lib. 7. n 37.
Walſingamius vide, Franciſcus.

APPROBATIO.

CVm Historiam Missionis & Prouinciæ Anglicanæ Societatis Iesu, à P. HENRICO MORO Conscriptam tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; potestate acceptâ ab Admodum R. P. nostro Goswino Nickel eiusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedimus vt typis mandetur, si ita ijs ad quos pertinet, videbitur: In quorum fidem has literas manu nostrâ subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus, Audomari, 24. Decembris. 1659.

Richt Bartonus.

NOS Infrascripti fidem facimus & attestamur quod attentè, & cum magna animi voluptate legerimus & examinauerimus Historiam Prouinciæ Anglicanæ Societatis Iesu à R. P. HENRICO MORO Conscriptam; in qua varia notauimus quæ magnopere faciunt ad augmentum gloriæ Dei, ac ad profectum salutis animarum, Et cum planè conformis sit fidei Catholicæ, iudicamus posse emitti in lucem, Actum Audomari die 21. Octobris, anni 1659.

IOANNES CAROLVS DE LONGVEVAL Ecclesiæ Cathedralis Audomarensis Decanus, Sedis Episcopalis Audomarensis modo vacantis Vicarius Generalis,

Et Librorum Censor Ordinarius,

ERRATA
AMICE LECTOR

VAldè oculatus esse debet is quem nihil præterit. Errores leuiores qui neque sensui officiunt nec constructioni tibi ipsi leuiter percurrenti moram non inijcient: Grauiores hîc accipe correctos.


PAg 12. lin. 7. à fine lege. Polancus.
Pag. 13. lin. 20. & P. 14 lin. 18. lege octogesimum,
Page 50. Marg. lege, domi, & Cantabrigen.
Pag. 55. lin. 3. à fine: lege: multas.
Pape 59. lin. 14. lege, insidiantia.
Page 73. lin. 11. & 15. lege, exultabitis.
Pag. 84. lin. 6. à fine, lege, acuendum.
Pag. 86. lin 9. à fine, lege ad complures.
Pag. 93. lin. 12. lege, dolere.
Pag. 102. l. 12. lege, propius.
Pag. 195. lin. 2, lege Reginæ.
Pag. 263. lin. 9. à fine; lege Supellex,
& lin. 8. à fine; lege, duabus,
Pag. 354. lin. 10, à fine, lege, mutuas.
Pag. 425. lin. 8. à fine, lege, Corraco,
Pag. 439. lin. 24. lege, præterquam.

Soli Deo honor & Gloria.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
399a


P.
H. Mori
Hist: Angl
et
Achales Ti
briaty
S. V
17